This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

A 666579 DUPL

Digitized by Google

PROPERTY OF
University of Michigan Libraries
1817
ARTES SCIENTIA VERITAS

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

QUINTI HORATII FLACCI

QUÆ EXSTANT

OMNIA OPERA

Digitized by Google

EXCUDEBAT E. DUVERGER
VIA DE VERNEUIL, N° 4.

Digitized by Google

225-90

QUINTUS HORATIUS FLACCUS

CUM VARIIS LECTIONIBUS ARGUMENTIS
NOTIS VETERIBUS AC NOVIS

QUIBUS ACCEDIT
INDEX RECENS OMNIUMQUE LOCUPLETISSIMUS

CURANTE ET EMENDANTE

N. E. LEMAIRE

TOMUS SECUNDUS



PARISIIS
COLLIGEBAT NICOLAUS ELIGIUS LEMAIRE
POESEOS LATINÆ PROFESSOR

MDCCCXXXI

271

Digitized by Google

87.5
H5
L54g

Digitized by Google

PRÆMONITIO NOVI EDITORIS.

Operæ pretium est Lectori benevolo breviter indicare, quibus auxiliis freti, manum ultimam huic operi imposuerimus, et quos duces præcipuos in nostra Horatii interpretatione simus secuti.

Utilissimum doctissimi Doering commentarium, cui felicissime præiverat in nostro poeta elucidando, vir doctrina et ingenio venerandus Mitscherlichius, Editioni huic nostræ præ ceteris accommodandum sine dubio censuimus; ita tamen, ut utriusque Cl. Viri notas miscere, et ubi necesse videretur, emendare nostri semper juris esset, novasque etiam de nostro interpretationes adjicere.

Quum autem emendationum nostrarum, notarumque, quas ipsi summo studio summaque diligentia undique collegimus, non spernenda crevisset seges, tum in duobus primis odarum, tum in reliquis libris, satius putavimus deinceps notare quidquid proprium nobis foret ac peculiare, ne quis eruditissimis Viris adtribueret, quod ipsorum non esset. Ergo a tertio Carminum libro, quidquid pro nostra facultate addidimus, distinximus his literis, Ed.: et si usque ad illa carmina hanc curam imprudentes neglexerimus, optimo lectori a nobis satisfieri precamur, quod magis illius commodo et Horatianæ laudi, quam nostræ commendationi consulere in animo semper fuerit.

Præterea Odarum et Epodon, et Satirarum, et Epistolarum unicuique titulum præfiximus, quamvis ipse Doering omiserit; immo Analysim subjecimus, vel ex commentario Mitscherlichii excerptam, vel a nobis ipsis elaboratam (in Satiris præsertim et Epistolis), ut rerum sententiarumque series, utili compendio, facilius innotesceret. Etenim in Satiris Epistolisque, quum liberius negligentiusque, ut fert illud scribendi genus, auctor evagari videatur, periculum est, ne partium junctura lectorem fallat. Diligenter indicavimus, qua de causa, et quo tempore opus unumquodque scriptum sit, tum cogitandi, tum scribendi rationem

Digitized by Google

paucis ibidem, ut in notis ad contextum, recognoscendo : sed præcipuam in interpretanda Epistola ad Pisones, sive Arte Poetica, diligentiam adhibuimus : cujus in Procemio Wielandum omnem expressimus, et in fine quindecim Excursus collectos ita disposuimus, ut ad difficiliora hujus Epistolæ loca explananda adducti, quisque pro sua parte, venerint, CC. Gesner, Dacier, R. Bentley, Boileau, Bossuet, Dumarsais, Galiani, Delille, Eusèbe Salverte, et Reuvens.

Neque Germanos tantum quos diximus interpretes, sed Anglos etiam et Gallicos in periculosam laboris nostri societatem adscivimus; inter quos Dacierius præsertim magno auxilio fuit. Liceat quoque Doctissimos et amantissimos Collegas hic nominare, Boissonade, J. V. Leclerc, Burnouf, Alexandre, et Eloi Johanneau, qui nobis identidem hæsitantibus humaniter communicare voluerunt, quæcumque immensa eruditio, ingeniosa sagacitas, absoluta poeseos et antiquitatis latinæ scientia per longam studiorum seriem congerere potuit! nam neque judices usquam candidiores, neque duces usquam certiores invenias, quos dum sequaris, nullatenus a recta via deflectes.

Tot et tantis nominibus literatum juvenem (*Bourbon*) gaudemus adjungere, quem laureatum Academia Parisiensis, et jurisconsultum illustres commendant amicitiæ. Hic enim ab initio usque ad calcem hujus Horatianæ editionis ita strenuam nobis navavit operam, ut talem socium non sine gravi piaculo tacuerim.

Postremo quam maxima cura nostri Poetæ locos, si quid vel in sententia, vel in verbis etiam simile appareret, variis auctorum locis contulimus, qui Græce Latineque, et in primis Gallice scripserunt; quod Lectori et utile, et gratum fore, pro nostra in eum voluntate, confidimus. Vale, et nos ama.

N. E. L.

Datum Parisiis, octobri mense, 1831.

Digitized by Google

DE ORIGINE ET PROGRESSU

SATIRÆ ROMANÆ,

ET QUAS MUTATIONES SUBIERIT.

Horatii *satiras* duobus libris comprehensas, nunc *sermones*, nunc *satiras*, nullo discrimine appellavit ipse, verum quum *ideas* modis quibusdam distinctas animo repræsentent ea vocabula, operæ pretium facturus videor, si, quid antiqui Romani per *satiram* intellexerint, exponam. Primus doctissimus Casaubonus, atque adeo solus in eo feliciter operam posuit, ut demonstraret quæ et qualis esset poesis satirica Græcorum, quæ satira Romanorum. Est ille liber quantivis pretii; nec diffiteor me inde plurimum adjutum fuisse.

Hic enim est fructus, quem ex excellentium virorum laboribus percipere debemus: qui ideo nobis præiverunt, ut in spissis antiquitatis tenebris facem succedentibus præferrent. Non tamen in superiores ita oculi defigendi, ut propriis gressibus non etiam attendamus: per illas enim incedunt aliquanto semitas, in quibus non tutum sit eos sequi: id quod et ego hic cavi, sæpe vias parum tritas sequutus, ut in progressu patebit.

Est autem Satira quædam poeseos species aliis

Digitized by Google

quam Romanis prorsus incognita, nec ulla cum Satyrica Græcorum poesi cognatione conjuncta, quæ tamen quorumdam doctorum opinio fuit. Quintilianus omnem dubitationem tollit, quum scribit lib. I, cap. 10: « Satira quidem tota nostra est. » Inde est quod Horatius, lib. I, Sat. 10, v. 66: « Græcis intactum carmen » dixerit.

Ecce tibi germanam hujus vocis etymologiam: Latini *Saturum* usurpabant pro pleno, cui ad perfectionem nil deesset: hinc *Satur color* quum lana colorem plene combibisset, nec quidquam ad tincturam adjici potuisset. Ex *Satur* factum *Satura*, quod etiam *Satira* per *i* efferebant, quemadmodum *Maximus* et *Maxumus*, *optimus* et *optumus*. Est igitur *Nomen Adjectivum*, quod relationem habet ad *Substantivum* subintellectum: dicebant enim prisci *Saturam*, subintelligentes *lancem*. Erat autem *Satura lanx* vas (gallice *un bassin*) omne genus fructibus repletum quos Cereri quotannis et Baccho, ut totius anni proventuum primitias, offerre solebant; cujusmodi oblationes ex variis generibus inter se confusis non erant Græcis omnino incognitæ, qui eas appellabant πάγκαρπον θυσίαν, πανσπερμίαν et in leguminibus, πυανεψίαν. Diomedes Grammaticus accurate et hunc Romanorum morem et vocis *Saturæ* naturam explicavit his verbis: « Lanx referta variis multisque primitiis sacris Cereris inferebatur, et a copia, et *Saturitate* rei *Satura* vocabatur. » Cujus generis *lancium*, et Virgilius in Georgicis meminit, quum hoc modo dicit, « lancibus et pandis fumantia reddimus exta, » et

Digitized by Google

« ..... lancesque et liba feremus. » Deinceps ad alia miscellanea translata est. Festus: « *Satira* cibi genus ex variis rebus conditum. » Migravit inde ad ea, quæ mentis et ingenii sunt; nam *leges Saturas* nuncuparunt, quæ plura capita, aut plures titulos complectebantur, ut *legem Juliam*, *Papiam*, *Poppæam*, quæ dicebatur *miscella*, quod idem est cum *Satura*, unde profecta est et illa locutio *per Saturam legem ferre*, quum non rogatis ex ordine Senatoribus, non collectis, nec dinumeratis sententiis, omnes simul et promiscue sententiam ferebant, quod proprie dicebatur per *Saturam sententias exquirere*, quomodo post Lælium loquutus est Sallustius. Neque hic constiterunt, etiam libros quosdam hac appellatione insigniverunt, ut Pescennius Festus, qui *Historias Saturas* vel *per Saturam* nobis dedit.

Ex his omnibus exemplis facili quis negotio sibi persuadebit Horatii opera hinc traxisse nomen, *Satirasque* appellatas, quod *multis et variis rebus hoc carmen refertum esset*, quomodo dicit Porphyrio. Quod quidem ex parte verum est; cave enim putes, vocem nullis intercedentibus gradibus, qui transitum præberent, statim huc deductam: ejus migrationes antiquiores erant in alias res, quæ propinquius *Horatii Sermones* contingerent. Ad quam rem explicandam jam accingimur, eum sequuturi ordinem, qui ipsi Casaubono in mentem non videtur venisse, quippe rem ea luce perfundet, ut nulla amplius cuiquam relinquatur ad dubitandum materia.

Romani quum quadringentos circiter annos sceni-

Digitized by Google

cos ludos ignorarent, casu dum dies festos per licentiam et lasciviam agitarent, in versus Fescenninos et Saturnios inciderunt, qui postea in scenis per centum et viginti fere annos locum suum tutati sunt.

Fuerunt isti versus impoliti et parum numerosi, utpote subitanei, et a populo fusi adhuc rudi et agresti, quique non alium magistrum nosset, quam Cererem et Bacchum. Hoc genus carminis implebant cavillationes et opprobria rustica, adhibitis gesticulationibus et saltationibus ridiculis. Rem intelliges, si ob oculos tibi proponas bonos de pago viros rusticorum more saltantes, sese mutuo extemporaneis conviciis insectantes, eaque in vices exprobrantes, quorum alius alii conscii sunt. Hoc est quod Horatius dicit, Epist. II, 1, 145: « Fescennina per hunc inventa licentia morem Versibus alternis opprobria rustica fudit. » Infrænam hanc et impotentem licentiam excepit non ita post alius generis carmen, castigatius quidem illud, sed refertum etiam dicteriis ad movendum risum comparatis, quod tamen nihil turpitudinis admiserit: comparuit hoc carmen sub Satiræ nomine ob varietatem suam; quæ quidem Satira certos habuit *modos,* id est, musicum et congruentem motum, relegatis gestibus minus honestis. Titus Livius, lib. VII, cap. 2: « Vernaculis artificibus, quia *Hister* Tusco verbo *Ludio* vocabatur, nomen *histrionibus* inditum, qui non, sicut ante, Fescennino versu similem incompositum temere ac rudem alternis jaciebant, sed impletas modis Satiras, descripto jam ad tibicinem cantu, motuque congruenti peragebant. »

Digitized by Google

Non abludebat hæc Satira a nostris *Farces* pudentioribus, ubi promiscue et spectatoribus, et actoribus scenico sale defricabantur auriculæ.

Atque ita se habebat res scenica; quum *Livius Andronicus* ad *comœdias* et *tragœdias* ad Græcorum imitationem conscribendas primus animum appulit: quæ quum esset oblectatio et liberalior, et absolutior, mox huc undique catervatim concursum est, neglecta ad tempus *Satira*, quam tamen paulo post reprehensam, erant qui comœdiis jam peractis non absurde subnecterent (quod Galli in suis *Farces* hodieque faciunt) Attellanis certe, mutato tum primum Satirarum nomine in *Exodia*, quod in posterum mansit.

Atque hæc fuit prima et antiquissima Romanæ Satiræ forma. Erant quidem duæ aliæ, quæ quanquam a prima multum discrepabant, ei tamen, quasi enatæ suffragines, ortum suum referebant, quod quam brevissime potero, jam confirmatum dabo.

Uno anno postquam Livius primas dedisset fabulas, natus est in Italia Ennius: qui quum adolevisset, et diligentius considerasset, quantopere hujusmodi Satiris delectaretur populus, recte et id vidit, poemata, quæ licet non theatro destinarentur, suffusos felle sales et dicteria Satirarum mordacia conservarent tamen, non posse non placere populo. Periculum fecit; edidit *Sermones* quos Satiras servato antiquo nomine appellavit. Erant hi sermones Horatiani, quod ad argumentum et varietatem rerum per omnia similes: excepto, quod Ennius ad quorumdam Græcorum,

Digitized by Google

ipsius etiam Homeri exemplum, id sibi juris sumpserit, ut plura carminum genera, confusis *hexametris*, *iambicis*, *trimetris* et *tetrametris trochaicis*, commisceret, ut ex fragmentis, quæ supersunt, satis liquet.

Videtis tetrametrorum exemplum ab Aulo Gellio conservatum, dignum sane, quod ob eximiam pulchritudinem hic reponatur:

Hoc erit tibi argumentum semper in promptu situm,
Ne quid exspectes amicos, quod tute agere possis.

Annumeraverim porro Ennii *Satiris* alteram illam speciem versuum qui ea sunt venustate, ea elegantia, ut sæculum longe superare videantur. Rem non ingratam fecero, si lectoris oculis subjecero:

Non habeo denique nauci Marsum *Augurem*,
Non vicanos Aruspices, non de Circo astrologos,
Non Isiacos Conjectores, non Interpretes somnium:
Non enim sunt ii, aut scientia, aut arte *divini*,
Sed superstitiosi vates, impudentesque harioli,
Aut inertes, aut insani, aut quibus egestas imperat:
Qui sui quæstus causa fictas suscitant sententias,
Qui sibi semitam non sapiunt, alteri monstrant viam,
Quibus divitias pollicentur, ab iis drachmam petunt;
De divitiis deducant drachmam, reddant cetera.

Plurima ex his Satiris desumpsit Horatius, ut manifestum erit notas nostras consulenti.

Post Ennium ortus Pacuvius, Satiras ipse quoque sive avunculum, sive avum per matrem imitatus scripsit.

Natus est Lucilius in eo tempore, quo maxime florebat Pacuvius. Composuit et ille Satiras, sed qui-

Digitized by Google

bus novam novata scribendi ratione gratiam conciliavit, ut qui antiquæ Comœdiæ Græcæ characterem propius exprimere voluerit: cujus admodum imperfecta ex prisca Latina Satira haberi poterat notitia, quale scilicet faceret carmen, quod sola natura dictitaverat, antequam injecta esset Romanis Græcos imitandi, eorumque spoliis se locupletandi, cogitatio. Ex quibus facile intelligi potest illud Horatii, Sat. II, 1, 62-3: « .... Quid, quum est Lucilius ausus Primus in hunc operis componere carmina morem? » Noli putare Horatium voluisse dicere, nullas ante Lucilium Satiras factas: quum Lucilium præcesserint Ennius et Pacuvius, quorum ille exemplum sequutus est. Id solum voluit, Lucilium novam faciem huic carmini induisse, quod perpolivit, et propterea pro primo quasi auctore habendum. In eadem fuit sententia Quintilianus, lib. X, cap. 1: « Satira quidem tota nostra est, in qua primus insignem laudem adeptus est Lucilius. » Cave hic pedibus in Casauboni sententiam eas, qui Diomedis fide fretus, Ennii et Lucilii Satiras toto genere dissentire credidit. Vide ipsa grammatici verba, quæ subacti judicii criticum in errorem induxerunt: « Satira est carmen apud Romanos, non quidem apud Græcos, maledicum, et ad carpenda hominum vitia, *archææ* comœdiæ charactere compositum, quale scripserunt Lucilius, et Horatius, et Persius. Sed olim carmen, quod ex variis poematibus constabat, Satira dicebatur, quale scripserunt Pacuvius et Ennius. » Apparet Diomedem distinguere Satiram Lucilii, ab ea quam scripsit Pacuvius et Ennius.

Digitized by Google

Ridicula autem et omnino falsa est hujus distinctionis ea, quam reddit ratio. Non satis investigaverat homo simplex naturam et originem utriusque Satiræ, quæ omnino conveniebant tam materia quam forma. Nam nihil eo attulerat Lucilius præter nitoris et salis plusculum, in summa rei nulla insigni variatione facta. Et quanquam non conjunxerat plura versuum genera in eodem carmine, sicut Ennius, fecerat tamen diversa carmina, quorum alia integra versibus hexametris, alia iambicis, alia trochaicis constabant, ut liquet ex ipsius fragmentis. Ut verbo dicam, si Lucilianæ Satiræ diversi generis ab Ennianis ideo censendæ sint, quod ille hunc scribendi arte longe superaverit, uti voluit Casaubonus, consequens erit Horatii quoque Satiras a Lucilianis diversi prorsus fuisse generis, quandoquidem Horatius non minus evexit Satiras suas supra Lucilium, quam ille suas supra Ennium et Pacuvium evexerat. Douzam quoque filium fefellit iste Diomedis locus. Hoc non eo dixi, quod errorem levem tantorum virorum notare gaudeam, sed solum ut demonstrem, quanta cum cura et cautela eorum opera legere oporteat, ubi de re obscura adeo et antiqua agitur.

Antiquæ Satiræ ad scenæ usum compositæ naturam declaravi, planum feci inde exemplum sibi sumpsisse Ennium, satis denique confirmatum dedi Ennii Pacuviique ejusdem esse generis cum Satiris Lucilii et Horatii, quod tamen carmen non nisi ab Horatio ad supremum fastigium perductum est. Jam ad alterum Satiræ genus, quod recepi exponendum, quod et

Digitized by Google

ipsum quoque ab antiqua originem duxit, tempus est accedere : ea est quæ appellatur *Satira Varroniana* vel *Menippea*, quod primus ejus auctor esset Varro, Romanorum doctissimus, quodque in eo opere Menippi Gadarensis, philosophi Cynici, mores imitatus esset.

Nec sola carminum varietate mixta est ista Satira; Varro ei interposuerat prosam orationem, promiscuo etiam usu Græci et Latini sermonis. Quintilianus de Lucilii Satira loquutus addit : « Alterum illud est et prius Satiræ genus, quod non solum carminum varietate mixtum condidit Terentius Varro, vir Romanorum eruditissimus; » cujus loci unica difficultas in eo posita est, quod affirmet Quintilianus hanc Satiram Varronianam fuisse priorem. Quo enim pacto illud fieri potuit, quum ætate multo posterior Lucilio fuerit Varro? at Satiram Varronis tempore priorem fuisse, ea vero non est Quintiliani mens, quippe qui probe sciret eam multis annis fuisse recentiorem. Id voluit, Satiram hanc ita mixtam magis compositam esse ad Ennii et Pacuvii, qui in Satiris suis multa sibi licere voluerúnt, quam ad Lucilii exemplum, qui musas coluit severiores.

Nihil nobis restat hodie ex Varronis Satiris, præter fragmenta quædam, eaque maximam partem corruptissima; titulosque, quorum plurimi sunt duplices, qui indicio sunt, quanta esset varietas materiarum, quas Varro illic tractaverat.

Senecæ Apocolocynthosis, Boetii de Consolatione Philosophiæ libellus, et Petronii Arbitri Satyricon sunt Satiræ Varronianis omnino similes.

Digitized by Google

Hæc habui de Satiris in genere dicenda: plura in hoc argumento disserere supervacuum esset. In notis nostris commodior erit locus Horatianarum Satirarum naturam enarrandi. Interea illud velim animadvertat Lector, Latinum vocabulum Satiræ tam designare *sermones* qui virtutem commendent, quam qui vitia insectentur. Omnino aliter se res habet in lingua nostra, ubi vel nomen ipsum Satiræ terrorem incutit illis, qui se simulant id esse quod non sunt; apud nos enim audito Satiræ nomine *convicium* intelligitur. Eadem tamen utrobique vox est. Sed Latini plerumque in librorum titulis respexerunt vocis ipsius naturam, et integram significationem, quam habet ex Etymologia, quum Galli respiciant primum et frequentiorem vocis usum tributæ jam inde ab initio dicteriis et obtrectationibus.

Scribenda autem ea vox Latine per *u* vel per *i*, Gallice per *i* simplex. Qui per *y* scripserunt, ii cum Scaligero, Heinsio multisque aliis crediderunt, ex numinibus rusticis, quos Græci Σατύρους, Romani *Faunos* nuncupabant, nomine dicta fuisse ejusmodi poemata, eque voce *Satyrus*, ductam vocem *Satyra;* istas præterea *Satyras* carminibus Græcorum *Satyricis* valde fuisse affines; quod esse falsissimum luculenter demonstravit Casaubonus, ubi docet a *Satyrus* ex analogia formari non *Satyra*, sed *Satyrica*, plurimumque interesse inter Græcorum Satyrica, et Romanorum Satiras.

Spanhemius in pulchra sua ad Juliani Imperatoris Cæsares præfatione, plura de novo observata contulit

Digitized by Google

ad ea, quæ ante ea de re protulerat celeberrimus Criticus, descriptis magno cum judicio duorum poematum quinque aut sex discriminibus insignioribus, quæ si videre cupias, auctorem adi. Nihil unquam fuit apud Græcos Romanæ Satiræ finitimum præter *Sillos*, mordax nempe poematis genus, quod ex fragmentis *Sillorum Timonis* facile colligi potest; at hoc intererat, quod *Silli* Græcorum meræ essent *Parodiæ*, quod de Romana Satira dici nequit, ubi si forte aliquando in *parodiam* incidas, videbis tamen poetam cavisse, ne abuteretur. Unde liquet parodiis naturalem esse in Sillis sedem, non item in Satiris.

Exposita tandem natura, origine et progressu Satiræ, pauca de ipso Horatio mihi sunt dicenda, qui quidem qualis in hoc opere sit, non potest commodius demonstrari, quam si eum Silenorum statuis compares, quibus Alcibiades in Symposio Socratem comparat, quæ nihil extra habebant pulchri, nihil ornati; at si illas aperuisses, omnium Deorum Dearumque imagines detexisses. Ad eum modum se nobis exhibet in Satiris Horatius, nihil magnum præ se fert, quod nos detinere debeat: dignior videtur esse, qui pueris teratur, quam qui viros occupatos teneat; sed seposito velo, et Horatio penitius inspecto, omnium illico Divorum sese oculis ingerunt imagines, hoc est, omnes virtutes, ad quas assidue exercendi sunt, qui vitiis suis corrigendis serio student. Exterius illum adspicere contenti antehac fuere viri docti, neque possum non mirari Satiras, quas toties legerunt pervolveruntque, parum admodum ab iis

Digitized by Google

fuisse intellectas, et perperam explicatas. Substiterunt in ipso cortice, verbisque interpretandis intenti nihil ultra petiere: quod quidem fecerunt ut grammaticis par erat, non ut philosophis: plane quasi scripsisset Horatius solum ut verborum construendorum rationem videremus, dederitque nobis librum horis in schola fallendis, non animis ad virtutem formandis. Prorsus aliud sibi in hoc opere proposuerat poeta: namque finis verborum est actio, cujus etiam gratia verba ipsa fuerunt reperta, quæ nisi illum assequantur finem, nihil nisi futiles soni, aures quidem feriunt, ad animum vero non pertinent.

Docere nos voluit Horatius in his Satiris, contra vitia nostra militare, affectus temperare, naturam in cupiditatibus moderandis ducem sequi, verum a falso, et a rebus ipsis rerum species discernere, præjudicatas temere opiniones abjicere, principia et causas actionum nostrarum perspectas habere, ridiculam denique eorum pertinaciam evitare, qui, quibus a magistellis suis opinionibus imbuti olim fuerunt, iis obstinate inhærent, nulla habita ratione quibus innitantur fundamentis; uno verbo, in eo elaboravit, ut nos nobis felices, amicis jucundos et fideles, omnibus quibuscum vivimus, commodos, utiles, et benignos præstaret.

Interpretari auctoris verba, in *figuras* digitum intendere, Lectores per orationis involutæ labyrinthos, aut parentheseos obscuræ tenebras, ducere, hæc omnia nihil eximium habent, nec, ut loquitur Epictetus, quidquam pulchrum, aut sapiente dignum. Est il-

Digitized by Google

lud præcipue adnitendum, illud palmarium, usum et rationes horum præceptorum ostendere, eademque auctoritatibus fulcire, ut palam omnibus fiat, eos qui mores suos ad hoc speculum componere negligunt, paria facere ægrotis, qui libros, ubi remedia morbis suis præscribuntur, legere contenti, medici consilium tantum abest ut capiant, ut ne intelligant quidem ejus utilitatem.

Non quod ego in commentariis meis quidquam sciens volens prætermiserim, quod ad grammatici officium pertineat. Spero id sensuros esse Lectores, neque jam ullam superfuturam in verbis Horatii difficultatem: at in hanc curam præcipue incubui, ut argumenta, quæ tractat, illustrarem; quam solidæ sint rationes, quas adhibet, indigitarem; ut expedirem circuitus et ambages, per quas nonnunquam incedit ad placita sua confirmanda, et ad contraria refutanda, vel eludenda; ut veritatem assertionum ipsius stabilirem; ut vafritiem ejus, ubi quasi ex insidiis agit, quæ Lectorem imperitum facile fugiat, oculis exponerem; ut denique in apricum proferrem ridiculum illud, quod in omnibus, quas oppugnat, rebus invenerit. Hæc sunt, quæ fecit ante me nemo. Contra, ut est Horatius *verus Proteus*, ita mille formas variat, interpretes suos sæpe effugit, qui quum ipsum reprehendere nequirent, stupentes fecerunt, quod potuerunt. Affixerunt ei sæpenumero sensum suo non solum diversum, sed etiam adversum, quemque ipse eo loco refellere voluit. Neque est cur illis quidquam detractum velim, qui ante me Horatio illustrando

Digitized by Google

laborem suum contulerunt: laudo illorum cónatus, qui mihi viam aperuerunt. Si qua in re ego eos superavi, omne illud acceptum refero magnis istis ex antiquitate viris, quos majore cum cura, majore certe otio, legi: Homerum dico, Platonem, Aristotelem, aliosque tam Græcos, quam Latinos, quos assidue tero, ut ad eorum gustum reformem meum, eorumque fontibus ingenii et judicii mei hortulos irrigem.

Non desunt, scio, his temporibus qui magna illa nomina risu excipiunt, qui reclamant laudibus, quibus per omnia sæcula celebrati ornatique sunt, quique illos spoliare velint iis coronis, quas tanto suo merito ante tribunal adeo augustum reportarunt. At hi, dum nimio efferuntur studio eam devitandi admirationem, quæ *mater* est *ignorantiæ*, imprudentes discedunt ab altera illa, quam Plato nuncupat *matrem sapientiæ*, quæque prima oculos hominibus aperuit. Minime miror pulchritudinem illam divinam, quæ apud scriptores longe præstantissimos elucet, istos homines non capere, neque trahere; infirmiores sunt, quam ut oculos tantis splendoribus intentos diu tenere queant: ne dicam facilem esse rem Antiquos contemnere, laboriosam vero intelligere.

Quod ad me attinet, Divinos illos Viros ex animo totus admiror et veneror. Eos mihi semper ob oculos pono, velut judices verendos et incorruptos, apud quos libenter fingo reddendam mihi esse scriptorum meorum rationem.

Magna interim ducor posteritatis reverentia: timi-

Digitized by Google

dior quam fidentior cogito, quale de operibus meis, si bono suo fato eo pertingere possint, judicium latura sit. Non ideo tamen minoris æstimo doctos viros, qui hodie vivunt; multi sunt, fateor, qui sæculum nostrum exornant, qui priora potuissent exornare; in quibus tamen ne unum quidem novi, qui non honoret et colat antiquos, cui non idem quod illis sapiat, aut qui eorum præcepta non observet, unde quantum aberraveris, tantum ab ipsa natura et veritate discesseris. Neque verear confirmare, non esse difficilius sine luce aut sine oculis objecta perspicere, quam solidam laudem adipisci, et ingenium excolere aliis rationibus, quam quas Græci et Romani nobis præscripserunt: sive enim propriis felicis ingenii viribus innixi, sive ab arte et studiis instructi, earum vestigiis tamen succedimus. Qui autem Antiquos damnant, causa non cognita, non abs re erit, eos semel et simul tanto errore liberare, ut ipsis palam fiat, se, dum nimio in hanc ætatem studio transversi rapiuntur, ejus famæ apud posteros gravissimum vulnus imprudentes infligere. Quodnam enim excogitari potest clarius argumentum ad sæculi cujusvis ignorantiam, aut potius barbariem demonstrandam, quam quod ibi Homerus audiat ineptus, Plato ad fastidium prolixus, Aristoteles parum doctus, Demosthenes et Cicero e trivio oratorculi, Virgilius poeta nullis gratiis, nullo ornatu, Horatius denique rudis, humilis et sine nervis? Barbaræ illæ gentes, quæ Græciam et Italiam populantes, tanto furore grassabantur, quid unquam in delendis pulcherrimis

Digitized by Google

vetustatis monumentis tetrius ausi sunt? quid magis horrendum? verum spes est non toti sæculo imputatum iri quorumdam judicium perversum, neque Antiquis fraudi fore.

Frustra Imperator ille arma in Homerum, Virgilium, Titum Livium movit: incassum cecidere tanti conatus: bellum absolutissimis operibus indictum quid aliud egit, nisi ad numerum ineptiarum accessit, quo laborat ipsius historia, cumulatioremque ipsi invidiam apud posteros conflavit?

N. B. Hanc Dacierii præfationem quam nunc retulimus, e Gallico in Latinum sermonem convertit Lud. Desprez (edit. ad usum Seren. Delphini). Ed.

Digitized by Google

QUINTI
HORATII FLACCI
SATIRARUM
LIBER PRIMUS.

SATIRA I.

Invehitur poeta in pravos hominum sensus, qui nunquam in sua conditione sibi placent, nec eo quod habent, contenti sunt; hinc avaritiam insectatur.

Qui fit, Mæcenas, ut nemo, quam sibi sortem
Seu ratio dederit, seu fors objecerit, illa
Contentus vivat; laudet diversa sequentes?

1. *Qui fit, Mæcenas,* etc. Sensus: operæ pretium sane est quærere, Mæcenas, cur homo sorte sua, sive secum deliberando delecta, sive fortuito oblata, non contentus vivat, immo eos, qui diversum a suo vitæ genere sequuntur, felices prædicet?— *nemo;* ex *ne* et *homo; homo non:* semper de *homine* dicitur, sed nunquam pluraliter: hinc differt a *nullus;* quæ vox de *re* et *homine* usurpatur. — *sortem,* conditionem. — *ratio,* deliberatio. — *fors,* fortuna, recte rationi oppositæ. Duæ enim tantummodo causæ esse dici possunt, cur hanc illamve vivendi conditionem homines habeant: ratio scilicet, qua vel gratissimam, vel utilissimam conditionem eligimus; et fortuna, quæ nos, quum eligere non volumus, vel non possumus, in aliquod vitæ genus impellit. Ed.—*objecerit,* gravius pro: obtulerit. — *laudet diversa sequentes;* nota hic aliquid usitatæ constructioni non omnino consentaneum; non enim *nemo,* verbi *vivat* nominativus, posteriori verbo *laudet* nominativus dari potest; sed illa vox *nemo* ita disjungatur *omnis homo non;* et illa sit phraseos distributio: qui fit ut omnis homo illa sorte quam, etc. non vivat contentus, sed contra omnis homo laudet sequentes diversa? Scilicet *si* vox *nemo,* verbo *laudet* pro nominativo detur, quod e solita explicandi ratione in promptu esset, loci sensus omnino alius, vel etiam absurdus videbitur. Ed.— *diversa,* alia; sub. studia. Ed.

Digitized by Google

« O fortunati mercatores! » gravis annis
Miles ait, multo jam fractus membra labore.
Contra mercator, navem jactantibus Austris :
« Militia est potior. Quid enim? Concurritur : horæ
« Momento, cita mors venit, aut victoria læta. »
Agricolam laudat juris legumque peritus,
Sub galli cantum consultor ubi ostia pulsat.
Ille, datis vadibus qui rure extractus in urbem est,

4. *Gravis annis.... multo jam fractus membra labore,* qui jam sentit venientis senectutis molestiam, et virium multo labore exhaustarum defectum. Vir quidam doctus in Diario Trevoltiensi an. 1715, mens. Jun. conjiciebat : *gravis armis,* quæ quidem lectio plures defensores nacta est; in iis quoque est Wolfius. At mihi antiqua lectio *annis* et simplicior, et verbis sequentibus *multo jam fractus membra labore* accommodatior videtur. Græce, βαρὺς ἐνιαυτοῖς.— *fractus membra,* græce, ut Od. I, I, 21 : « stratus membra. » Ed.

6. *Navem jactantibus Austris;* tunc scilicet conditionem suam mercator detestatur, quum horrenda tempestate in summum vitæ discrimen adducitur. De Austri violentia vid. lib. I, Od. III, 14. Ed.—*Quid enim? Concurritur,* nota rapidissimam verborum dispositionem, sententiæ mire accommodatam. Quis enim non videt quam rapide ac vivide mercatoris menti occurrere debeant alienæ cujusvis conditionis commoda, dum ea fit tempestatis violentia, ut jamjam sit pereundum? Ed. — *cita mors venit, aut vict. læta;* animadverte ut mercator, suam sortem perosus, militaris conditionis incommoda attenuet, commoda autem amplificet; quasi in bello non nisi mors citissima vel læta victoria sit, nec vulnera, fames, labores et multa alia extimescenda sint; sed quid ista omnia mercatori per tempestatem mortis metu laboranti? Ed.

10. *Consultor,* qui consulit juris legumque peritum; hic v. 17, dicitur *consultus,* h. e. qui de jure respondet. — *Sub galli cantum,* sub gallicinium, quod mediam noctem excipit. — Hanc mane de jure respondendi consuetudinem infra expressam reperias, Epist. II, 1, 103 : « Romæ dulce diu fuit et solemne, reclusa Mane domo vigilare, clienti promere jura. » Ed.

11. *Ille, datis vadibus,* etc. Ruricola, qui agros et labores suos relinquere cogitur, ut Romæ in judicium veniat, etc. Ed. — *datis vadibus;* in judicium vocatus; is enim, quem vadabatur accusator, debebat promittere vadimonium, h. e. *vades* (obsides, sponsores) *dare,* qui præsentiam in jus vocati sua fide et suo periculo præstarent; *vades* non in capitis tantum causis, sed, æque ac *prædes,* in causis quoque privatis uti hoc loco. (Vid. Ernest. in Clav. Cic. s. v. *vas.*) Ita

Digitized by Google

Solos felices viventes clamat in urbe.
Cetera de genere hoc, adeo sunt multa, loquacem
Delassare valent Fabium. Ne te morer, audi
Quo rem deducam: si quis Deus, « En ego, dicat,
« Jam faciam quod vultis; eris tu, qui modo miles,
« Mercator; tu, consultus modo, rusticus: hinc vos,
« Vos hinc mutatis discedite partibus.... Eia!
« Quid statis?.... » Nolint.... Atqui licet esse beatis.
Quid causæ est, merito quin illis Juppiter ambas
Iratus buccas inflet, neque se fore posthac
Tam facilem dicat, votis ut præbeat aurem?
Præterea, ne sic, ut qui jocularia, ridens
Percurram, (quamquam ridentem dicere verum

ruricolæ Romam venire necesse erat, ut sponsores quos pro se dederat, sua ante judices præsentia liberaret. Ed. — *Solos felices*, etc. Agricola aratrum, agros et opera imperfecta relinquere coactus, felicissimos eos reputat, qui, in urbe degentes, ante tribunal stare, nec tempore amisso, nec neglectis negotiis possunt. Ed.

13. *Cetera de genere hoc*, principium versus Lucretiani IV, 594. — *Fabium*, quicumque demum ille fuerit, sive philosophus, sive jurisconsultus, poeta jam eum ut hominem loquacem ridet; idem fortasse fuit, de quo sub fin. Sat. seq. « Fabio vel judice vincam. » — *ne te morer*, etc. ne te diutius detineam, audi quo tendam, nempe ad describenda hominum, nunquam sorte sua contentorum, ingenia.

16 *Jam faciam quod vultis*, jam vota vestra exaudiam. Ed. — *mutatis partibus*, sc. quas adhuc in vita egistis, pro vulgari: mutata vitæ conditione. — *eia! Quid statis;* rapida verborum successio; quasi deus istos homines jam conditionem mutare dubitantes increpet. Ed. — *Nolint*, illi scilicet oblatam mutationem recusabunt, et tum suæ conditionis omnia commoda vividius sentient, quum eam pro aliena jam relicturi erunt. Al. *nolunt*. Ed. — *licet esse beatis*, græce pro: licet eos esse beatos; sic Sat. I, 2, 51: « *munifico* esse licet; » 4, 39: « dederim quibus esse *poetis;* » 6, 25: « fierique *tribuno*. » A. P. 372. « mediocribus esse *poetis*. »

20. *Quid causæ est... quin:* quidni, nonne merito Juppiter *illis*, h. e. ob illorum, modo aliquid appetentium, modo idem recusantium, inconstantiam. — *ambas Irat. buc. inflet*, qui ira exardescunt, buccas inflare solent; ridicule igitur exprimitur hac locutione imago irascentis.

23. *Præterea, ne*, etc. ceterum, ne

Digitized by Google

Quid vetat? ut pueris olim dant crustula blandi
Doctores, elementa velint ut discere prima;)
Sed tamen amoto quæramus seria ludo.
Ille, gravem duro terram qui vertit aratro,
Perfidus hic caupo, miles, nautæque per omne
Audaces mare qui currunt, hac mente laborem
Sese ferre, senes ut in otia tuta recedant,
Aiunt, quum sibi sint congesta cibaria; sicut

more eorum, qui res ludicras et jocosas ridendo percurrunt, ego quoque hanc rem seriam ridens percurram.— *ridendo dicere verum Quid vetat?* Nemo sane dulcius ac solertius ridendo mores correxit quam Horatius; unde Persius Sat. I, 116: «Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico Tangit, et admissus circum præcordia ludit.» Ed. — *dant crust. blandi Doctores;* operæ pretium erit huc fere adsimilem Lucretii locum afferre; lib. IV, 11: « Nam veluti pueris absinthia tetra medentes Quum dare conantur, prius oras pocula circum Contingunt mellis dulci flavoque liquore, Ut puerorum ætas improvida ludificetur Labrorum tenus, » etc. Ed. — *olim*, in comparationibus passim de rebus, quæ factæ sunt, et porro ita fieri solent; nonnunquam; inf. Epist. I, 10, 42: « Ut calceus *olim*. » Virg. Æn. VIII, 391 sq. « Non secus atque *olim*, tonitru quum rupta corusco Ignea rima micans percurrit lumine nimbos. »

27. *Sed tamen;* hæ particulæ, ut simpliciter *sed, igitur,* eleganter post longiorem parenthesin interruptam orationem excipiunt; exempla Ciceroniana dedit Ernesti in Clav. Cic. s. v. *sed.* Oratio sibi respondet sic: cetcrum, ne videamur ridicula tractare velle, amoto ludo quæramus seria.

28. *Ille, gravem duro.... aratro,* elegans descriptio *rustici.—Perfidus hic caupo,* repetit poeta homines *diversa sequentes,* sed pro *legum jurisque peritis,* ne carperet et elevaret eorum studia, vel quia jurisconsulti non lucri, sed honoris et utilitatis causa de jure respondebant, prudenter posuit *caupones,* qui lucri faciendi et ditescendi gratia *perfide* homines, ad se divertentes, circumvenire solent, dum, parvo lucro intenti, merces, quas vendunt, corrumpunt, v. c. vinum aqua miscentes, etc. Sic *caupones maligni* infr. Sat. I, 5, 4, et sic καπηλεύειν apud Græcos.— *miles,* qui laborem in bello perfert, tam prædæ, quam agrorum post facta stipendia accipiendorum spe plenus. — *nautæque,* et mercatores; supra in Od. II, 13, 14: « navita Pœnus, » mercator Phœnicius. Sic Epod. 16, 61: « Sidonii nautæ. » — *quum,* postquam. — *cibaria,* quibus alimur.— *congesta,* accommodate ad exemplum *formicæ,* quæ in hiemale tempus mira sedulitate atque prudentia alimenta *congerit:* ex simplice sententia: « cibaria congesta more for-

Digitized by Google

Parvula (nam exemplo est) magni formica laboris
Ore trahit quodcumque potest, atque addit acervo,
Quem struit, haud ignara ac non incauta futuri.
Quæ, simul inversum contristat Aquarius annum,
Non usquam prorepit, et illis utitur ante
Quæsitis sapiens; quum te neque fervidus æstus
Dimoveat lucro, nec hiems, ignis, mare, ferrum,
Nil obstet tibi, dum ne sit te ditior alter.
Quid juvat immensum te argenti pondus et auri
Furtim defossa timidum deponere terra?

micæ, » enati sunt tres versus elegantissimi.

33. *Nam exemplo est*, sc. magno, quo rebus suis prospicit, labore. Hæc tria verba poetæ sunt, dum tres versus, qui e formica ductam comparationem continent, ab istis hominibus dicuntur. Ed. — *magni laboris*, suaviter per antithesin formicæ *parvulæ* tribuitur labor *magnus*. — *Ore trahit.* Plin. Hist. Nat. lib. XI, c. 30 : « gerunt ea onera morsu, majora aversæ postremis pedibus moliuntur, humeris obnixæ. » Ed.— *non inc. futuri;* similiter Virg. Æn. IV, v. 402 : « ingentem formicæ farris acervum, Quum populant, *hiemis memores* tectoque reponunt. » Ed.

36. *Quæ, simul inversum*, etc. Hic refert poeta : at eadem, simul ac sol in Aquarium transit, et tempus, quo annus circumactus est, pluviosum et triste reddit; pro simplice : tempus hiemale. — *annum inversum*, h. e. exactum; donec annus cursum suum peragit, dicitur *vertens;* quando cursum suum exegit, dicitur *inversus*. Schol. Porphyr. « Maxime sole in Aquario constituto tempestates horrendæ et frigora ingentia solent esse. Sol autem transit in Aquarium XVII Calend. Febr. in eo est diebus triginta usque ad XVII Cal. Mart. » — *Aquarius*, gall. *le verseau*. Ed.— *contristat*, tristem per pluvias et obscuritatem facit. Sic Virg. G. III, 278. « ...aut unde nigerrimus Auster Nascitur, et pluvio contristat frigore cælum. Ed. — *Non usquam prorepit*, foras jam non exit, domi se continet. Ed.— *et illis utit. ante Quæsitis sapiens*, et illis, quæ ante congessit, ut animal sapiens, pro : sapienter hieme fruitur. Jam transfert poeta exemplum formicæ ad avarorum stultitiam; congerunt quidem avari, sicuti formica, divitias, sed iis non utuntur. Formica igitur homine avaro est sapientior. — *hiems*, frigus. — *ignis, mare, ferrum*, de rebus violentis, quæ perniciem intentant. — *Nil obstet tibi*, etc. Ne multa! quum nullo omnino periculo a divitiis concervandis te deterreri patiaris, modo nemo, qui te ditior sit, reperiatur; id est, quum omnia pericula adire non dubites, ut nemo opibus te superet. Ed.

42. *Defossa*, explicant *effossa*, et

Digitized by Google

Quod, si comminuas, vilem redigatur ad assem.
At, ni id fit, quid habet pulchri constructus acervus?
Millia frumenti tua triverit area centum,
Non tuus hoc capiet venter plus, ac meus; ut si
Reticulum panis venales inter onusto
Forte vehas humero, nihilo plus accipias, quam
Qui nil portarit. Vel dic, quid referat intra
Naturæ fines viventi, jugera centum, an
Mille aret? — At suave est, ex magno tollere acervo.

laudant *defossos specus* apud Virg. Georg. III, 376, proprie enim non *terra*, sed *aurum* sub terra *defodi* dicitur. An *defossa*, ut in multis aliis locis, non ad nomen, cui adjectum est, sed ad nomen vicinum referri debet? ut in Satir. seq. v. 29, vox *subsuta* non ad *veste*, sed ad *instita* referenda est; et sic *auri pondus defossum deponere* erit: defossum reponere, seponere, recondere, vel simpliciter pro: *defodere*. — *timidum*, accommodate ad ingenium hominis avari qui semper opibus timet. — *Quod, si comminuas*, sicilicet ideo avari opes suas terra recondunt, quia si quid vel minimum ab iis detraherent, eas jam ad nihilum redactas putarent. Ed.

44. *Ni id fit*, nisi opibus utaris, nisi eas vitæ necessitatibus impendas, quid utilis aut pulchri in ipsis reperias? Ed. — *Millia frumenti*, etc. Quamvis centum millia modiorum frumenti terantur in area tua, ob hoc tamen (ob hanc tamen copiam) non plus venter tuus, quam meus, capiet; *frumenta*, quæ terebantur in area, h. e. in agro, ubi ad terendas fruges area facta est; cf. supr. ad Od. I, 1, 10; jam *ipsa area terere* dicitur. Tibull. I, 5, 22: « Area dum messes sole calente teret. » Virgil. Georg. I, 192: « Nequidquam pingues palea teret area culmos. » — *hoc*, pro: ob hoc, ideo, passim apud Nostrum. Sat. I, 2, 81; Sat. I, 3, 93; Sat. I, 4, 9; 6, 41 et 52, et 67; 9, 8. — *Reticulum*, mantica sive pera, ex reti contexta. — *venales inter*, mos Romanis erat, ut, quum itinera susciperent, portandum servis panem darent; *venalis* hic pro quolibet servo ponitur, qua tamen voce vulgo significabatur servus emptus, dum *verna* dicebatur, qui domi natus erat. Ed. — *nihilo plus accipias*, cuique enim servo suus per diem cibus assignabatur (gall. *une ration*). Ed.

50. *Viventi*, vix locus, puto, idoneus ex scriptore aliquo, qui Horatii ætate vixit, afferri poterit, ubi impersonali *refert* junctus sit dativus. Fuerunt igitur, qui *viventi* mutarent in *viventis*. Quæ tamen lectio non satis codicibus confirmatur. — *intra Naturæ fines*, id est, iis contentus quæ natura postulat, nec ea desiderat quæ extra naturæ necessitates sunt. Ed. — *At suave est*, etc. Hic ava-

Digitized by Google

— Dum ex parvo nobis tantumdem haurire relinquas,
Cur tua plus laudes cumeris granaria nostris?
Ut, tibi si sit opus liquidi non amplius urna,
Vel cyatho, et dicas: Magno de flumine mallem,
Quam ex hoc fonticulo, tantumdem sumere. Eo fit,
Plenior ut si quos delectet copia justo,
Cum ripa simul avulsos ferat Aufidus acer:
At qui tantuli eget, quanto est opus, is neque limo
Turbatam haurit aquam, neque vitam amittit in undis.
At bona pars hominum, decepta cupidine falso,
Nil satis est, inquit; quia tanti, quantum habeas, sis.
Quid facias illi? jubeas miserum esse, libenter

rus objicit: at mihi suavius est ex magno acervo haurire. Ed.

52. *Tantumd. haur.* tollere, promere; reponit Horatius confutando. —*cumeris.* Schol. Acr. *Cumeram* dicimus vas ingens vimineum, in quo frumenta condantur. Sic ipse alibi (Epist. I, 7, 30). Sive *cumeræ* dicuntur vasa fictilia, similia doliis, ubi frumentum suum reponebant agricolæ. Tertio *cumeræ* dicuntur *vasa minora, quæ capiunt quinque sive sex modios,* quæ lingua Sabinorum *trimodiæ* dicuntur.—*granaria,* sunt vasta horrea, ubi grana servantur; sic magna avari horrea parvæ moderati hominis cumeræ opponuntur. Ed.

54. *Liquidi* (liquoris, aquæ) *urna,* ut infr. Sat. I, 3, 91: *urna,* vas aquarium. — *cyatho,* jam de vase aquario minore; si spectes mensuram, *urna* continebat quatuor congios; *congius* sex sextarios; sextarius duodecim *cyathos.* — *ex hoc,* ante pedes manante.

56. *Eo fit,* etc. Sensus: hinc fit, ut ii, qui parvo fonte non contenti, ex magno flumine, qualis est Aufidus, haurire malint, hujus fluctibus abrepti in aqua pereant, h. e. ut ii, qui, parvis non contenti, ampliora et largiora usque appetunt, hujus insatiabilis cupiditatis pœnas luant.—*ferat,* auferat, abripiat. — *Aufidus acer,* rapidus in Apulia fluvius, nunc *Ofanto;* supr. Od. III, 30, 10, dicitur *violens,* et Od. IV, 14, 25, *tauriformis.*

61. *At bona pars hominum,* etc. At bona pars hominum non ideo opes congerit, quod auri acervo delectetur, sed quia ex opibus pendet ceterorum æstimatio. Ed.—*cupid. falso,* cupidine falsæ laudis; laus enim vera in virtute posita est, in hominum autem opinione non nisi falsa. Ed. — *quia tanti, quantum hab. sis,* quia, quanta tibi divitiarum possessio, tanta tui sit æstimatio, s. quantum bonorum possideas, tantum tibi statuatur pretii. Antiquus poeta in Senecæ epist. 116: « ubique tanti quisque, quantum habuit, fuit. » Ed.—*Quid facias*

Digitized by Google

Quatenus id facit: ut quidam memoratur Athenis
Sordidus ac dives populi contemnere voces
Sic solitus: « Populus me sibilat, at mihi plaudo
« Ipse domi, simul ac nummos contemplor in arca. »
Tantalus a labris sitiens fugientia captat
Flumina.... quid rides? mutato nomine, de te
Fabula narratur: congestis undique saccis
Indormis inhians, et tamquam parcere sacris
Cogeris, aut pictis tamquam gaudere tabellis.
Nescis quo valeat nummus? quem præbeat usum?

illi? quomodo illi succurras? — *jubeas miserum esse*, etc. Sine, quæso, cum miserum esse, quoniam eum ita agere et proinde miserum esse juvat. — *Quatenus*, quandoquidem, quoniam. Od. III, 24, 30: « *quatenus*, heu nefas! virtutem incolumem odimus. » — *quidam memor. Athenis*, homines, qualis hic Athenis fuisse narratur, ubique gentium reperiuntur. Respexit igitur fortasse poeta, ut putat Heindorfius, Romanum aliquem nobiliorem, quem, satis notum omnibus, invidiæ evitandæ causa nominare noluit. — *Populus me sibilat*, ille sane non laudem opibus obtinebat, sed dum sua culpa miser et ideo deridendus ceteris videretur, sese divitiarum aspectu solabatur. Ed.

68. *Tantalus a labris*, etc. Tu, qui nummos in arca tantum contemplaris, nec usum inde capis, idem fere facis, quod apud inferos Tantalus, qui sitiens aquam, a labris refugientem captat. — *quid rides?* Quid ad Tantali notam fabulam rides? Ed. — *mutato nomine*, etc. Enimvero ea, quæ de Tantalo finguntur, si nomen tuum cum Tantali nomine mutaveris, egregie in te quadrant; quemadmodum enim ille videbat quidem ante ora aquam, nec tamen eam hauriebat, ita tu nummos, tanquam pictas tabulas, contemplaris, nec usum ex iis capis. — *undique*, ex omnibus locis et omnibus modis, per fas et nefas. Ed. — *Indormis*, avarus scilicet metuens ne fur opes eripiat, iis incubat et indormit. De avaro Lucilius Frag. lib. VI, initio: « Bulgam, et quidquid habet nummorum, secum habet ipse: Cum bulga cœnat, dormit, lavit: omnis in una Spes hominis bulga, hac devincta est cetera vita. » Ed. — *inhians* κεχηνώς)..... *inhiare* dicuntur, qui hiante quasi ore (h. e. summa cupiditate) alicui rei imminent, toto animo in aliqua re defixi sunt. — *sacris*; res sacras sacerdotes tantum modo tangere, nihil autem ex iis detrahere valebant. Ed. — *pictis tanquam gaudere tabellis*; pictæ scilicet tabulæ sedulo servantur, respiciendæ tantum, non autem tangendæ. Ed.

73. *Nescis quo valeat nummus?* An nescis quo spectet nummi vis et

Digitized by Google

Panis ematur, olus, vini sextarius : adde,
Queis humana sibi doleat natura negatis.
An vigilare metu exanimem, noctesque diesque
Formidare malos fures, incendia, servos,
Ne te compilent fugientes, hoc juvat? horum
Semper ego optarim pauperrimus esse bonorum.
At si condoluit tentatum frigore corpus,
Aut alius casus lecto te affixit, habes qui
Assideat, fomenta paret, medicum roget, ut te
Suscitet ac reddat natis carisque propinquis?
Non uxor salvum te vult, non filius, omnes
Vicini oderunt, noti, pueri atque puellæ.

pretium? h. e. cui rei adhibendus sit nummus? *valere* non simpliciter est spectare, sed exprimit simul vim, quam res, quæ aliquo spectat, habet. — *vini sextar.* modica vini mensura apprime cœnæ ex pane et oleribus accommodata. Ed. — *adde, Queis humana sibi dol. nat. neg.* adde alia, quibus natura humana ægre nec sine dolore careat. Respicit ea, quæ ad corporis voluptatem et ad alia, quæ natura postulat, pertinent. — *natura humana*, appetitus cuique homini a natura insitus.

76. *Vigilare metu exanimem*, somnum præ metu amittere. Ed. — *Ne te compilent fugientes*, ne servi aufugiant tuas opes auferentes. *Compilare* a verbo græco πιλεῖν, *stipare*, densare; fures scilicet quo res facilius ferant, eas coacervant, et in minimum fascem redigunt. Omnis ille metus eorum proprius est, qui thesauros reconditos habent; unde gallicus fabularum scriptor, in lib. VIII, fab. 2, de sutore qui centum nummos a divite accepit: « Du moment qu'il gagna ce qui cause nos peines, Le sommeil quitta son logis; Il eut pour hôtes les soucis, Les soupçons, les alarmes vaines. Tout le jour il avait l'œil au guet; et la nuit, Si quelque chat faisait du bruit, Le chat prenait l'argent. » Ed. — *horum bonorum*, ejusmodi bonorum, quæ tantas curas injiciunt eorum possessoribus.

80. *At si*, hæc objicit avarus. — *tentatum*, corpus, quod invadit et occupat morbus, tentari morbo dicitur; ut infr. Sat. III, lib. II: « ...renes morbo tentantur acuto. » Ed. — *frigore*, quo agitari et corripi solent ægroti, h. e. febri. — *lecto te affixit*, jam hic non de febri, sed de graviore et longiore morbo agitur, quæ ægrotantem lecto detinet et quasi alligat. Ed. — *Assideat*, prope lectum sedeat, cuilibet ægri necessitati intentus. Ed. — *fomenta*, omnia remedia. Ed. — *Suscitet*, reficiat et morbo liberet. Ed. — *Non uxor salvum te vult*, respondet poeta. Ed.

Digitized by Google

Miraris, quum tu argento post omnia ponas,
Si nemo præstet, quem non mercaris, amorem?
At si cognatos nullo natura labore
Quos tibi dat retinere velis, servareque amicos;
Infelix operam perdas, ut si quis asellum
In campo doceat parentem currere frænis!
Denique sit finis quærendi; quumque habeas plus,
Pauperiem metuas minus, et finire laborem
Incipias, parto quod avebas; ne facias, quod
Ummidius, qui, tam (non longa est fabula) dives,
Ut metiretur nummos, ita sordidus, ut se
Non unquam servo melius vestiret: ad usque
Supremum tempus, ne se penuria victus
Opprimeret, metuebat. At hunc liberta securi
Divisit medium fortissima Tyndaridarum.

88. *At si cognatos*, etc. Ordinant et explicant alii hoc modo: at si retinere velis cognatos quos natura tibi dat nullo tuo labore; multo autem melior et sensu pollentior ordo videtur: si retinere velis nullo labore, nihil agendo, nihil de avaritia tua ergo eos remittendo, cognatos quos natura tibi dat. Alii, *at si; an qui; at qui*: mire vexatus varia lectione locus. Ed. — *Infelix operam perdas*, profecto id æque vano et infelici studio *tentes* velisque, ac si quis, etc. — *si quis asellum In campo*, vel Martio, vel quolibet. Asellus scilicet natura sua indocilis, minime fræno paret, nec nisi fuste ducitur. Ed.

92. *Quærendi*, quærendarum divitiarum. — *quumque habeas plus*, quum habeas plusquam necesse est. Ed. — *metuas minus*, desine metuere. Ed. — *Ummidius quidam*, famosissimus sine dubio Romæ avarus, illo tempore. Ed. — *dives ut metiretur*, adeo dives, ut nummos non jam numerare posset, sed metiretur. Ed. — *Ne se penuria victus Opprimeret, metuebat*, ex avarorum more, qui satis nunquam habere sibi videantur. Ed. — *laborem*, in colligendis divitiis positum. — *parto*, sc. eo.

99. *Liberta*, quam uxoris loco habuisse videtur Ummidius. — *fortissima Tyndaridarum*, altera Clytæmnestra (quod maritum suum Agamemnonem occidit), fortissima omnium liberorum Tyndari. — *Tyndaridarum*, genere quidem masculino, ut observat Bentleius, sed utriusque sexus liberos, tam filias quam filios, complectente. — *Divisit medium*, pro vulgari: *percussit*.

Digitized by Google

—Quid mi igitur suades, ut vivam Mœnius, aut sic
Ut Nomentanus? — Pergis pugnantia secum
Frontibus adversis componere? non ego, avarum
Quum veto te fieri, vappam jubeo ac nebulonem.
Est inter Tanaim quiddam socerumque Viselli.
Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos ultra citraque nequit consistere rectum.
Illuc, unde abii, redeo. Nemone ut avarus
Se probet, at potius laudet diversa sequentes?

101. *Quid mi igitur suades?* inquit avarus. — *ut vivam Mœnius, aut sic, Ut Nomentanus.* suadesne mihi, ut ego, sicuti Mœnius, vel Nomentanus vivam? vita luxuriosa homines isti bona sua abligurierant; fuerunt igitur nepotes, nequam, vel ut Horatius eos v. 104, appellat, *vappæ, nebulones.* — Pro *Mœnius* alii legunt *Nævius;* sed *Mœnium* malim, quum de ipso infra lib. I, Epist. 15, v. 26: « Mœnius ut rebus maternis atque paternis Fortiter absumtis. » De eodem cf. Sat. I, 3, 4, et de *Nomentano* Sat. I, 8, 11; Sat. II, 1, 22; Sat. II, 3, 224. Ed. — *Pergis pugn. secum Front. adv. componere?* Jam respondet poeta. Pergis componere res, quarum altera alteri contraria est; *avaris* enim oppositi sunt *prodigi.* — *Frontibus adversis,* comparantur avari et prodigi cum gladiatoribus vel tauris, qui, dum inter se pugnant, adversis frontibus se invicem petunt.

104. *Vappam; vappa,* vitium vini (nam *vappa* proprie de corrupto vino dicitur) transfertur ad vitium hominis, qui bona sua turpiter profundit; est igitur jam *vappa* homo prodigus, homo nequam. — *nebulonem; nebulo* de *nebulis,* ut *tenebrio* de *tenebris;* perditi scilicet pravis cupiditatibus homines non nisi tenebras amant. Ed. — *Est inter Tanaim,* etc. Poeta affert exemplum duorum hominum ignota nunc nomina, quorum alter alteri, sicuti avaro prodigus, opponitur. Inde apparet sane utrumque contrario vitio laborasse. — *Est modus in rebus;* sententia hæc propter et veritatem et brevitatem in proverbium transiit. Ed. — *Denique;* alii explicant: ut paucis me expediam; cum majore autem vi verbum *denique* cum verbo *fines* jungendum mihi videtur, hoc scilicet sensu: sunt certi fines, quibus denique detineamur. Ed. — *rectum,* τὸ ὀρθόν, quod ad certam normam recti fit.

108. *Illuc, unde abii, redeo,* ad sententiam scilicet in carminis limine positam: « neminem sua sorte contentum vivere, sed quemque diversa sequentes laudare. » — *Nemone ut avarus,* etc. Nemo igitur, sicut avarus, iis, quæ habet contentus sit; et quisque eos, quibus diversa est vitæ conditio, laudet, *tabescatque,* quod, etc. — *Se probet,* laudet suam sortem.

Digitized by Google

Quodque aliena capella gerat distentius uber,
Tabescat? neque se majori pauperiorum
Turbæ comparet? hunc atque hunc superare laboret?
Sic festinanti semper locupletior obstat:
Ut, quum carceribus missos rapit ungula currus,
Instat equis auriga suos vincentibus, illum
Præteritum temnens extremos inter euntem.
Inde fit, ut raro, qui se vixisse beatum
Dicat, et exacto contentus tempore vitæ
Cedat, uti conviva satur, reperire queamus.

—*laudet,* in hoc loco idem notabimus quod supra de eodem verbo in huj. Satir. versu 3, ubi vide. Ed.—*Quodq. aliena gerat,* etc. Quod alius majorem lactis copiam, numerosiores pecudes, fertiliores agros habeat, etc. Ed. — *majori pauperiorum Turbæ comparet,* hoc enim ad vitæ felicitatem refert, ut non te feliciores sed miseriores respicias; ideo Seneca Epist. 15: « subinde itaque, Lucili, quam multa sis consequutus recordare. Quum aspexeris quot te antecedant, cogita quot sequantur. Si vis gratus esse adversus Deos, et adversus vitam tuam, cogita quam multos antecesseris. » Ed.

113. *Sic festinanti,* etc. Sensus et nexus: Hoc studio et hac cupiditate majores usque divitias appetenti semper obstat alius, qui illo sit locupletior; huic igitur instat, sicuti auriga in ludis circensibus equis instat, jam prævectis, nihil curans a tergo relictos. —Versus hujus comparationis a ludis circensibus translatæ, sunt elegantissimi, et sic passim in Satiris Horatii versus occurrunt epici poetæ sublimitate et numeris dignissimi; e. c. Sat. I, 3, 9 et 10, et 73, 74; Sat. II, 1, 14 et 15; Sat. II, 3, 136; Sat. II, 8, 78; Epist. I, 7, 3-14. — *carceribus,* loco in circo, unde equi, sublatis repagulis, emittuntur ad spectacula.

119. *Ut conviva satur,* hanc sententiam mutuatus est poeta a Lucretii lib. III, v. 953: « Cur non ut plenus vitæ conviva recedis? » Post utrumque Fontanius lib. VIII, Fab. 1: « ...Je voudrais qu'à cet âge On sortît de la vie ainsi que d'un banquet, Remerciant son hôte.... » Ed.

120. *Crispini; Crispinus* philosophus et poeta ineptus (Sat. I, 3, 139) et garrulus, de quo schol. Acron. et Cruq. « philosophi cujusdam loquacissimi nomen, qui ἀρετάλογος (virtutis concionator) dictus est; scripsit etiam versus de Secta Stoica. »—Sed qui fit, ut Horatius, qui semetipsum Sat. I, 3, 30 et 49 ad *lippos* refert, Crispinum, ut hominem *lippum,* carpat? Multa et mira de hac re disputata sunt ab interpretibus. Equidem puto, Horatium, contemtim ab adver-

Digitized by Google

Jam satis est: ne me Crispini scrinia lippi 120
Compilasse putes, verbum non amplius addam.

sariis *poetam lippum* appellatum, hoc ridiculum convicii genus, a corporis vitio petitum, in eos, quos contemnebat, salse regessisse. *Lippitudo* autem æque ac *cæcitas* transfertur ad animum; hinc infra Sat. I, 3, 25: « lippus mala sua inunctis oculis pervidere » dicitur; et apud Persium, Sat. V, 76. Ed. — *scrinia*, capsula qua libri et chartæ abdebantur. Ed.

Analysis. Hujusce Satiræ initio secum quærit poeta quæ causa sit cur tantæ inconstantiæ sint homines, ut sua conditione nunquam contenti, alienam semper sibi concupiscant; tantæ autem levitatis, ut oblatam mutationem repudient. Hunc autem animum hominibus ideo esse ait poeta, quod parta nunquam satis habeant, et semper majores divitias parare velint. Vitam scilicet laboribus consumunt parandisque opibus, quibus, ut aiunt, otiosam senectutem ducant; et nihil unquam e suis thesauris ad vitæ felicitatem detrahunt. Quis autem est auri fructus, nisi illo utatur? aut quorsum tantæ divitiæ, quum multo minores ad vitam felicem satis sint? non plus scilicet manducat qui mille jugera possidet, quam qui centum; nec minus ex fonte, quam ex flumine, aquæ poculum haurit. Nec magis divitiæ quærendæ sunt, ut ab aliis æstimemur; avarus enim a populo ridetur, et pro gloria nihil nisi ærumnas habet: cuncta sibi negat, nulla re fruitur; semper opibus metuit; semper fures, et servos timet. Avaritia etiam repelluntur amici et propinqui. Ne tamen, ut avaritiam fugiamus, prodigi ac nebulones fiamus; mediam viam sequamur: in medio vera sapientia est. Qui autem, nunquam contentus sua conditione se divitioribus semper comparat, eosque studet superare, usque ad mortem invidia et miseriis laborabit. Ed.—Hujus Satiræ, in qua hominum levitas atque inconstantia carpuntur, summa ac præceptum est, ut quisque sorte sua lætus sapienter vivat. Quod documentum adeo verum habuit Horatius, ut illud, jam in Odis sæpissime expressum, in Satiris etiam et Epistolis frequentissime recurrens reperiamus. — Hic notandum, Satiram adversus homines nunquam sua sorte contentos et avaros, ad Mæcenatem qui, licet apud Augustum multum valeret, usque ad mortem tamen in privata conditione permansit, equitis Romani hereditaria dignitate contentus, et semper opibus magnifice usus est, non sine ingenioso prorsus ac decenti laudandi modo scriptam esse: sic primam Odarum, Epodon, et Epistolarum solemniter eidem amico dedicavit. Ed.

Digitized by Google

SATIRA II.

Homines, dum vitant vitia, in contraria currunt; hinc poeta pravos suæ ætatis circa adulteria mores insectatur.

Ambubajarum collegia, pharmacopolæ,
Mendici, mimæ, balatrones, hoc genus omne
Mœstum ac sollicitum est cantoris morte Tigelli.
Quippe benignus erat. Contra hic, ne prodigus esse
Dicatur, metuens, inopi dare nolit amico,
Frigus quo duramque famem propellere possit.

1. *Ambubajarum.* — Schol. Acr. « Ambubajæ dicuntur mulieres tibicines Syrorum; etenim lingua eorum tibia sive symphonia *ambubaja* (secundum alios: *abub*, *anbub*, fistula) dicitur. » Fuerunt mulieres circumforaneæ, victum sibi quærentes tam instrumenta musica tractando, quam se ipsas libidinosis venales offerendo. — *collegia*, cœtus, turbæ, a *colligere*. — *pharmacopolæ*, medicinas et unguenta vendentes; Romæ et in Græcia vilissimi. Ed. — *Mendici*, ad mendicos, jam non proprie ita dictos, referunt Isiacos ac Gallos, sacerdotes Cybeles, præstigiatores et alios ejusmodi generis homines, quorum professio parum a mendicitate abest. — *mimæ*, saltatrices motibus inconditis et impudicis risum excitantes. Ed. — *balatrones*; infr. Sat. II, 8, 22: « Servilius scurra » vocatur *balatro*; quo quidem cognomine notari videntur homines, qui, postquam bona sua perdiderunt, scurrilitate, dicacitate et humili adulatione gratiam ejus, a quo alerentur, captasse videntur. Vid. Ersch. *Encyclop.* V, tom. VII: Schol. Acr. et Cruq. « hos luxuriosos et perditos vocat a Servilio *Balatrone*, cujus in secundo lib. Sat. (8, 21) meminit; ex hujus autem nomine similis vitæ homines *balatrones* sunt appellati, a balatu *fortasse* dicti, quæ vox intorta est et ridicula, » etc. — *cantoris... Tigelli.* — *Hermogenes Tigellius*, Sardus, libertinus, celebris modulator et musicus; Schol. Acr. « Mutato nomine per invidiam *cantorem* pro *musico* obtrectatorie dicit. Fuit autem modulator optimus, in Sardinia natus; is carmina Horatii negabat satis perite modulata, et idcirco carpitur ab illo. » Cf. Sat. I, 4, 72; et 10, 90.

4. *Benignus*, liberalis. — *hic*, alius ut v. 7, 41, 44, et supr. Od. I, 1, 7, et sæpe alibi.

Digitized by Google

Hunc si perconteris, avi cur atque parentis
Præclaram ingrata stringat malus ingluvie rem,
Omnia conductis coemens obsonia nummis:
Sordidus atque animi quod parvi nolit haberi,
Respondet: laudatur ab his, culpatur ab illis.
Fufidius vappæ famam timet ac nebulonis,
Dives agris, dives positis in fœnore nummis,
Quinas hic capiti mercedes exsecat, atque
Quanto perditior quisque est, tanto acrius urget.
Nomina sectatur modo sumta veste virili

8. *Præclaram rem stringat ingluvie.* Præclari patrimonii copias, tanquam arboris frondes, destringat h. e. perdat, absumat luxuria. — *ingrata,* alii referunt ad ingrati animi nepotem vel filium, qui, quod accepit a parentibus, ingrato erga eos animo profundit; alii autem volunt ingluviem *ingratam* dici, quod ex illa voluptate nihil supersit et omnia momento perdantur; posteriorem illum sensum non improbaverim. Ed.—*conductis,* fœnore a creditore acceptis; *creditor,* locat, *debitor* pro mercede sive usuris conducit pecuniam. — *obsonia,* cibaria, dapes. — *parvi animi,* quasi, qui parce vivit, pusillum, prodigus vero magnum animum ostendat. — *ab his,* ab aliis; *ab illis,* ab aliis.

12. *Fufidius,* avarus fœnerator. — *vappæ,* cf. ad Sat I, 1, 104. — *dives agris,* licet agros optimos ac latissimos habeat. Ed. — *positis in fœnore nummis,* sortibus fœnori datis; de locutione: *pecuniam in fœnore ponere* pro: fœnori dare, vid. supr. ad Hor. Epod. 2, 70.

14. *Quinas hic,* etc. Hic unoquoque mense pro sorte fœnori data quinas mercedes, sive usuras extorquet... Apud Romanos æque atque apud Græcos sortes a calendis cujusque mensis usque ad sequentis mensis calendas fœnori dari solebant; pro centum nummis vulgo usura, sive merces unoquoque mense fuit unus nummus; uno igitur anno duodecim nummi; sed Fufidius, fœnerator sordidissimus et impudentissimus, unoquoque mense quinas usuras, uno anno igitur pro centum nummis sexaginta nummos *exsecabat; exsecare* positum aliis videtur pro extorquere, extundere, exprimere. Alii *capiti mercedes exsecat* explicant: sorti, dum eam debitori tradit, usuras statim detrahit, deducit; sed, si hoc voluisset Horatius, pro *exsecat,* puto, scripsisset *desecat:* quam explicationem potius acceperim. Ed. — *Quanto perditior,* etc. Quanto quisque est nequior et ad opes perdendas proclivior, tanto acrius lucri faciendi gratia ei instat.

16. *Nomina tironum,* etc. Ambit ac studet in primis fœnerari tironi-

Digitized by Google

Sub patribus duris tironum. Maxime, quis non,
Juppiter, exclamat, simul atque audivit? At in se
Pro quæstu sumtum facit? Hic vix credere possis,
Quam sibi non sit amicus; ita ut pater ille, Terenti
Fabula quem miserum nato vixisse fugato
Inducit, non se pejus cruciaverit atque hic.
Si quis nunc quærat: quo res hæc pertinet? illuc:
Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.
Malthinus tunicis demissis ambulat; est qui

bus, amat debita tironum, id est, adolescentium, qui nuper sumpsere vestem virilem, qui nondum satis habeant experientiæ ac prudentiæ, ut sibi a malis fœneratorum artibus caveant. Ed. — *Nomina*, vox ea sæpe sumitur pro ære alieno, quia debitores nomen suum scribunt in syngrapha, in codice argentarii. Ed. — *veste virili*, sumebatur anno 17, quo deponebatur prætexta; ea veste sumta, adolescentes libertate frui et sumptibus indulgere incipiebant. Ed. — *Sub patribus duris;* duri enim patres nihil natorum cupiditatibus concedunt; et quo severius adolescentes tractati fuere, eo effrænatius in libidines semel liberi irrumpunt. Ed.

18. *Maxime, quis non*, etc. Ordo est: quis non exclamat, simul atque audivit hæc: maxime Juppiter. — *At in se*, etc. dicet aliquis. — *in se*, in vitæ suæ fructum et jucunditatem. — *Pro quæstu sumtum*, pro largo quæstu largum sumtum. — *Hic;* nos hoc pronomen sequentibus verbis junximus; alii autem præcedentibus isto modo: sumptum facit hic. Vix credere possis, etc. nonnulli etiam a prioribus posterioribusque disjungunt, et ipsi punctum interrogans postponunt, quasi ironice et interroganter Horatius responderet. Hæc omnia ad sensum parum. Ed. — *pater ille*, Menedemus scilicet, in Terentii comœdia, cui titulus *Heautontimorumenos;* qui quum sui causa filium fugisse credat, parcissimam et miserrimam vitam ducit. Ed.

25. *Malthinus*. Jam exempla hominum, qui medium tenere non didicerunt, profert. — *Malthinus* tunica ad talos usque demissa incedit; alius tunica ad femur usque adstricta se, ut hominem facetum, conspiciendum præbet. Fuerunt, in quibus quoque est *Heindorfius*, qui Horatium, notando vitium Malthini, Mæcenatem, qui nonnunquam *discinctus* incesserit, oblique notasse autumarent. Sed quis adduci potest, ut credat, Horatium inter homines, quos producit, ridiculos, simul dulce decus suum et præsidium, Mæcenatem, ut hominem ridiculum tecte designare voluisse? — *ambulat; ambulare*, ut *incedere*, *viam metiri* de iis qui incessu dignitatem affectant; cf. supr. ad Epod.

Digitized by Google

Inguen ad obscœnum subductis usque facetus.
Pastillos Rufillus olet, Gorgonius hircum.
Nil medium est. Sunt, qui nolint tetigisse nisi illas,
Quarum subsuta talos tegat instita veste;
Contra alius nullam, nisi olente in fornice stantem.
Qiudam notus homo quum exiret fornice, « Macte
« Virtute esto, inquit sententia dia Catonis;
« Nam simul ac venas inflavit tetra libido,
« Huc juvenes æquum est descendere, non alienas

4, 5. — *facetus*, ridiculus, vel *facetus* explica : dum hominis faceti et venusti speciem præ se ferre vult. Inter longiorem brevioremque tunicam media ac decens hæc erat quæ paulum infra genua descenderet. Unde Quintilianus, lib. XI, c. 3 : « cui lati clavi jus non erit, ita cingatur, ut tunicæ prioribus oris infra genua paulum, posterioribus ad medios poplites usque perveniant; nam infra mulierum est; supra centurionum. » Ed. — *Pastillos*, unguentorum odores, pilulas unguentarias. Cf. Martial. I, 88. — *hircum*, fœdum odorem, qualis sub alis emittitur; cf. Epod. 12, 3. Rufillus mollitie, Gorgonius squalore tunc notissimi. Cf. infr. Sat. 4, 92. Ed.

28. *Nisi illas, Quarum subsuta talos tegat inst. veste*, nisi matronas, quæ a vestitu circumscribuntur; matronæ enim gerebant tunicam, ad talos usque porrectam, cui adsuta fuit instita, h. e. fascia, limbus. — *subsuta*, quod adjunctum est τῷ *veste*, ad *instita* est referendum. — *nisi olente in fornice stantem*, nisi prostibulum. — *fornice stantem*; sæpius apud optimos quosque poetas vocalis brevis in vocis alicujus fine, sequentibus duabus vel tribus consonantibus in proxima voce, haud producitur; sic apud Nostrum in hac ipsa Satira, infr. v. 71 : « velatumque stola. » Sat. I, 5, 35 : « præmia scribæ, » etc.

31. *Quidam notus homo*, etc. Schol. Acr. et Cruq. « *Notus homo*, honestus et nobilis. Catone transeunte, quidam exit de fornice; quem quum fugeret, laudavit et revocavit; postea, quum frequentius eum exeuntem ex eodem lupanari vidisset, dixisse fertur : Adolescens, ego te laudavi, tanquam huc interdum venires, non tanquam hic habitares. » — *Macte* (explicant pro : magis aucte) *virtute esto*, nota formula, apud Livium præcipue sæpius obvia, qua, qui rem aliquam bene gesserunt, cum laude appellantur, et eam porro bene gerere jubentur; nos : *Bravo*. — *sententia dia Catonis*, pro Cato, ut apud Lucilium : « Valeri sententia dia. » Exempla de hoc loquendi genere collegit Lambinus supra ad Od. III, 5, 13. — *venas inflavit*, obscœna expressio : ad venerem impulit. Ed. — *Huc*, in fornices. — *descendere*, erant enim fornices, ut observant interpre-

Digitized by Google

« Permolere uxores. » — « Nolim laudarier, inquit, Sic me, » mirator cunni Cupiennius albi.

Audire est operæ pretium, procedere recte
Qui mœchis non vultis, ut omni parte laborent,
Utque illis multo corrupta dolore voluptas,
Atque hæc rara cadat dura inter sæpe pericla.
Hic se præcipitem tecto dedit; ille flagellis
Ad mortem cæsus; fugiens hic decidit acrem
Prædonum in turbam; dedit hic pro corpore nummos;
Hunc perminxerunt calones; quin etiam illud
Accidit, ut cuidam testes caudamque salacem

tes, cameratæ cellæ in ædium loco depresso et inferiore. — *Permolere*, vox quæ idem sonat ac subagitare. Ed.

35. *Nolim laudar.... sic me;* nolim easdem laudes ob eamdem causam a Catone mereri. Ed. — *cunni albi*, impudice et ad ingenium illius ætatis pro : matronæ alba stola indutæ ; nam *meretrices*, ut animadvertit Schol. Cruq. « habebant nigram vestem. »

37. *Audire est*, etc. Sensus : Operæ pretium est vos audire, qui non vultis rem iis, qui libidinem suam apud uxores explere cupiunt, bene procedere, quomodo (*ut*) omni parte se male habeant, et quomodo voluptas multo dolore perturbata, et ea ipsa rara, inter dura sæpe pericula, illis (*cadat*) contingat. Horatius jam in re levi facete imitatus est gravitatem Ennii, cujus versus vetus Scholiastes profert hos : « Audire est operæ pretium, procedere recte Qui rem Romanam Latiumque augescere vultis. »

41. *Hic se præcipitem tecto dedit*; facilior hæc et in promptu est adulteris deprensis via, ut per fenestras se dent præcipites, et vitæ discrimine maritorum ultionem effugiant. Ed. — *Ille flag. Ad mortem cæsus;* Valerius Maximus de quodam C. Gallio : « Deprehensum in adulterio Sempronius Musca flagellis cecidit. » Ed. — *fugiens hic decidit acrem Præd. in turbam;* adulter scilicet, inermis ac semivestitus facilis vagantibus noctu furibus præda erat. Ed. — *pro corpore*, ne ad mortem flagellis cæderetur, vel pœnam experiretur, quæ in v. 45 commemoratur; infr. Sat. II, 7, 67, de adultero : « dominoque furenti Committis rem omnem et vitam et *cum corpore* famam. »

44. *Perminxerunt*, pædicarunt. — *calones*, proprie, ut docet Festus, servi militum, dicti ita, quia ligneas clavas gerebant, quas Græci κῶλα vocant. Sed inter servos domesticos quoque ii, qui ligno ferendo et aliis ministeriis humilioribus adhibebantur, appellati sunt *calones*, ut hoc loco et Sat. I, 6, 103; Epist. I, 14, 42. — *testes caudamque..... Demeteret ferrum;* ut castrarentur quidam. —

Digitized by Google

Demeteret ferrum.... Jure omnes: Galba negabat.
Tutior at quanto merx est in classe secunda!
Libertinarum dico, Sallustius in quas
Non minus insanit, quam qui mœchatur. At hic si
Qua res, qua ratio suaderet, quaque modeste
Munifico esse licet, vellet bonus atque benignus
Esse; daret quantum satis esset, nec sibi damno
Dedecorique foret; verum hoc se amplectitur uno,
Hoc amat, hoc laudat: « matronam nullam ego tango. »
Ut quondam Marsæus, amator Originis ille,
Qui patrium mimæ donat fundumque laremque,
« Nil fuerit mi, inquit, cum uxoribus unquam alienis. »
Verum est cum mimis, est cum meretricibus, unde

salacem, incontinentem.—*Jure omnes,* omnes id factum esse jure aiebant; sed *Galba* negabat. Galbam, ex nobili fortasse gente Sulpicia ortum, ut adulterum, vel certe adulterorum patronum hic notasse videtur Horatius.

47. *Tutior at quanto merx;* merx non hic sumenda, ut nonnulli male volunt, pro pretio, quæstu quem libertinæ corpore faciunt; sed pro voluptate quam amatores, absque periculo, percipiunt. Ed. — *classe sec.* scilicet post matronas adulteras, ponit Noster libertinas, quas demum sequuntur meretrices. Ed.—*Sallustius in quas Non minus,* etc. Sententiarum est nexus: tutior quidem est libertinarum commercium, at cum iis etiam Sallustius fortunas suas omnes perdit, ac sibi nocet, non minus ac si matronas sectaretur; adeo libidinis furore fertur! Ed.—*Sallustius,* ille idem, ut videtur, Crispus Sallustius, ad quem scripta est Od. secunda libri secundi; ubi vid. Analys.

49. *At;* hoc verbum in hoc loco idem sonat ac *scilicet.* Ed.—*Qua res, qua ratio suaderet,* quantum fortuna et sensus permitterent. Ed.—*Munifico,* pro munificum. Ed.—*bonus atque benignus,* liberalis. Ed.—*daret quantum satis esset,* inter modum, non profuse sed liberaliter. Ed.—*damno,* perdendo bona.—*Dedecori,* perdendo bonam famam.—*hoc se amplect. uno,* hoc uno libidinis genere sibi placet; v. 54.—*hoc amat,* huic uni libidinis generi indulget. — *hoc laudat,* hoc unum libidinis genus extollit, dum ait: « Matronam nullam ego tango. »

55. *Originis,* fuerunt illo tempore Romæ tres nobilissimæ mimæ et meretrices: *Origo, Citheris* (sive *Licoris*) et *Arbuscula;* vid. *Serv.* ad Virg. Eclog. X, 2. —*fundum,* agros suos. Ed.—*laremque,* paternam domum, in qua lares domestici incole-

Digitized by Google

Fama malum gravius, quam res trahit. An tibi abunde
Personam satis est, non illud, quidquid ubique
Officit, evitare? Bonam deperdere famam,
Rem patris oblimare, malum est ubicumque: quid inter-
Est, in matrona, ancilla, peccesne togata?
Villius in Fausta Sullæ gener, hoc miser uno
Nomine deceptus, pœnas dedit usque superque
Quam satis est, pugnis cæsus ferroque petitus,
Exclusus fore, quum Longarenus foret intus.

hant, quam ideo perdere turpe erat. Ed.—*unde*, a quarum commercio. Ed. —*Fama mal. gravius;* famæ scilicet jactura et reparari nequit, et difficilius quam rei damnum fertur. Ed.

59. *An tibi abunde Personam*, etc. Constructio est: an satis abunde tibi est evitare personam (id est personam cujus commercium vitæ ac fortunæ periculosissimum esset) et non evitare illud quidquid ubique officit (id est alias personas quæ certe famæ et rei nocent). Qui scilicet matronam, in qua peccare possit, evitat, at in libertina, quam sectatur, peccat, is non rem ipsam, non illud, quod ubique damno et dedecori est, sed personam tantum evitat, personæ tantum, non rei discrimen facit; per *personam* jam designatur *matrona*. *Matrona* est persona honesta, libertina est persona minus honesta. — *ubique*, in quaque persona i. e. muliere.—*Rem patris* (patrimonium) *oblimare*, limo obducere, in limum et cœnum quasi abjicere, uti fere *dilapidare* pro: turpiter profundere ubicumque, ex quacumque rei et famæ damnum eveniat. Ed. — *quid interest*, etc. Ergo peccas; nam eodem redit, utrum in matrona, an in ancilla vel meretrice pecces. Matrona scilicet primæ classis, ancilla vel libertina secundæ, tertiæ autem togata, h. e. meretrix. Meretrices scilicet longam vestem gestare cogebantur, quæ hominum togæ persimilis erat et eodem nomine significabatur. Ed.

64. *Villius in Fausta*, etc. Non Villius, sed T. Annius Milo, ex Cicerone satis notus, Faustæ maritus, et proinde Sullæ, patris Faustæ, gener fuit. Sed Villius, idem fortasse *Sextus Villius*, quem Cicero (Ep. ad Fam. II, 6) ad Milonis amicos refert, quum esset unus adulterorum, quos Fausta, mulier libidinosa, admittere solebat, *gener* quodammodo Sullæ, qui ejus filiam Faustam uxoris loco habebat in adulterio, vel videri voluit, vel jocose ita appellatus est. Idem tamen hoc nomine generi Sullæ, vel hac gloriola, se quodammodo generum Sullæ esse, misere deceptus est. Nam quum aliquando intrare vellet domum Faustæ, cui jam aderat alius adulter, Longarenus, tunc foribus exclusus, pugnis cæsus, ferroque petitus est.—*in Fausta*, in libidinis fructu cum Fausta. —*pœnas dedit*, scilicet gloriolæ suæ.

Digitized by Google

Huic si mutonis verbis mala tanta videntis
Diceret hæc animus : « Quid vis tibi? numquid ego a te
« Magno prognatum deposco consule cunnum,
« Velatumque stola, mea quum conferbuit ira? »
Quid responderet? « Magno patre nata puella est. »
At quanto meliora monet pugnantiaque istis
Dives opis natura suæ, si tu modo recte
Dispensare velis, ac non fugienda petendis
Immiscere! Tuo vitio rerumne labores,
Nil referre putas? quare, ne pœniteat te;
Desine matronas sectarier, unde laboris

Ed. — *usque superque Quam satis est*, usque eo, donec satis superque est. — *fore* pro vulgariore : *foribus ;* exempla, ubi *foris* in singulari ponitur, vide in Lexicis.

68. *Huic si*, etc. Ordo est : si animus mutonis (mentulæ) tanta mala videntis, diceret huic (Villio) verbis hæc ; pro vulgari : quod si muto, tantorum malorum testis, hunc Villium alloqueretur his verbis : *Quid*, etc. Nota inexspectatam illam ac lepidissimam sane prosopopœiam, qua jam mentulæ dantur oculi, ut mala Villii videat ; animus, ut de istis malis cogitet et causam eorum cognoscat ; vox denique ut herum alloquatur et increpet, et a se verberum et vulnerum culpam amoveat. Ed. — *magno cons.* Sulla scilicet dictator, proscriptionibus famosus. Vix est ut moneam quam salse dicta hæc : « cunnus prognatus magno consule, » pro simplice : nobilis matrona. Ed. — *Velatumq. stola;* stola enim matronarum vestis erat. Ed. — *mea quum conferbuit ira?* quum incendor libidine. Ed.

72. *Quid responderet*, Villius scilicet tali interpellatione sane perturbatus. Ed. — *Magno patre*, etc. Villii hæc est responsio. Ed. — *puella*, Fausta, uxor Milonis ; *puella* et *virgo* passim de uxoribus, vid. supr. ad Od. III, 14, 10. — *Dives opis nat. suæ*, at quanto meliora et istis contraria suadet natura, satis per se dives, h. e. satis puellas pulchritudine et leporibus exornans, ut accitis ornamentis, fortunæ scilicet donis non indigeant. Ed. — *si tu modo*, etc. Dum tu recte iis naturæ opibus frui scias, nec misceas ea quæ fugienda sunt, rebus quæ sine periculo peti possunt. Ed.

76. *Tuo vitio*, etc. Num parum interesse putas, utrum tibi ipsi, qui fugienda petis, an rebus, quas tibi oblatas contemnis, culpa tribuenda sit? Suo autem, non rerum vitio, laborabat Villius, qui res per se amœnas et ad voluptatem natura paratas negligens, pulchritudinem scilicet et lepores, in amandis puellis nobilitatem generis expetebat. Ed. — *vitio*, culpa, ut passim. — *ne pœniteat te*,

Digitized by Google

Plus haurire mali est, quam ex re decerpere fructus.
Nec magis huic, niveos inter viridesque lapillos,
Sit licet hoc, Cerinthe, tuum, tenerum est femur, aut crus
Rectius, atque etiam melius persæpe togatæ est.
Adde huc, quod mercem sine fucis gestat; aperte,
Quod venale habet, ostendit; nec, si quid honesti est,
Jactat habetque palam; quærit, quo turpia celet.
Regibus hic mos est, ubi equos mercantur, opertos
Inspiciunt, ne, si facies, ut sæpe, decora

supr. v. 37 seqq. dixit Noster quoties in insectandis matronis sit pœnitendi locus. Ed.— *unde*, a quibus.

79. *Est*, licet, datur.— *ex re*, cujus copia datur.— *Nec magis huic*, etc. Nonnulli doctissimi interpretes cum Bentleio, in v. 81 *tuo* pro *tuum* legunt, ita hunc locum explicantes: nec huic femur, quamvis sit lapillis adornatum, magis tenerum ideo erit tuo femore, o Cerinthe. Nos autem veterem retinentes lectionem, cum Dacerio sic explicabimus: nec huic (matronæ) femur inter niveos viridesque lapillos, h. e. unionibus et smaragdis circumdatum, magis tenerum erit, aut crus rectius, licet hoc sit tuum ingenium, Cerinthe, licet ea sit natura tua ut mulier armillis et margaritis adornata, tibi pulchrior videatur. Multa passim apud Tibullum reperies de hoc Cerintho, qui adeo pulcher et decorus fuit, ut ab omnibus puellis amaretur. Ed. — *crus Rectius*, crurum ea est pulchritudo, ut recta et teretia sint. Vid. Od. II, 4, 21. Ed. — *atque etiam persæpe togatæ*, sæpe etiam magis tenerum femur, ac crus rectius habet meretrix. Vid. supr. ad v. 63, de hoc verbo *togata*. Ed.

83. *Mercem*, venustatis lenocinia; apte hoc de feminis quæ corpore quæstum faciunt. Ed. — *sine fucis*, sine externis ornamentis vitiosum aliquid celantibus. Ed.—*aperte, Quod venale habet, ostendit*, meretrix scilicet se totam, absque dissimulatione, offert.— *Venale* bene respondet voci *merx*. Ed.—*nec, si quid honesti*, etc. Variæ sunt hujus loci interpretationes; mihi autem hæc simplicior ac in promptu visa est: neque meretrix matronas imitatur, quæ jactant ac palam offerunt quidquid honesti (pulchri) habent, dum contra celant turpia; sed pariter honesta et turpia ostendit. Ed.

86. *Regibus hic mos est*, etc. sententiarum nexus hic fere est: Qui matronas sectantur, externa earum specie non raro se decipi patiuntur; prudentius agunt potentiores; hi, ubi equos mercantur, ne externam eorum speciem, decoram faciem, pulchras clunes, breve caput, arduam cervicem contemplando ab iis, quæ in iis vitiosa sunt, observandis avertantur, *equos* velamentis *opertos* emere solent. Dacerius et Faber; *apertos*. Ed. — *si facies*,.... *decora Molli*

Digitized by Google

Molli fulta pede est, emtorem inducat hiantem,
Quod pulchræ clunes, breve quod caput, ardua cervix:
Hoc illi recte: ne corporis optima Lynceis
Contemplere oculis, Hypsea cæcior, illa
Quæ mala sunt, spectes! O crus! o brachia! Verum
Depygis, nasuta, brevi latere ac pede longo est.
Matronæ præter faciem nil cernere possis,
Cetera, ni Catia est, demissa veste tegentis.
Si interdicta petes, vallo circumdata (nam te
Hoc facit insanum), multæ tibi tum officient res,

fulta pede est, pro vulgari: si facies decora et pes mollis est. Vulgo interpretes *pedem mollem* referunt ad equorum vitia, ut *pes mollis* sit: imbecillis, infirmus; nescio autem an non rectius ad equorum laudem, quia in pulchro equo vel maxime placet pes *mollis*, h. e. tenuis, et proinde agilior, flexibilior. Sic de saltantibus *membra mollia* apud Lucret. IV, 977, et *brachia mollia* apud Ovid. Art. Am. I, 598. Immo apud Virgilium quoque Georg. III, 75, *crura mollia* ad laudem generosi equi referuntur. — *Regibus*, ditioribus.

90. *Hoc illi recte*, scil. faciunt; et hoc tibi exemplo esse potest, ne in contemplandis corporis partibus pulchrioribus Lynceo sis oculatior; at in illis, quæ fœda sunt, Hypsea cæcior. — *Lyncæus*, filius Apharei, Argonautarum unus, ita valuisse traditur oculis, ut eorum acie loca remotissima, immo Orcum, assequi posset. — *Hypsea*, mulier, cæcitate tum temporis nota. — *O crus, o brachia!* primo matronæ alicujus adspectu exclamas. Observabatur Horatio Epigr. Philodemi XXI, Analect. 16, p. 88-106. — *Depygis* (ἀπυγος), quæ est, ut Horat. loquitur supr. Epod. VIII, 5, « aridis natibus. » Quanti in hac parte pulchritudinem æstimaverint veteres indicat hoc Veneris cognomen Καλλίπυγος, quæ pulchras nates habet. Ed. — *nasuta*, nimis longo naso deformis. — *brevi latere*, quod nos dicimus: *la taille courte*. Ed. — *pede longo*; quis nescit quantum ad pulchritudinem conferat in muliere pedis exiguitas? Ovid. Am. III, 3, 7: « Pes erat exiguus: pedis est artissima forma. » Ed.

94. *Matronæ*, etc. Sensus: apud matronam præter faciem externam nihil tibi cernere licet; matronæ enim, nisi qua similis est Catiæ, matronæ impudicissimæ, *veste demissa*, h. e. stola (ut dicitur in v. 99) ad talos demissa, cetera tegunt. Catia fœdæ libidinis matrona fuit, quæ, stola non demissa, sed sursum tracta, pellicere studebat libidinosos. — *Si interdicta petes*, si petis res celatas. — *vallo*, stola, tanquam vallo. — *Hoc*, obstaculum. Ea enim est humani ingenii natura, ut obstaculis incendatur,

Digitized by Google

Custodes, lectica, ciniflones, parasitæ,
Ad talos stola demissa et circumdata palla;
Plurima, quæ invideant pure apparere tibi rem.
Altera nil obstat; Cois tibi pæne videre est
Ut nudam; ne crure malo, ne sit pede turpi;
Metiri possis oculo latus. An tibi mavis
Insidias fieri, pretiumque avellier, ante
Quam mercem ostendi? « Leporem venator ut alta
« In nive sectatur, positum sic tangere nolit; »

et multo vividius res absconditas ac remotas desideret. Ed.

98. *Custodes,* fuerunt plerumque eunuchi, qui matronis custodiendis et observandis addi solebant; vid. quos laudat Heindorf. — *lectica,* intercluse enim ab aditu fuerunt matronæ, quum in lectica a lecticariis vel quatuor, vel sex, vel octo (*octophoris*), portarentur. Cf. Catul. X, 16 et 20. — *ciniflones,* qui crispabant matronarum crines, dicti ita, quia ad calamistra calefacienda prunas sub cinere flando suscitabant; hinc appellati sunt etiam *cinerarii.* — *parasitæ,* ergo matronis quoque assidere solebant mulierculæ, quæ garrulitate sua earum gratiam captare, et sic illas liberales erga se reddere studebant. — *rem,* omnem corporis formam.

101. *Altera nil obstat,* altera nihil offendiculi tibi objicit; sive, ut explicant: quod ad alteram attinet, in ea nihil tibi obstat. — *Cois,* etc. Junge: *est* (licet, ἔστιν ἰδεῖν) *tibi videre* (libertinam) *pæne ut nudam Cois,* pro: in Cois vestibus, bombycinis, et ob tenuitatem admodum pellucidis; Tibull. II, 3, 53: « Illa gerit vestes tenues, quas femina Coa Texuit, auratas disposuitque vias; » ubi vid. Interpretes. Ovid. Art. Am. II, 298: « Sive erit in Cois, Coa decere puta. » — *ne crure malo,* nec quum eam nudam videas, postea crus malum, aut pedem turpem invenies. Ed. — *Metiri,* judicare solo aspectu. Ed. — *Insidias fieri,* te decipi. — *pretiumque avellier, ante Quam mercem ostendi,* pretium a te solvi, priusquam mercem videris et judicaveris quanti valeat. Hoc apud nos dicitur vulgari proverbio: « Acheter chat en poche. » Ed.

105. Poeta sententiam: « ea, quæ facile haberi possint, vulgo contemni, ea vero, quæ non sine difficultate haberi possint, cupide appeti » per cantilenam, tum satis notam, a Callimacho in Epigr. XXXIII, relatam, exprimit. Qui matronas sectatur, « cantat, *ut* (quomodo) *venator leporem in alta nive sectatur, positum sic* (leporem in medio vel ante pedes cubantem) *tangere nolit;* et apponit: *huic* (venatori) *similis est meus* (matronarum) *amor,* etc. » Apud Callimachum l. c. « Κοὐμὸς ἔρως τοιόσδε· τὰ μὲν φεύγοντα διώκειν Οἶδε, τὰ δ' ἐν μέσσῳ κείμενα παρπέταται. » — *sic,* bene

Digitized by Google

Cantat, et apponit: « Meus est amor huic similis; nam
« Transvolat in medio posita, et fugientia captat. »
Hiscine versiculis speras tibi posse dolores
Atque æstus curasque graves e pectore tolli?
Nonne, cupidinibus statuat natura modum quem,
Quid latura, sibi quid sit dolitura negatum,
Quærere plus prodest et inane abscindere soldo?
Num tibi, quum fauces urit sitis, aurea quæris
Pocula? num esuriens fastidis omnia præter
Pavonem rhombumque? tument tibi quum inguina, num, si
Ancilla, aut verna est præsto puer, impetus in quem
Continuo fiat, malis tentigine rumpi?
Non ego; namque parabilem amo Venerem facilemque.

respondet voci *ut;* hæ duæ scilicet voces duo phraseos membra jungunt ut apud Callimach. supra τὰ μὲν... τὰ δὲ. Ed.—*positum,* non fugientem, sed jacentem; quod nos: *en forme.* Ed.— *Cantat,* per notam hanc cantilenam respondet. Ed. — *apponit,* adjicit. — *Transvolat in medio posita,* contemnit ea quæ facilius parantur. Ed. — *fugientia captat,* exquirit ea quæ fugiunt. Ed.

109. *Hiscine versiculis,* respondet poeta amatori, siscitaturque an in hac cantilena, ut levem responsionem, sic etiam dolorum et curarum medicinam inveniet; deinde eum ad meliores sensus tentat reducere. Ed.—*Nonne?* Sensus: nonne utilius est quærere, quem modum natura in explendis cupiditatibus tenendum præscribat? quid illa sibi negatum latura, quid sibi negatum sine dolore non latura sit, sive: quibus ferendis natura par, quibus ferendis impar futura sit, et vana atque inania a solidioribus distinguere? — *inane abscind. soldo,* secernere quod inane est ab eo quod necessarium est. Ed. — *soldo,* pro *solido.*

114. *Aurea quæris Pocula;* de hoc loco Seneca Epist. 120: « Egregie Horatius negat ad sitim pertinere quo poculo aquâ, aut quam eleganti manu ministretur. » Ed. — *Pavonem,* pavones scilicet Romanis in deliciis fuere. Ed. — *rhombum;* gall. *un turbot.* Ed.— *tument tibi quum ing.* quum mentula erigitur libidine. Ed. *verna puer,* servus domi natus. — *impetus in quem Continuo fiat,* qui et prope sit, et explendæ libidini tuæ, quippe servus, paratus sit. Ed. — *malis tentigine rumpi,* occidi nimia distentione membri virilis. Ed.— *parabilem amo Venerem facilemque;* Venerem h. e. voluptatem quæ su-

Digitized by Google

Illam : « Post paulo; sed pluris; si exierit vir, »
Gallis; hanc, Philodemus ait, sibi, quæ neque magno
Stet pretio; neque cunctetur, quum est jussa venire.
Candida rectaque sit, munda hactenus, ut neque longa,
Nec magis alba velit, quam det natura, videri.
Hæc ubi supposuit dextro corpus mihi lævum,
Ilia et Egeria est; do nomen quodlibet illi.
Nec vereor, ne, dum futuo, vir rure recurrat,
Janua frangatur, latret canis, undique magno
Pulsa domus strepitu resonet, vepallida lecto
Desiliat mulier, miseram se conscia clamet,

blata et mora et difficultate paretur. Facilius intelligitur quam explicatur hujus versus lepos ac venustas. Ed.

120. *Illam*, etc. Sensus : Illam mulierculam, quæ moras nectat dicendo : « paulo post te admittam; sed affer, quæso, quod pluris sit pretii; veni, si vir exierit, » Gallis (sacerdotibus Cybeles, qui, quia erant evirati, moram illam ferre possent) expetendam esse, at hanc, quæ neque, etc. se sibi expetere, Philodemus ait. Editum est a *Reiskio*, et post eum a Brunckio, Epigramma Philodemi, quod plures (in quibus est etiam *Heindorfius*) ab Horatio expressum esse putarunt. Sed illud a recentiore quodam homine ex hoc ipso Horatii loco, perperam intellecto, effictum et Philodemo per fraudem tributum esse, docuit *Jacobsius* in *Wolfii* Analect. vol. I, p. 357.

123. *Candida*, etc. Alba sit colore et erecta corpore, hactenus tamen externi cultus et elegantiæ studiosa, ut sibi caveat, ne præter naturam aut nimis alba (cerussæ usu), aut nimis longa (crepidarum suppositarum, ut observat vetus Schol. et apparet ex hoc versu Juvenalis Sat. VI, 505 : « ...breviorque videtur Virgine pygmæa, nullis adjuta cothurnis. ») videri velit. — *recta*, erecta; sic *homines recti* apud Catull. X, 20; not.

125. *Hæc ubi supposuit*, etc. Ubi in meis est complexibus. Ed. — *Ilia et Egeria est*, altera mihi quasi est Ilia vel Egeria, h. e. æque mihi cara est, ac nobilissima quæque mulier; *Ilia*, Rhea Sylvia, mater Romuli et Remi; *Egeria*, nympha, quacum nocturnos congressus sibi esse simulabat Numa. — *do nomen*, do illi nomen cujuslibet mulieris celeberrimæ, aut etiam alicujus deæ. Ed.

127. *Nec vereor;* verentur enim semper qui matronas sectantur. Ed. — *vir rure recurrat*, aliquid fortasse de uxoris impudicitia suspicans. Ed. — *Janua frangatur*, janua, scilicet intus ab uxore et adultero clausa, a viro redeunte frangitur. Ed. — *ve-*

Digitized by Google

Cruribus hæc metuat, doti deprensa; egomet mi.
Discincta tunica fugiendum est ac pede nudo,
Ne nummi pereant, aut pyga, aut denique fama.
Deprendi miserum est; Fabio vel judice vincam.

pallida, male pallida, ut *vesanus* et alia. — *conscia*, sc. furti. Schol. Cruq. « ancilla conciliatrix adulterii et conscia suæ dominæ. »

131. *Hæc*, ancilla. — *metuat cruribus*, metuat, ne crura compedibus innectantur. — *Doti deprensa*, conjuges in adulterio deprehensæ timere debebant de dote, quam secundum leges perdebant adulteræ. — *egomet mi*, supra v. 37 sqq. dictum est quid deprensis adulteris timendum esset. Ed.

133. *Ne nummi pereant*, supr. v. 43 : « dedit hic pro corpore nummos. » — *Pyga*, nates; hoc refer ad v. 44 : « hunc perminxerunt calones... » Ed. — *denique*, pro : saltem vel insuper. — *Fabio vel judice vinc.* id miserum esse evincam et probabo vel Fabio judice. Schol. Cruq. « Satis urbane notat Fabium jurisconsultum aliquando in adulterio deprehensum fuisse. » Fortasse idem Fabius, quem poeta supr. Sat. I, 1, 13, ut *hominem loquacem* ridet. Si verum est, quod ibi observavit vetus Scholiastes, hunc Fabium aliquot libros, ad philosophiam Stoicorum pertinentes, scripsisse, lepide Horatius Fabium, vel Stoicum, concessurum ait, sortem deprehensi adulteri miserrimam esse. Stoici enim summum quemque dolorem æquo animo ferendum esse docebant. — *vincam*, in hac causa dicenda victor ero. Ed.

Analysis. Incipit Horatius querendo quod humanus animus in medio stare nesciat, et fere omnes, dum quædam vitia fugere volunt, in contraria incurrant. Ille scilicet avari nomen metuens, fit prodigus; hic, ne dicatur nebulo, omnia sibi negat et misere vivit. Alter non nisi matronas amando sectatur, alter lupanaria tantum colit. Hinc, occasione sumpta, pravos ætatis suæ mores increpat Horatius, Romanosque tentat ab adulteriis avertere, propositis omnibus damnis quæ inde oriantur; suadetque ut libertinarum, quæ nec omnino perditæ sunt, ut meretrices, nec damna inferunt, ut matronæ, amore contenti sint. Quot enim deprenso adultero pericula imminent! pecuniæ et famæ jactura, ictus, mors denique. Nonnulli, matronas fugientes, et libertinorum tantum amori indulgentes, adeo libidine hac insaniunt, ut cum iis famam et fortunam perdant; quæ non minor sane stultitia est. Stultior etiam qui matronas, propter earum nobilitatem et divitias, sectatur; hæc enim non ad pulchritudinem pertinent, nihilque ad voluptatem conferunt. Sæpe etiam pretiosa ornamenta ac divitiarum apparatus mulierum celant vitia, dum contra in libertinis nihil vetat, quin omnia uno aspectu judices.

Digitized by Google

Aliquot homines tamen quæque obvia temnentes, matronas, propter ipsas difficultates, anteponunt. Quanto melius autem non ea exquirere quæ natura non poscit, nec, quum sitis urit, pocula aurea quærere. Multo sane præferenda est voluptas quæ facile parari potest: dum mulier venusta sit, nobilissimas matronas superat; nec cum ea sunt metuenda, mala omnia quæ adulteris imminent, omnemque voluptatem intercipiunt. Ed.

SATIRA III.

Amicorum vitia leniter ferenda; neque omnia, in quibus peccant amici, ad vivum resecanda esse.

Omnibus hoc vitium est cantoribus, inter amicos
Ut nunquam inducant animum cantare rogati;
Injussi nunquam desistant. Sardus habebat
Ille Tigellius hoc. Cæsar, qui cogere posset,
Si peteret per amicitiam patris atque suam, non 5
Quicquam proficeret; si collibuisset, ab ovo

1. *Cantoribus*, de musicis in universum, sive fidibus sive voce canentibus. Cf. ad Sat. I, 2, 3.

4. *Ille*, per emphasin, ut recte observat Schol. Cruq. nam *Tigellius* vere tum nobilis fuit tam arte musica, quam gratia et amicitia adeo apud Augustum et liberalitate apud populum; cf. ad Sat. I, 2, 3. — *Sardus*, e Sardinia ortus, non Sardus nomine, ut putat Dacerius. Ed. — *hoc*, sc. vitium. — *Cæsar*, Octavianus, qui ab Horatio in iis carminibus, quæ scripsit, antequam Octavianus nomen Augusti assumpserat (U. C. DCCXXVII), simpliciter *Cæsar* appellatur. — *qui posset*, potuisset. — *Si pet.* pro: petebat. — *proficeret* pro: proficiebat; (εἰ αἰτήσατο, οὐκ ἂν τύχοι) ratio grammatica, ex qua nonnunquam apud optimos quosque scriptores conjunctivus pro indicativo ponitur, vix perspicue satis doceri potest. — *patris*, Julii Cæsaris, cujus adoptatus filius fuit Octavianus.

6. *Si collibuisset*, si Tigellio placeret. Ed. — *ab ovo Usque ad mala*, ab initio usque ad finem; translatum a satis noto more Romanorum, apud quos in principio conviviorum *ova*, in fine *mala* apponebantur; pro *citaret*, ex conjectura dedit Bentleius: *iteraret*; sed *citare*, si jam est (frequentativum a *ciere*) frequenter ciere, et proinde *repetere*, eodem redit. Gesnerus in hanc rem laudavit locum Ciceronis Orat. I, 59, ubi est: « pæanem citare. » Similiter fere dicitur « carmen movere; » Virgil. Æn. X, 163: « cantusque movete; » Ovid.

Digitized by Google

Usque ad mala citaret, Io Bacche! modo summa
Voce, modo hac, resonat quæ chordis quattuor, ima.
Nil æquale homini fuit illi: sæpe velut qui
Currebat, fugiens hostem; persæpe velut qui
Junonis sacra ferret: habebat sæpe ducentos,
Sæpe decem servos. Modo reges atque tetrarchas,
Omnia magna loquens, modo: « Sit mihi mensa tripes, et

Met. XIV, 21: « carmen ore move sacro. » — *Io Bacche!* prima verba carminis inter cœnandum (ut ex verbis *ab ovo usque ad mala* colligas) decantati. Jam ex primis verbis notum hoc carmen tum fuit omnibus. Veteres autem, sicut nos, tota carmina verbis primis indicare et laudare solebant. Sic Virgilius in Eclog. V, 86, Eclogam secundam per prima ejus verba: « Formosum Corydon ardebat Alexin, » et tertiam per: « Cujum pecus? an Meliboei? » designat.— In *Bacche* vocalis brevis *e* propter arsin producta est. — *Modo summa voce*, acutissima, nos: « faire le dessus; » *modo hac* sc. voce: *quæ resonat* (est) in *quattuor chordis* (in Tetrachordo) *ima, gravissima;* nos: « faire la basse. » Ed.

9. *Nil æquale homini illi fuit*, vulgo explicant nemo fuit tam inconstans ac ille, nemo illum levitate æquaverit; nescio autem an non malim cum aliis interpretari: nulla jam erat in eo homine æqualitas; semper se varium ostendebat. Ed.—*Sæpe velut qui*; junge: *sæpe currebat, velut qui hostem fugiens*, sc. curreret. Jam poeta a vitio, quod Tigellius commune habebat cum musicis, ad alia vitia, nominatim ad mutabilem Tigellii animum et ad ejus inconstantiam, transit, eo quidem consilio, ut sic viam sibi ad præceptum: « amicorum vitia, quum nemo sine vitiis nascatur, æquo animo ferenda esse, » muniat; ad *persæpe* non *currebat* repetendum, sed inde eliciendum: lento gradu incedebat, quasi esset κανηφόρος, quæ sacra Junonis in capite gestaret. Scilicet in pompis solemnibus, quales, ut ex hoc loco apparet, in Junonis quoque honorem instituebantur, virgines (κανηφόροι) sacras cistas sive canistra tardo et ad dignitatem quamdam composito incessu portare solebant in capite; vid. *Spanhem.* ad Callimach. H. in Cer. v. 127. Hinc infr. Sat. II, 8, 13: « ut Attica virgo Cum sacris Cereris. » Bene in hanc rem jam *Lambinus* comparavit locum Ciceronis de Off. I, 36: « Cavendum.... ne tarditatibus utamur in ingressu mollioribus, ut pomparum ferculis similes esse videamur. »

12. *Tetrarchas.—Tetrarcha*, regiæ dignitatis et potestatis erat, quanquam illi regis nomine uti haud licebat. — *loquens*, cum jactantia in ore gerens crepansque; sic passim *loqui* de magniloquentia; vid. *Burm.* ad Petron. c. 127, 3, et ad Quintil. Decl. XV. — *mensa tripes*, mensa simplex, non plures pedes habens

Digitized by Google

« Concha salis puri, et toga quæ defendere frigus,
« Quamvis crassa, queat. » Decies centena dedisses
Huic parco, paucis contento : quinque diebus
Nil erat in loculis. Noctes vigilabat ad ipsum
Mane; diem totum stertebat. Nil fuit unquam
Sic impar sibi. Nunc aliquis dicat mihi : « Quid tu?
« Nullane habes vitia? » Immo alia, haud fortasse minora.
Mænius absentem Novium dum carperet : « Heus tu, »

quam necesse est ut fulciatur. His mensis tripedibus utebantur Romani, antequam asiatico luxu laborarent. Ed. — *Concha salis.* Schol. Porph. « Pauperiores in marina concha salem tritum habere solent, quo cum pane vescantur. » Ditiores autem salinis argenteis vel aureis utebantur. Ed. — *puri,* integri, sinceri. — *et toga quæ,* etc. Vestis, sine ornamentis, et e vili lana confecta, dum frigus posset repellere. Ed. — *defendere frigus;* de hac loquendi ratione cf. ad Od. I, 17, 3. Ed.

15. *Dedisses,* si dedisses, *decies centena,* sc. sestertiorum. Atque hic de magno sestertio agitur, quod mille parvos sestertios æquaret, ita ut summa illa fere ad centum millia librarum nostrarum rediret. Ed. — *Huic parco, paucis cont.* Tigellio, se hominem parcum et paucis contentum modo professo. — *quinque diebus,* post quinque dies; pro brevissimo spatio. Ed. — *loculis,* crumena. — *Noctes vigilabat;* de his qui die dormiunt, noctu vigilantes, Seneca Ep. 123 : « sunt in eadem urbe antipodes qui, ut Marcus Cato ait, nec orientem unquam solem viderunt, nec occidentem. » Ed. — *Nil fuit unquam sic impar sibi,* hoc idem sonat ac v. 9 initium. Ed.

19. *Nunc aliquis dicat mihi,* fingit Horatius contra surgentem aliquem dicere. Ed. — *Immo alia, haud fort. minora,* non hæc vitia Tigellii, immo alia habeo, nec fortasse Tigellii vitiis leviora. — Pro *haud fortasse* in priscis editionibus legitur *et fortasse;* primus, ut videtur, Aldus Manutius hanc lectionem recepit, quam deinceps fere omnes admisere, Bentleius autem rejiciendam immerito contendit. Quis enim ferret hominem, qui, quia vitia quædam reprehenderat, interrogatus : « *nullane* tu ipse *habes vitia?* » responderet : habeo quidem, sed fortasse iis leviora. Huc accedit, quod Horatius jam non graviora, sed leviora tantum vitia Tigellii, nempe mutabilem animum et commune quoddam cantorum vitium, notavit.

21. *Mænius,* cf. supr. ad Sat. I, 101; vide etiam Epist. I, 15, v. 26 sqq. ubi plura de hoc homine nequam reperias, notatamque præsertim ejus malitiam v. 29 : « quælibet in quemvis opprobria fingere sævus. » Ed. — *Novium;* hic quoque homo malæ notæ fuit, quanquam vitiorum, qui-

Digitized by Google

Quidam ait, « ignoras te, an ut ignotum dare nobis
« Verba putas? »—« Egomet mi ignosco, » Mænius inquit.
Stultus et improbus hic amor est dignusque notari.
Quum tua pervideas oculis male lippus inunctis,
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum,
Quam aut aquila, aut serpens Epidaurius? at tibi contra

bus iste indulsit, genus non additur.

22. *Ignoras te*, tua ipsius vitia? —*an ut ign. dare nobis Verba putas?* an putas, te, ut hominem, qui, qualis ipse sit, ignorat, aliorum vitia carpendo fraudem nobis facere posse; *ignotum*, sc. sibi; Senec. Thyest. v. 391 : « *ignotus* sibi moritur. » Mænius igitur est homo, qui, ut infra, Sat. II, 3, 299, dicitur, non didicit « respicere *ignoto* pendentia tergo, » ubi *ignoto* referendum est ad hominem, qui quod pendeat ipsius tergo, ignorat.

24. *Improbus*, malus, perversus; *improbus* de rebus et hominibus, qui in reprehensionem incurrunt. — *amor*, sc. sui.

25. *Quum tua perv. oculis male lippus inunctis*, quum ea, quæ ad te ipsum spectant, oculis intuearis in fraudem tuam bebetioribus, quales sunt collyriis inuncti lippientium. — *pervideas*; *pervidere* explicant vel pro : de longinquo videre; vel pro : accurate videre; vel pro : perlustrare. In quibusdam vett. libr. ap. *Feam* pro : *pervideas* legitur *provideas*. Fuerunt quoque, qui pro *pervideas* mallent *prævideas*, ita, ut *prævidere* jam dictum sit pro : *prætervidere* (παραβλέπειν). Sed quis in his explicationibus et lectionibus acquiescat? Equidem compositum *pervidere* (κατιδεῖν, διασκέπτεσθαι), pro simplice *videre*, ut in multis aliis compositis fieri solet, positum esse existimo. — *male* addi solet adjectivis, ita, ut sit modo pro : *non*, ut *male sanus*, *male hærere* paulo post v. 34; sed si ibi *male* conjunxeris cum *laxus*, *male* est pro : *nimis*; modo *de eo, quod in fraudem alicujus depravatum est*, ut h. l. *male lippus*; modo *de eo, quod recedit a justo modo*, ut infr. v. 45, *male parvus*; modo pro : *importune*, ut *male sedulus*; modo pro : *moleste*, ut *male raucus* in sq. Satira v. 66, modo pro : *misere*, sive *de eo, quod grave et mali ominis est*, ut *male tussire*, Sat. II, 8, 107, et multa alia, ubi particula *male* ad sensum rei, de qua sermo est, explicanda est. Baxter. et alii, *mala* pro *male*. Ed. — *lippus*, lippitudo jam ad animum, in re aliqua cognoscenda cæcutientem, transfertur. — *acutum* pro : *acute*. — *aquila*, æque, ac lynx, oculorum acie prævalens, quippe qui ardentem solem rectis oculis cernere dicitur. — *serpens*, visu acutissimo. — *Epidaurius*, epitheton ornans, sive quod regio ad Epidaurum, Argolidis urbem, scatebat serpentibus, sive potius ob mansuetum quoddam (de quo narrat *Pausan.* in Corinth. II, 28) serpentum ibi genus, sacrum deo illius regionis tute-

Digitized by Google

Evenit, inquirant vitia ut tua rursus et illi.
Iracundior est paulo, minus aptus acutis
Naribus horum hominum; rideri possit eo, quod
Rusticius tonso toga defluit et male laxus
In pede calceus hæret: at est bonus, ut melior vir
Non alius quisquam; at tibi amicus; at ingenium ingens
Inculto latet hoc sub corpore. Denique te ipsum
Concute, num qua tibi vitiorum inseverit olim

lari, Æsculapio, qui sub forma serpentis ibidem cultus et sic Romam deportatus est. — *inquirant*, etc. et illi, quorum vitia tu inquiris, vicissim tua inquirant.

29. *Iracundior est paulo*, etc. Scilicet aliquis est nimium ad iram proclivis, et ideo minus aptus ad commercium horum hominum qui nares acutas habent. Ed. — *horum*, qui amicos deridere et salibus persequi amant. Ed. — *acutis naribus*. nasus acutus mordacem acremque hominem denotat. Ed.

30. *Rideri possit*, etc. Sensus: Rideri fortasse possit ille ideo, quod inconcinne est tonsus; quod in toga incedit non composita, sed deorsum fluente; quod laxus calceus male in pede sedet; sed quia idem est vir bonus, quo melior inveniri non potest; quod tibi est amicus, quia sub neglecto ejus corpore latet ingens ingenium, omnia illa indulgenter a te ferenda sunt. — *toga defluit*, toga est non bene composita. — *Rusticius tonso*, in urbe apud Romanos crines capitis ad certam normam, æqualitatem et elegantiam tondebantur, at rure sine ulla arte, temere et incuriosius; particulam *male* interpretes referunt ad *laxus*, et sic *male* jam est pro: nimis; sed quomodo *calceus nimis laxus*, qui male sedet, h. e. qui circum pedem huc illuc movetur, simpliciter *hærere* dici potest? immo *hærere* dicitur, quod alicui rei adhæret, inhæret, firmiter insidet. Supr. Od. III, 24, 55: « Nescit equo rudis hærere ingenuus puer, » h. e. puer ingenuus, equitandi imperitus, non didicit firmiter insidere equo; sic infr. v. 77: « vitia stultis *hærentia*, » firmiter insidentia; refero igitur h. l. *male* ad *hæret* h. e. male sedet. — *ingenium ingens*; ex his verbis nonnulli interpp. Virgilium, Horatii amicissimum designari putavere; licet hæc imago ad omnia quæ nobis de Virgilio tradita sunt, satis apte ac commodetur, hanc, non omnino confirmatam, lectoribus judicandam relinquemus. Ed. — *Inculto*, quod ad externum cultum attinentia negligit.

34. *Te ipsum Concute*, etc. Te examina, explora, ut videas, an natura tibi inseverit olim quædam mala. Nota vim hujus vocis *concute*, quasi diceret: te penitus ac funditus agites, ac per partes singulas expendas. Ed. — *num qua tibi vitiorum*, etc. An nonnulla ipse vitia habeas, propter quæ aliorum vitiis indulgere debeas. Ed.

Digitized by Google

Natura, aut etiam consuetudo mala; namque
Neglectis urenda filix innascitur agris.
Illuc prævertamur, amatorem quod amicæ
Turpia decipiunt cæcum vitia, aut etiam ipsa hæc
Delectant, veluti Balbinum polypus Hagnæ.
Vellem in amicitia sic erraremus, et isti.
Errori nomen virtus posuisset honestum.
At pater ut gnati, sic nos debemus, amici
Si quod sit vitium, non fastidire; strabonem
Appellat pætum pater, et pullum, male parvus

— *namque Neglectis urenda filix innasc. agris*, per imaginem, a filice in agris neglectis nascente petitam, exprimere voluit hoc: nam, quemadmodum filix, agris neglectis innascens, urenda, ita vitia, quæ aut natura, aut mala consuetudo insevit, evellenda et extirpanda sunt ex animo.

38. *Illuc prævertamur*, nexus: Sed, missis aliis (hoc inest verbo composito *præverti*), redeamus (*illuc*), ad id locorum, ubi videre licet, *quod* (quatenus) *turpia vitia amicæ decipiunt amatorem. — aut etiam ipsa hæc Delectant*, de ingenio amatorum, aut vitia amicarum plane non animadvertentium, aut ex animadversis voluptatem adeo captantium laudavit *Gesnerus*. Plat. de Republ. V, p. 474; Lucret. IV, 1154 sqq. post eos Ovid. Art. Am. II, 657: « Nominibus mollire licet mala: fusca vocetur, Nigrior Illyrica cui pice sanguis erit. Si pæta est, Veneri similis: si flava, Minervæ. Sit gracilis, macie quæ male viva sua est. » Apud recentiores Molierius noster eamdem sententiam expressit in comœdia, cui titulus *le Misanthrope*, act. II, sc. V. Ed. — *polypus*, de hoc tetro narium morbo, seu tubere agit Celsus VI, 8, 2. Prima syllaba, quasi scriberetur *pollypus*, producitur, ut prima syllaba in *religio*, *retulit*, quasi scriberetur, *relligio*, *rettulit*. *Hagnæ*, græcæ libertinæ ex græco: Ἁγνῆς. Vid. *Bentl.*

41. *Vellem in amicitia*, etc. Vellem igitur, ut hic error amatorum in amicarum vitiis locum haberet etiam in amicitia, et pro honestiore errore haberetur propter virtutem, h. e. laudandam indulgentiam. — *At* jam pro: *enimvero; pater ut gnati*, etc. Junge: *at pater ut gnati* vitium non fastidit, *sic nos, si quod vitium sit amici, non fastidire debemus*. — *fastidire*, spernere, dedignari; vocalis *e* brevis sequentibus literis *str*, manet brevis; cf. ad Sat. I, 2, 30. — *strabo*, qui detorquet oculos: nos, *louche*. — *pætus*, interprete vetere Scholiasta, *dicitur, qui tremulis est oculis et leniter declinatis*; nos fere: *clignotter des yeux*. — *et pullum*, etc. et si quis habet filium *male* (h. e. præter modum, ut v. 45, cf. ad v. 25)

Digitized by Google

Si cui filius est, ut abortivus fuit olim
Sisyphus; hunc varum distortis cruribus; illum
Balbutit scaurum pravis fultum male talis.
Parcius hic vivit? frugi dicatur: ineptus
Et jactantior hic paullo est? concinnus amicis
Postulat ut videatur: at est truculentior, atque
Plus æquo liber? simplex fortisque habeatur.
Caldior est? acres inter numeretur. Opinor,
Hæc res et jungit, junctos et servat amicos.
At nos virtutes ipsas invertimus, atque
Sincerum cupimus vas incrustare. Probus quis
Nobiscum vivit? multum est demissus homo: illi

parvum, qualis olim fuit Sisyphus abortivus (abortu enim nati exigui corporis solent esse homines), eum pater blande appellat *pullum*, parvulum, pupum. — *Sisyphus*. Schol. Cruq. « M. Antonio Triumviro pumilio fuisse dicitur intra bipedalem staturam, quem ipse Sisyphum appellabat ob ingenii calliditatem. »

47. *Hunc varum distortis*, etc. Alium filium, cujus crura distorta sunt, mollius *varum* (*cujus pedes*, ut loquitur Scholiastes, *introrsum retorta sunt*); alium, cujus tali male depravati sunt, balbutiente et paternum amorem exprimente voce *scaurum* (qui talos habet exstantes) vocat. Scilicet patres, si qua corporis vitia habent filii, molliore locutione ea levare student; amici igitur patres in elevandis amicorum vitiis imitari debent.

49. *Frugi*, qui prudente parsimonia et sibi et suis prospicit. — *Ineptus*, qui, dum inepta se gerendi ratione placere studet, displicet; descriptionem hominis inepti dedit Cicero de Orat. II, 4. — *concinnus amicis Postulat ut videat*, is vult videri commodus amicis, urbanus erga amicos. Ed. — *At est trucul.* etc. at ferocius et insolentius se effert, et, quidquid in buccam venit, paulo liberius et inconsiderantius effutit; is *simplex* (qui, quod sentit, loquitur) *fortisque* (qui nihil timet) *habeatur*. — *Caldior est*, si est homo calidioris et fervidioris ingenii, *acres inter*, inter paulo vehementiores: *acer*, nos: *un homme vif*.

55. *At nos virtutes... incrustare*, at nos ipsas virtutes præpostere pro vitiis habemus, et sic facimus idem, ac si velimus vas integrum, tanquam vitiatum et rimosum, oblinere, *incrustare*, pice, cera, stuppa vel alia re tanquam crusta obducere. — *Probus quis*, etc. Aliquis probus, h. e. nec acer nec litigiosus nobiscum vitam agit, eum demissi, abjecti animi arguimus. Ed. — *illi tardo*, qui paulo

Digitized by Google

Tardo, cognomen pingui damus: hic fugit omnes
Insidias, nullique malo latus obdit apertum,
Quum genus hoc inter vitæ versetur, ubi acris
Invidia atque vigent ubi crimina; pro bene sano
Ac non incauto fictum astutumque vocamus.
Simplicior quis et est, qualem me sæpe libenter
Obtulerim tibi, Mæcenas, ut forte legentem
Aut tacitum impellat quovis sermone molestus:
« Communi sensu plane caret, » inquimus. Eheu!
Quam temere in nosmet legem sancimus iniquam!
Nam vitiis nemo sine nascitur; optimus ille est,
Qui minimis urgetur. Amicus dulcis, ut æquum est,
Quum mea compenset vitiis bona, pluribus hisce,

tardior est, eum *pinguem*, crassum vocamus. Ed. — *Hic fugit*, alius fugit, etc. — *nullique malo latus obdit apertum*, nullique malo sibi nocendi occasionem præbet; translatum a re gladiatoria, si gladiator adversario, ut ejus ictus et petitiones eludat, latus *tectum* opponit. — *Quum genus hoc inter*, etc. Qui cum hominibus ejusmodi versatur, est in ea vitæ instituto, ubi multi sunt invidi, multi criminatores. Ed. — *crimina*, criminationes. — *pro bene sano*, etc. Non sanus esse dicitur, sed fictus et astutus. Ed.

65. *Simplicior*, etc. Si quis simplicior et talis est, qualem me sæpe libenter tibi obtulerim, Mæcenas, ita quidem, *ut* simplicior ille, quovis sermone molestus, aut forte legentem aut *tacitum* (meditantem) *impellat* (ejus animum impellendo et ad se advertendo turbet), dicere solemus: en! iste homo sensu communi caret. *Simplicior* refer ad morum simplicitatem, qua quis ea, quæ alii ad gratiam captandam studiose sectantur, non curat. — *libenter*, animo ita jubente.

67. *Quam temere*, etc. Quam stulta est hæc nostra in notandis amicorum vitiis severitas; quodsi enim severe de amicorum vitiis judicamus, viciſsim et illis de nostris vitiis severe judicare licebit. — *optimus ille est*, quum nemo inter homines perfectus sit, ille ceteros superat, non qui nulla, sed qui minima vitia habet. Ed. — *Quum mea comp.* etc. Vulgo ad hyperbata hunc locum referunt et jungunt: bona mea cum vitiis compenset; sed ex, meo sensu, sublata illa durissima inversione, multo concinnius procederet oratio, si duæ voces *quum* et *compenset* jungerentur pro: compensans, compensando; ut sit sensus: amicus dulcis compensans, ut æquum est, mea bona meis vitiis, etc. Ed. — *Si bona plura mihi*, si vitia bonis superantur. Ed. — *inclinet*, vi-

Digitized by Google

Si modo plura mihi bona sunt, inclinet. Amari
Si volet hac lege, in trutina ponetur eadem.
Qui, ne tuberibus propriis offendat amicum,
Postulat, ignoscet verrucis illius; æquum est,
Peccatis veniam poscentem reddere rursus.
Denique, quatenus excidi penitus vitium iræ,
Cetera item nequeunt stultis hærentia, cur non
Ponderibus modulisque suis ratio utitur ac, res
Ut quæque est, ita suppliciis delicta coercet?

tia obliviscatur, ut bonis dotibus tantummodo faveat. Ed. — *Amari si volet hac lege*, si hanc amicitiæ nostræ conditionem tulerit. Ed. — *in trutina*, statera, translate de norma, vel ratione, ad quam res aliqua ponderatur. Cic. de Orat. II, 38 : « ad ea probanda, quæ non aurificis statera, sed quadam populari trutina (norma aliqua, ad quam populus res ponderat) examinantur. »

73. *Qui, ne tuberibus propriis offendat*, etc. Qui cupit, ut amicus ignoscat suis tuberibus, h. e. gravioribus peccatis, ille amici verrucis h. e. levibus culpis ignoscere debet; verruca scilicet tubere multo minor est. Ad hanc sententiam redit verbum illud ex Mathæi Evangelio cap. 7 : « Ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui. » Ed. — *æquum est*, mutua scilicet indulgentia sit necesse est. Ed.

76. *Quatenus*, quandoquidem, quoniam, ut supr. Sat I, 1, 64. — *excidi penitus*, radicitus exstirpari. Schol. Porph. « Hinc (poeta) paullatim eo descendit, ut adversus Stoicos disputet, qui dicunt, peccata omnia paria esse et similia, et animum spectandum peccantis, non quantitatem rei, in qua peccatum est. » Hic esse videtur sequentium cum præcedent. vers. nexus : quum sine vitiis nemo nascatur, et hæc vitia exstirpari nequeant, cur non, omissa illa erga ceteros severitate, quæque peccata perpendimus? Ed. — *stultis hærentia*, Stoici appellabant omnes *stultos* et *insanos*, qui, quam illi concionabantur, non exercere possent sapientiam. — *cur non Ponderibus modul. suis ratio utitur*, cur non *ratio* (judicandi facultas, philosophia) vitia ad certam normam æstimat et dijudicat, et sic leviora vitia a gravioribus distinguit? — *Ponderibus*, quibus in lance trutinæ positis res pendimus; accommodavit poeta hanc locutionem ad id, quod in v. 72 dixit : « in trutina ponetur eadem. » — *modulis*, ad quos res metimur. — *suis*, quibus ratio tanquam sibi propriis uti debet. — *ac, res Ut quæque est, ita*, etc. ac cur non ratio, uti quodque delictum comparatum est, ita, si graviora sunt, suppliciis gravioribus, si leviora sunt, levioribus coercet?

Digitized by Google

Si quis eum servum, patinam qui tollere jussus
Semesos pisces tepidumque ligurrierit jus,
In cruce suffigat; Labeone insanior inter
Sanos dicatur. Quanto hoc furiosius atque
Majus peccatum est! paullum deliquit amicus,
(Quod nisi concedas, habeare insuavis); acerbus
Odisti et fugis, ut Rusonem debitor æris;
Qui nisi, quum tristes misero venere Calendæ,
Mercedem aut nummos unde unde extricat, amaras
Porrecto jugulo historias, captivus ut, audit.

80. *Tollere*, sc. de mensa. — *ligurrierit*, degustaverit. — *Labeone insanior inter Sanos dicatur.* Is qui servum ob levius delictum supplicio crucis mulctet, inter sanos homines, ab hominibus sani judicii Labeone insanior dici debet. Ed. Utrum intelligendus sit M. Antistius Labeo, Prætorius, et fama celebratissimus (qui, quia multa contumaciter, ut ad hunc locum observat vetus Scholiastes, adversus Cæsarem dixerit feceritque, ab Horatio, ut Augusto adularetur, nunc ut homo insanus inductus sit;) an alius quidam homo ignobilis insaniæ quodam genere notus; id docendum iis, quos in his rebus diligentius inquirere juvat, relinquimus.

83. *Quanto hoc*, etc. Quanto majus ac furiosius quam peccatum domini illius est peccatum hoc, peccatum de quo infra dicitur, scilicet severitas erga amicos. Hoc autem per hyperbolem dictum, quum sane crudelitas illa domini severitate erga amicos multo nocentior sit. Ed. — *paullum deliquit*, pro vulgari: « si amicum, qui paulum deliquit, odisti, » vividiore oratione ipse peccans inducitur. — *Quod nisi concedas*, nisi huic levissimæ culpæ ignoscas. Ed. — *acerbus Odisti et fugis*, tu, non modo non ignoscis amico, sed eum acerbe odisti ac fugis, ut debitor fugit Rusonem. Ed. — *Rusonem*, famosum tum fœneratorem, cujus acerbitatem, quum dies, quo sors aut usuræ solvendæ essent, venisset, nulla alia re mitigare et effugere poterant debitores, quam si ei recitanti, quas scripserat, historias patienter aures commodarent. — *Calendæ*, quibus aut sors fœnori data, aut usuræ a fœneratore redigebantur; hinc suaviter *tristes* dicuntur *misero* debitori, qui, quod debet, non solvere potest. Cf. supr. ad Epod. II, 69, 70. — *nisi merced. aut nummos unde unde extricat*, nisi aut usuras aut sortem undecumque tandem expedit et cogit. — *amaras*, inepte scriptas. — *Porrecto jugulo*, se occidendum quasi tradens recitanti; nam mali scriptores scripta sua recitando eos, quos se audire cogunt, *occidere* dicuntur; cf. infr. Epist ad Pis. v. 475: « Quem vero arripuit, tenet oc-

Digitized by Google

Comminxit lectum potus, mensave catillum
Evandri manibus tritum dejecit: ob hanc rem,
Aut positum ante mea quia pullum in parte catini
Sustulit esuriens, minus hoc jucundus amicus
Sit mihi? quid faciam, si furtum fecerit, aut si
Prodiderit commissa fide, sponsumve negarit?
Quîs paria esse fere placuit peccata, laborant,
Quum ventum ad verum est; sensus moresque repugnant,
Atque ipsa utilitas, justi prope mater et æqui.
Quum prorepserunt primis animalia terris,

ciditque legendo; » et hinc Horatius infr. Sat. I, 9, 74, dum ab homine garrulo tenetur, lepide se *sub ejus culcro* esse, ait. — *audit*, audire cogitur.

90. *Comminxit lectum potus*, amicus tuus bene pransus ac potus lectum fœdarit, in quo ad mensam accumbebat. Ed. — *catillum Evandri manibus tritum*, parvum catinum adeo antiquum, ut olim Evander, celeberrimus ille Arcas, qui Æneam hospitio acceperat, hoc usus fuerit, illudque manibus triverit, versaverit. Sic infr. Sat. II, 3, 30, mentio fit « vasis Ænei quo Sisyphus pedes laverit. » Alii Evandrum cælatorem quemdam celeberrimum hujus ætatis falsse, qui hunc catillum manibus triverit, h. e. torni usu effecerit. Duriorem hanc explicationem rejiciendam putaverim. Ed. — *dejecit*, e mensa humi præcipitem dedit et fregit. Ed. — *Aut positum ante mea*, etc. Hoc sane levissimum est; et mirum esset talia inter culpas amicorum numerari, nisi Stoici, quos nunc acute ridet poeta, levissimas illas res magni facerent, et de omnibus istis gravissima præcepta darent. Vide passim in Epicteto. Ed. — *hoc*, ob hoc factum, ob præreptum e catino pullum; cf. ad Sat. I, 1, 46. — *fide* antique pro: *fidei*, ut Od. III, 7, 4. — *sponsumve negarit*, quodve spopondit, se spopondisse negarit; vid. *Ernest.* in Clav. Cic. s. voce *spondere* et *sponsio*.

96. *Quîs*, philosophi (Stoici), quibus. — *fere*, junge cum *paria*, sed *Baxterus* refert *fere* ad *laborant*. — *laborare* jam est: difficultate premi. — *Quum ventum ad verum est*, quum res, ut quæque vere est, ponderatur. — *sensus*, cuique insitus; Cic. de Fin. IV, 19, s. fin. « sensus enim cujusque, et natura rerum, atque ipsa veritas clamat quodammodo, non posse (se) adduci, ut inter eas res, quas Zeno exæquaret, nihil interesset. » — *moresque*, disciplina enim, quæ vitam moresque moderatur, peccata leviora a gravioribus distinguit. — *Atque ipsa utilitas*, etc. Secundum sententiam Epicureorum, qui, quod rectum et æquum est, a communi humanæ societatis utilitate repetunt.

99. *Quum prorepser.* etc. Quod

Digitized by Google

Mutum et turpe pecus, glandem atque cubilia propter
Unguibus et pugnis, dein fustibus, atque ita porro
Pugnabant armis, quæ post fabricaverat usus,
Donec verba, quibus voces sensusque notarent,
Nominaque invenere; dehinc absistere bello,
Oppida cœperunt munire, et ponere leges,
Ne quis fur esset, neu latro, neu quis adulter.
Nam fuit ante Helenam cunnus teterrima belli
Caussa, sed ignotis perierunt mortibus illi,
Quos Venerem incertam rapientes more ferarum
Viribus editior cædebat, ut in grege taurus.

modo dixit, utilitatem justi et æqui matrem esse, jam nunc explicat. Ed. — Hæc quoque de primo generis humani ortu et cultu narratio ad Epicureorum sententiam accommodata est. Comparandus omnino Horatius cum Lucretio V, 923 seqq. ubi hominum e terra natorum vita, habitus, ingenium et mores describuntur.—*primis terris*, primo tempore, quo nati sunt in terra (*animalia*) homines. — *Mutum et turpe pecus*, similes pecori, quod nondum loqui didicerant, et sine ullo cultu, sicut pecus, incedebant.— *glandem atque cubilia propter*. Lucret. l. I, v. 937: « Glandiferas inter curabant corpora quercus. »—*pugnis*, a *pugnus*.— *usus*, utendi iis necessitas, sive usum ex iis capiendi consilium. — *quibus voces*, quibus sonos articulatos proferrent; verbum *notarent* per zeugma proximo tantum nomini accommodatum est. — *dehinc absistere bello;* linguæ usu invento, homines aliquot inter se commercium habuere, et paulatim intellexerunt utilius futurum bello absisti, suum cuique intactum relinqui, oppida muniri et leges constitui quæ jura distinguerent, et noxia quæque prohiberent. Ed.—*fur*, qui clam et astu res surripit; latro autem palam et per vim. Ed.

107. *Cunnus*, injecta a mulieribus libido. Cf. ad Sat. I, 2, 36. — *mortibus ignotis*, quia eorum nomina non memoriæ prodita sunt a scriptoribus. Vide eandem sententiam fusius expressam Od. IV, 8, 20 et seq. et inprimis Od. 9, 13 et seq. Ed.

109. *Quos Venerem incert. rap.* Quos ruentes ad explendam libidinem, nullis tum legibus adstrictam; nondum enim erant conjugia; hinc additur: *more ferarum;* hæc *Venus incerta* Lucretio (IV, 1064) dicitur *volgivaga*. Ceterum in hanc sententiam Lucretius V, 960: « Et Venus in silvis jungebat corpora amantum; Conciliabat enim vel mutua quamque cupido Vel violenta viri vis. »—*viribus editior*, viribus superior.— *ut in*

Digitized by Google

Jura inventa metu injusti fateare necesse est,
Tempora si fastosque velis evolvere mundi.
Nec natura potest justo secernere iniquum,
Dividit ut bona diversis, fugienda petendis:
Nec vincet ratio hoc, tantumdem ut peccet idemque,
Qui teneros caules alieni fregerit horti,
Et qui nocturnus Divûm sacra legerit; adsit
Regula, peccatis quæ pœnas irroget æquas,
Nec scutica dignum horribili sectere flagello.
Nam ut ferula cædas meritum majora subire
Verbera, non vereor, quum dicas, esse pares res
Furta latrociniis, et magnis parva mineris
Falce recisurum simili te, si tibi regnum

grege taurus sc. alios tauros viribus eminentior cædit.

111. *Metu injusti,* leges ac jura ideo reperta, ut hominum injustitiam ac vim comprimerent. Ed.—*fastosque mundi,* et annales, in quibus rerum in mundo origines consignatæ sunt.— *Nec nat. potest,* etc. Sensus: Quemadmodum natura per se iniquum a justo secernere nequit, quamvis (*ut*) bona et mala, petenda et fugienda, *dividit* (distinguit, separatim proponit) ita Stoicorum philosophia probare et evincere non poterit hoc, ut is, qui teneros caules in horto alieno fregerit, et is, qui noctu sacrilegium fecerit, unum idemque peccatum committant, sive ut omnia peccata paria sint. — *teneros caules* sc. brassicæ, ut infr. Sat. II, 4, 15: « caulis suburbanus. » —*fregerit,* fractos (avulsos) abstulerit.— *nocturnus.* Catull. LXII, 34: « nocte latent fures. » — *adsit regula;* itaque *regulæ,* h. e. canon s. norma, s. certa legum formula, in promptu sit necesse est. — *pœnas æquas peccatis,* aut gravioribus aut levioribus accommodatas s. respondentes. — *scutica,* qua leviora peccata puniebantur; *flagello,* ita loris nodisque contexto tortoque, ut ad mortem usque (cf. supr. 1, 2, 41) eo cæderentur servi et malefici; hinc illud jam dicitur *horribile.*

120. *Nam ut... non vereor,* nam ut cædas ferula, etc. non hoc vereor, non vereor ne cædas ferula eum qui majus supplicium meritus est, quum dicas crimina omnia paria esse, etc. Ed. — *simili* sc. ei falci, qua magna reciduntur; sensus: et minaris, te parvis æque ac magnis parem pœnam irrogaturum esse, sive, te parva æque ac magna eadem pœna affecturum esse. — *si tibi regnum Permittant homines,* consulto usus est poeta hac locutione, ut per eam commode transiret ad alia ridenda Stoicorum para-

Digitized by Google

Permittant homines. Si dives, qui sapiens est,
Et sutor bonus, et solus formosus, et est rex;
Cur optas, quod habes? « Non nosti, quid pater, inquit,
Chrysippus dicat. Sapiens crepidas sibi nunquam,
Nec soleas fecit? sutor tamen est sapiens. » Quo?
Ut, quamvis tacet Hermogenes, cantor tamen atque
Optimus est modulator; ut Alfenus vafer, omni
Abjecto instrumento artis clausaque taberna,
Sutor erat: sapiens operis sic optimus omnis

doxa, quæ in viis publicis crepare solebant Pseudo-Stoici et aretalogi. Tu dicis : « si tibi regnum permittant homines : cur optas, quod habes? » qui est sapiens, is et *rex* est.

124. *Si dives*, etc. Ad hæc vetus Scholiastes : « Stoici existimant perfectæ sapientiæ virum omnia habere, in quo et Lucilius versatus sic ait.... Nondum hæc omnia habebit, *Formosus, dives, liber, rex* solu' vocetur. » Hanc Stoicorum sententiam iterum ridet Noster infr. Epist. I, 1, in fine : « .... sapiens uno minor est Jove, dives, Liber, honoratus, pulcher, rex denique regum, Præcipue sanus, nisi quum pituita molesta est. » Ed. — *quid pater, Chrysippus*, hic vir, venerabilis Stoicæ philosophiæ doctor, cui Cicero ingenium acerrimum tribuit, præ ceteris omnibus ornabat Stoicorum porticum ; unde infr. Sat. II, 3, 44 : « Chrysippi porticus et grex. » — *inquit*, Stoicus modo loquens. — *crepidas... soleas*, discrimen inter *crepidas* et *soleas* leve fuisse videtur; utroque enim calceamenti genere plantæ tantum tegebantur.

128. *Quo*, quo hoc spectat, tendit; objectio est illius qui Stoicum loquentem audit. Ed. — *Ut*, quod dico tendit eo, ut, etc. responsio Stoici est. Ed. — *quamvis tacet Hermogenes*, etc. Quemadmodum Hermogenes, licet taceat, optimus cantor est, et Alfenus, licet artis instrumenta abjecerit et tabernas clauserit, optimus sutor est, sic sapiens, licet crepidas non faciat, optimus sutor est, etc. Ed. — *Hermogenes*, Hermogenes *Tigellius*, Augusti cantor, qui diversus videtur a Tigellio Sardo, quem initio præced. Sat. mortuum dixit Horatius. Alii unum ac eumdem esse volunt. Ed. — *Alfenus vafer*, vetus Schol. « Urbane satis Alfenum Varum Cremonensem deridet, qui abjecta sutrina, quam in municipio suo exercuerat, Romam venit, magistroque usus M. Sulpitio Jurisconsulto ad tantam pervenit scientiam, ut et consulatum gereret, et publico funere efferretur. » — *vafer*, jurisconsulti enim sive causarum patroni callide quod causæ suæ favere possit, in partes vocant ; hinc infr. Sat. II, 2, 131 : « vafri inscitia juris. » Adde Ovid. Heroid. XX, 31 : « Consultoque (in consilium vocato) fui juris Amore *vafer*. » — *Sutor*

Digitized by Google

Est opifex solus, sic rex. Vellunt tibi barbam
Lascivi pueri, quos tu nisi fuste coerces,
Urgeris turba circum te stante, miserque
Rumperis et latras, magnorum maxime regum!
Ne longum faciam: dum tu quadrante lavatum
Rex ibis; neque te quisquam stipator, ineptum
Præter Crispinum sectabitur; et mihi dulces
Ignoscent, si quid peccaro stultus, amici,
Inque vicem illorum patiar delicta libenter,
Privatusque magis vivam te rege beatus.

erat, h. e. manebat. Hunc *Alfenum* poeta jam in verbis (v. 128) *Et sutor bonus* in animo habuisse videtur, cujus nomen, ut rem exemplo comprobet, nunc affert.

133. *Vellunt tibi barbam Lascivi pueri*, ad ea, quibus contumeliose tractabantur aretalogi, pertinebat etiam lascivia, qua pueri barbam, quam illi ut philosophi alebant, vellere solebant, de proverbiali locutione (τὸν πώγωνα τίλλειν τινί) pro: habere aliquem ludibrio, ignominiose aliquem tractare, vid. *Casaub.* ad Pers. I, 133.—*Rumperis*, sc. præ ira; notum illud Virgilii: (Eclog. VI, 26) « invidia rumpantur ut ilia Codro. » — *latras*, convicia jacis. — *magnorum maxime regum!* Nota hoc ironice dictum post omnes eas miserias, quas rex ille maximus pati cogitur. Ed.

137. *Quadrante*, oblata quarta parte assis; nam pauperes lavaturi in balneo communi quadrantem tantum balneatori dabant. Monetæ exiguitas hominis se regem contendentis superbiæ opponitur. Ed. — *stipator*, satelles; apposite ad rem; reges enim secum ducunt satellites. — *Crispinum*. Cf. supr. ad Sat. I, 1, 120.

139. *Et mihi dulces*, etc. Jam ad satiræ argumentum redit poeta: amici mei non eamdem quam tu, stoice, superbiam et erga me severitatem habebunt, non levissimas meas culpas æque ac scelera oderunt; sed dulces vitiis indulgebunt. Ed. — *stultus*, per imprudentiam. Ed. — *Inque vicem*, vicissim. — *Privatusq. magis*, etc. Nec me regem superbe contendens, vivam felicior quam tu, qui te regem esse profiteris.

Analysis. Hujusce Satiræ initium sumens poeta a ridiculo quodam cantorum more, Tigellii cantoris, a quo sane offensus fuerat, vitia, ac præsertim mobile ac parum sibi constans ingenium facete nec non acriter reprehendit; subito autem surgentem aliquem inducit quærentemque, an nulla ipse vitia

Digitized by Google

habeat, qui tam libere ceteros carpit? Inde occasione sumpta, amicorum vitiis ignoscendum docet Horatius. Amicus enim ille quem propter levissimas res derideas, fortasse optimis dotibus præditus est. Alioquin ipse reprehensor sua quoque habet vitia. Caremus igitur potius ut, amatorum et patrum more, qui nihil apud amicas vel natos reprehendendum vident, amicorum vitia attenuemus et comiter feramus. At contra sæpissime, quod in amicis innocens aut etiam laudandum est, in culpam vertemus; oblîti nos quoque veniæ ac indulgentiæ indigere, ac sane culpas quasque per se ponderandas, nec peccata omnia æquanda et iisdem pœnis mulctanda esse. Hic poeta inexorabilem severitatem, qua Stoici peccata omnia paria esse contendunt, et iisdem suppliciis puniendo, attingit. Quam sententiam absurdam esse ut probet, a societatum initio exorsus, leges ideo inventas esse dicit, ut bella, inter primos homines creberrima, comprimerentur, ut quisque tute vita et bonis frueretur; utilitatem scilicet justi et æqui matrem esse; qui igitur minus nocet, minore pœna afficiendum. Finiendo carpit poeta et acerrimis salibus prosequitur Stoicorum superbiam, qui sapientem omnia in se habere ac regem esse profitentur. Ed.

SATIRA IV.

Horatius, iniqua de satiris, in quibus hominum vitia perstrinxerat, judicia expertus, animum, quo ad satiras scribendas accedat, aperit; eoque aperto lenius homines de se judicaturos esse sperat.

EUPOLIS, atque Cratinus, Aristophanesque poetæ,
Atque alii, quorum comœdia prisca virorum est,

1. *Eupolis, Cratinus, Aristoph.* Veteris comœdiæ poetæ. Comœdia enim a Grammaticis Alexandrinis descripta est in *veterem*, *mediam* et *novam*. In *vetere* quidem, in qua, sicuti in tragœdiis, cantantes chori prodibant, non simpliciter hominum vitia, sed ipsi, qui vitiis laborarent, ad omnem eorum habitum producti magna libertate notabantur; in *media* res vere gestæ, sed fictis nominibus; in *nova* res fictæ sive fabulæ spectandæ dabantur. *Eupolin* sive *Eupolidem* in magno apud Horatium fuisse pretio, vel inde, quod ejus scripta legendo otium in villa sua conterere solebat Horatius, intelligi potest; cf. infr. Sat. II, 3, 12. *Cratinum*, insignem, plurium poetarum more, vini et laudatorem et potorem fuisse,

Digitized by Google

Si quis erat dignus describi, quod malus, aut fur,
Quod mœchus foret, aut sicarius, aut alioqui
Famosus, multa cum libertate notabant.
Hinc omnis pendet Lucilius, hosce secutus
Mutatis tantum pedibus numerisque; facetus,
Emunctæ naris, durus componere versus;
Nam fuit hoc vitiosus: in hora sæpe ducentos,
Ut magnum, versus dictabat stans pede in uno;

cum ex Horatii Epist. I, 19, 12 : « Prisco (priscæ comœdiæ poetæ), si credis, Mæcenas docte, Cratino, Nulla placere diu nec vivere carmina possunt, Quæ scribuntur aquæ potoribus, » tum ex Nicæneti in Anthol. Græc. tom. I, p. 206, 4 ed. *Jacobs*, apparet. *Aristophanes*, cujus comœdiæ nunc quoque Græcarum literarum amantes mirifice delectant, Socratis, ut satis constat, ætate vixit. Ceterum hos tres poetas, ut veteris comœdiæ principes, Persius quoque conjunctim laudat Sat. I, 123.

2. *Atque alii, quorum comœdia prisca virorum est*, pro vulgari : atque alii priscæ comœdiæ scriptores. *Virorum* abundat, ut Sat. I, 10, 16 : « Illi, scripta quibus comœdia prisca viris est. » — *dignus describi*, dignus, qui, qualis esset, ante hominum oculos poneretur. — *malus*, mali animi homo, flagitiosus. — *libertate*, de ea, qua quis licentior et sine ullo metu aliorum vitia carpit.

6. *Hinc omnis*, etc. *Hinc* (ab his) *omnis* (totus) *Lucilius, hosce secutus, pendet*, pro vulgari : hos unice secutus est Lucil. — *Lucilius*, primus latinæ satiræ auctor, natus Auruncæ, in Italia. Ed. — *Mut. tant.* etc. Non eo versuum genere, quo alii comœdiarum scriptores usi fuerunt, sed mutato metro, hexametro usus ; metrum constat pedibus et numeris sive rhythmo. — *Emunctæ naris*, acutioris ingenii ; qui habet *nares emunctas*, h. e. purgatas, odoratur acrius ; quod transfertur ad eum, qui acute videt, subtiliter judicat ; homini *emunctæ naris* opponitur homo *obesæ naris*, h. e. insipiens, inficetus, stultus. — *durus componere versus*, sed quod ad versus componendos attinet, durioris ingenii, haud elegans ; *durus* vocatur Lucilius, quod, se versus scabros, incomptos et inconcinnos fundere, non sentiebat. Ille enim magno versuum levi opera et festinantius scriptorum numero magis, quam versuum magna diligentia expolitorum elegantia sibi placebat ; hinc statim : *Nam fuit hoc* (ob hoc, ex hac potissimum causa, cf. ad Sat. I, 2, 81) *vitiosus*, poeta, qui lutulentus flueret.

10. *Ut magnum*, quasi, qui hoc posset, poeta esset egregius. — *stans pede in uno*, proverbiali, ut videtur, locutione *stare uno pede* dicitur, qui rem aliquam levi opera et sine virium contentione peragit, quia nemo diu uno pede stare potest. Sic nos prover-

Digitized by Google

Quum flueret lutulentus, erat quod tollere velles;
Garrulus, atque piger scribendi ferre laborem,
Scribendi recte; nam ut multum, nil moror. Ecce,
Crispinus minimo me provocat: « Accipe, si vis,
Accipiam tabulas; detur nobis locus, hora,

bialiter: *au pied levé,* pro: facile ac celeriter. Ed. — *flueret lutulentus,* Lucilium comparat flumini turbidas aquas volventi. Ed. — *erat, quod toll. velles,* offerebatur sane, quod, tanquam sordem immixtam, inde auferre sive recidere et delere velles. Infr. Sat. 10, 50: « ferentem Plura quidem tollenda relinquendis, » h. e. plura secum trahentem; quæ recidenda magis quam servanda sint; in eadem Satira v. 69, pro *tollere* Horatius de Lucilio posuit: « recidere: *recideret* omne, quod ultra Perfectum traheretur. » Simillime autem, quod maxime sensui nostro favet, *tollere* pro recidere vel delere Horat. in Epist. II, 2, 123: « virtute carentia *tollet,* » inelegantia recidet. Attamen fuerunt, in quibus est etiam *Heindorfius,* qui *tollere* contra usum loquendi pro *servare* explicare mallent; hos jam docte refutavit *Wolfius* in *Analect. Literar.* vol. I, a pag. 185 usque ad pag. 204. Cæterum de Lucilio dissentit a nostro Quintilianus X, 1: « Lucilius ita quosdam deditos sibi adhuc habet amatores, ut eum non ejusdem modo operis auctoribus, sed omnibus poetis præferre non dubitent. Ego quantum ab illis, tantum ab Horatio dissentio, qui Lucilium fluere lutulentum, et esse aliquid quod tollere possis putat. Nam et eruditio in eo mira et libertas, atque inde acerbitas, et abunde salis. » Ed. — *Garrulus,* verborum ac versuum minime parcus. Ed. — *piger,* cum infinitivo, *ferre,* græce, pro: piger in ferendo labore, vel ferendi laboris; ut paulo ante v. 8: « durus componere. » Supr. Od. IV, 14, 22: « impiger vexare turmas hostium; » per *laborem* intellige summam diligentiam, qua, quæ scribuntur, elimari et expoliri debent. — *nam, ut multum, nil moror,* nam nihil moror, parum curo, parvi facio, ut aliquis multum scribat, sed ut recte scribat. Ed.

14. *Crispinus minimo,* etc. Nexus est: tam facile est scilicet multum scribere, ut Crispinus ipse, contemnendus sane poeta, me ad certamen provocare non dubitet, uter alterum versuum scriptorum numero superet. Ed. — De Crispino vid. supr. ad Sat. I, 1, 120. — *minimo,* sub. digito. Isto enim modo significat, qui contemnendum adversarium provocat, eum vel minimo digito dejiciendum ac prosternendum esse. Ed. — *Accipe, si vis, accipiam tabulas;* hæc est vividissima Crispini interpellatio: accipe, Horati, tabulas, ego vicissim accipiam, etc. — Pro *accipiam* alii legunt *accipe jam;* quamvis vulgarem retinuerim lectionem, alteram fatear et vividiorem et ad provocantis indolem iterata voce urgentis acrius, esse accommodatiorem. Ed. — *detur nobis*

Digitized by Google

Custodes; videamus, uter plus scribere possit. »
Dî bene fecerunt, inopis me quodque pusilli
Finxerunt animi, raro et perpauca loquentis;
At tu conclusas hircinis follibus auras,
Usque laborantes, dum ferrum molliat ignis,
Ut mavis, imitare. Beatus Fannius, ultro
Delatis capsis et imagine; quum mea nemo
Scripta legat, vulgo recitare timentis ob hanc rem,

locus, in aliquo loco includamur. Ed. — *hora*, tempus indicetur, intra quod scribere debeamus. Ed. — *Custodes*, ne libro vel versibus jam factis vel aliunde petitis utamur. Ed. — Ad hujus loci colorem Bolæus Ep. II, 8 : « J'entends déjà d'ici Linière furieux, Qui m'appelle au combat sans prendre un plus long terme. De l'encre, du papier, dit-il, qu'on nous enferme. Voyons qui de nous deux, plus aisé dans ses vers, Aura plus tôt rempli la page et le revers. » Ed.

17. *Dî bene fecerunt*, etc. Felicem me prædico, quod dii mihi dederunt animum tenuem et pusillum, qui cogitata raro et paucis expromit, h. e. bene mecum actum esse puto, quod non sum homo, qualis est Crispinus, qui, sicut foliis vento, ita ingente verborum vi tumet et inflatus est. — *loquentis*, animus loqui dicitur, quum ea, quæ meditatus est, profert et edisserit. — *At tu conclusas*, etc. Tu vero, Crispine, ut mavis, imitare tuis versibus turgidis et inanibus, et indesinenter fluentibus, folles vento distentos, qui fornacem usque accendunt, donec igne ferrum molliatur. Folles scilicet semper parati sunt ad auras emittendas, sicut tu, Crispine, semper paratus es ad scribendos versus. Ed. — *hircinis*, ex hircino corio factis. Ed.

21. *Beatus*, felicem se prædicans et mirifice sibimet ipsi placens de ingenii sui fœtu, malis carminibus. — *ultro*, nemine postulante; quia mala carmina nemo desiderat. — *Beatus Fannius*; Schol. Cruq. « Fannius, Quadratus, poeta malus, quum liberos non haberet, hæredipetæ sine ejus cura et studio (hæc est explicatio particulæ *ultro*) libros ejus et imaginem in publicas bibliothecas referebant, nullo tamen merito scriptoris; » infr. Sat. I, 10, 80, idem, ut videtur, dicitur « ineptus conviva Hermogenis. » — *Delatis capsis*, etc. Cistis vel thecis, in quibus scripta Fannii reposita fuere, una cum ejus imagine (*buste*) in bibliothecam publicam deportatis. *Heindorfius* non bibliothecam Palatinam ab Augusto (U. C. DCCXXVI) fundatam, sed primam illam bibliothecam publicam intelligit, quam Asinius Pollio post triumphum Dalmaticum ex manubiis instruxisse traditur, Plin. H. N. VII, 31. De more, quo imagines scriptorum in bibliothecis conspectui expani solebant, vid. Plin. H. N. LII, 2, et, quem jam *Hein-*

Digitized by Google

Quod sunt, quos genus hoc minime juvat, utpote plures
Culpari dignos. Quemvis media erue turba;
Aut ab avaritia, aut misera ambitione laborat.
Hic nuptarum insanit amoribus, hic puerorum;
Hunc capit argenti splendor; stupet Albius ære;
Hic mutat merces surgente a sole, ad eum quo
Vespertina tepet regio; quin per mala præceps
Fertur, uti pulvis collectus turbine, ne quid
Summa deperdat, metuens, aut ampliet ut rem.
Omnes hi metuunt versus, odere poetas.
Fœnum habet in cornu, longe fuge; dummodo risum

dorfius laudavit, *Lips. de bibliosh. syntagm.* c. 9, Opp. lib. III, p. 1137. — *timentis*, quasi scripsisset poeta: *quum nemo legat scripta* mea, *recitare* autem illa *vulgo ob hanc rem* (ideo) *timentis*. — *Quod sunt*, sub. homines. Ed. — *genus hoc*, sc. satirici carminis. Ed.

25. *Quemvis media erue turba;* jam explicat poeta, quam multi digni sint qui culpentur: de medio populo quemlibet producito.—Pro *erue*, h. e. sume sine delectu, alii volunt *elige*. Ed.—*Hic nuptarum*, etc. alium adulterii non pudet. Ed. — *Hunc capit arg. splendor:* alius vasorum argenteorum splendorem admiratur; alius toto animo in vasorum ex ære factorum admiratione defixus est. *Argentum* sæpius de *argento facto*, sive de vasis ex argento factis, ut *æs* simpliciter de vasis ex ære factis; vetus Schol. in hoc loco *æs* de vasis et signis Corinthiis accipit. Equidem intelligo quæque vasa, antiqui artificis cujusdam manu affabre ex ære efficta. Infr. Ep. I, 6, 17: « I nunc, argentum et marmor vetus, æraque et artes Suspice. » Supr. Od. IV, 8, 2, per *æra* poeta designasse videtur *lebetes*. — *Albius* non Tibullus, sed ignobilis quidam homo insano ære amore captus.

29. *Hic mutat*, etc. Alius est mercator, qui quæstus faciendi causa ab oriente ad occidentem usque per maria navigat. Mercatores apud veteres non parata pecunia merces emere, sed merces cum mercibus in terris, quas navi petebant, remotissimis mutare solebant, unde passim Horatius mercatores simpliciter *navitas* appellat. — *ad eum* (solem), *quo Vespertina tepet regio*, elegans et vel epico poeta digna *occidentis* circumscriptio. — *quin per*, etc. Quin, velut pulvis turbine collectus, per summa quæque pericula præceps agitur; infr. Epist. I, 1, 45 sq. « Impiger extremos curris mercator ad Indos, Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes. » — *Summa deperdat*, perdat de summa.

34. *Fœnum habet*, etc. Hinc tu, simul in conspectum tibi venit poeta,

Digitized by Google

Excutiat sibi, non hic cuiquam parcet amico,
Et quodcunque semel chartis illeverit, omnes
Gestiet a furno redeuntes scire lacuque
Et pueros et anus. Agedum, pauca accipe contra:
Primum ego me illorum, dederim quibus esse poetas,
Excerpam numero; neque enim concludere versum
Dixeris esse satis; neque, si quis scribat, uti nos,
Sermoni propiora, putes hunc esse poetam.
Ingenium cui sit, cui mens divinior, atque os
Magna sonaturum, des nominis hujus honorem.
Idcirco quidam, comœdia, necne, poema

clamare soles: longe fuge poetam; is enim timendus, sicut fere bos, qui fœnum in cornu habet. Scilicet cornibus eorum boum, qui sibi obvios cornu peterent, fœnum, tanquam signum, ut sibi ab eo caverent prætereuntes, præligari solebat. — *dummodo.... parcet amico*, hic poeta ne ulli quidem amico parcet, dummodo voluptatem deridendi vitium aliquod amici sibi parare possit. — *sibi*, dativus commodi: in suam voluptatem. Hanc sententiam expressit Bolæus Sat. X: « Gardez-vous, dira l'un, de cet esprit critique; On ne sait bien souvent quelle mouche le pique; Mais c'est un jeune fou qui se croit tout permis, Et qui pour un bon mot va perdre vingt amis. » Ed. — *chartis illeverit*, scripserit; qui scribit enim atramento chartam illinit. Ed. — *omnes Gestiet.... scire*, gestiet nota fieri omnibus vel infimæ conditionis hominibus, vel a furno vel a lacu redeuntibus; per *lacum* intellige alveum, unde aqua per aquæductus ibi collecta arcessebatur; hi *lacus*, quorum magna Romæ fuit copia, peculiaria nomina gerebant, ut *lacus Servilius* apud *Ciceronem* pr. Rosc. Am. c. 32.

38. *Contra*, contra illos qui ita loquentur. Ed. — *dederim... poetas*, quos poetæ nomine dignos esse concesserim. — *Excerpam numero*, scilicet ego non satiras compono, ut poetæ gloriam adipiscar. Ed. — *concludere versum*, versum iis, e quibus ille constare debet, adstringere pedibus. — *si quis.... propiora*, si quis versus, ut nos, scribat, usus scilicet oratione proxime ad sermonem vulgarem et quotidianum accedente. — *mens divinior*, quæ divino quodam afflatu agitatur et incalescit. — *atque os Magna sonaturum* (insolentiori forma pro *soniturum*) os, quod magna sonare possit; *magna sonare* jam est, sublimiores sonos et modos edere; at infr. Sat. I, 6, 43, de ingente vocum altissimarum strepitu dicitur.

45. *Idcirco*, etc. Sensus: fuerunt igitur, qui, utrum comœdia poema esset vocandum, necne, quærerent,

Digitized by Google

Esset, quæsivere; quod acer spiritus ac vis
Nec verbis, nec rebus inest; nisi quod pede certo
Differt sermoni, sermo merus. — At pater ardens
Sævit, quod meretrice nepos insanus amica
Filius, uxorem grandi cum dote recuset,
Ebrius et (magnum quod dedecus) ambulet ante
Noctem cum facibus. — Numquid Pomponius istis
Audiret leviora, pater si viveret? Ergo
Non satis est, puris versum perscribere verbis;
Quem si dissolvas, quivis stomachetur eodem,
Quo personatus pacto pater. His, ego quæ nunc,

quod in comœdiis nec verbis, nec rebus, quæ agantur, sublimitas et gravitas inest, et quod sermo, qui in comœdiis *merus*, h. e. vulgaris et quotidianus est, a sermone, quo in vita communi utimur, non nisi certo pede differt. Opportune *Lambinus* comparat Cic. Orat. 20 : « video visum esse nonnullis, Platonis et Democriti locutionem, etsi absit a versu, tamen, quod incitatius feratur et clarissimis verborum luminibus utatur, potius poema putandam, quam Comicorum poetarum, apud quos, nisi quod versiculi sunt, nihil est aliud quotidiani dissimile sermonis. »

48. *At pater*, etc. Objectio est alicujus : at sententiæ tuæ « spiritum acrem et vim a verbis et rebus in comœdiis abesse, » opponere possum exemplum senis, ira ardentis et sævientis (Menedemi ap. Terent. Heaut. Act. V, Sc. 1), quod filius, *nepos* (dissolutioris vitæ juvenis), insano amore meretricem amicam deperiens, uxorem cum grandi dote recuset, et ebrius, etc. — *ambulet ante Noctem cum facibus*, vulgo non ante noctem, sed intempesta nocte post comissationes per urbem cum facibus discurrere solebant ebrii et lascivi juvenes; in multo majus igitur dedecus incidebant ii, qui jam ante noctem ebrii cum facibus ambulabant; tum scilicet nec silentio, nec tenebris celabatur dedecus. Ed.

52. *Numquid*, etc. Solutio objectionis est : non certe iracunda Menedemi aut Demeæ objurgatio poëseos dici potest, nec ullo modo a familiari sermone discrepat, quum, apud nos etiam, non minus vivide Pomponius a patre, si viveret, reprehenderetur. Ed. — Hic Pomponius, quem quasi sponte sibi obversantem obiter traducit poeta, filio Menedemi apud Terentium haud dissimilis fuit. — *leviora*, minus aspera. — *Ergo* refer ad omissam sententiam : « at opprobria, quæ iratus pater in comœdia jacit, non sunt verba sublimiora vel poetica, sed vulgaria et *pura*, ut statim dicuntur, h. e. nihil ornatus et elegantiæ habentia. — *personatus pater*,

Digitized by Google

Olim quæ scripsit Lucilius, eripias si
Tempora certa, modosque, et quod prius ordine verbum est
Posterius facias, præponens ultima primis:
Non, ut si solvas, « Postquam discordia tetra
« Belli ferratos postes, portasque refregit, »
Invenias etiam disjecti membra poetæ.
Hactenus hæc: alias, justum sit, necne, poema;
Nunc illud tantum quæram: meritone tibi sit
Suspectum genus hoc scribendi. Sulcius acer
Ambulat et Caprius, rauci male, cumque libellis;
Magnus uterque timor latronibus; at bene si quis
Et vivat puris manibus, contemnat utrumque.

in scenam, ubi personam patris induit, productus. — *eodem pacto*, iisdem verbis puris, sermone vulgari.

58. *Tempora certa*, pedes ex longioribus et brevioribus syllabis constantes; *certos modos*, numeros ad certam mensuram compositos, rhythmum. — *Non, ut si solv.* etc. Junge: *non... etiam*, h. e. non pariter; sensus: in his meis et Lucilii versibus, si pedum ordinem, sive metrum turbes tollasque, non ita, sicuti in Ennii versibus « Postquam discordia, etc. » disjecta versuum membra invenias; Ennii enim versus vel disjecti poetam produnt; at nostri, si eos dissolvas, quotidianum sermonem sapiunt. Hi versus ex Ennii Annalibus sumuntur. — *disjecti membra poetæ*, imago optima, qua significatur disturbatis carminum pedibus, mutatoque verborum ordine, etsi jam versus non supersint, vivere adhuc hac in confusione ardentem ingenii spiritum quo poeta declaretur. Ed.

63. *Hactenus hæc*, etc. Jam satis de Satira et Comœdia dictum est; alio tempore, alia occasione quæremus, an Comœdia sit justum poema, necne; nunc illud tantum a te quæram, an, etc. Ed. — *meritone... scribendi*, an jure tibi invisum sit hoc scribendi genus, quo versibus vulgari sermone compositis hominum vitia ridentur. — *Sulcius et Caprius*. Sch. Porph. « Hi acerrimi delatores et causidici fuisse traduntur, et ideo rauci, quod in contentione judiciorum clamant; cum libellis autem (in) quibus annotant, quæ deferant. » — *Ambulat*, cf. ad Sat. I, 2, 25. — *rauci*, rauci fiunt causidici multa in orando vociferatione; Mart. IV, 8, 2: « Exercet raucos tertia (hora) causidicos. » — *male*, malam, sceleratam artem delationis exercendo rauci facti sunt. Ed. — *cumque libellis*, in quibus perscripta est accusatio quæsitori tradenda. — *at bene si quis*, etc. At si quis recte et sceleris, quo latrones manus suas polluunt, purus vivit, non hos delatores timet. Ed.

Digitized by Google

Ut sis tu similis Cœlî, Birrîque, latronum,
Non ego sim Caprî, neque Sulcî; cur metuas me?
Nulla taberna meos habeat, neque pila, libellos,
Queis manus insudet vulgi, Hermogenisque Tigellî:
Nec recito cuiquam, nisi amicis, idque coactus,
Non ubivis, coramve quibuslibet. In medio qui
Scripta foro recitent, sunt multi; quique lavantes:
Suave locus voci resonat conclusus. Inanes
Hoc juvat, haud illud quærentes, num sine sensu,
Tempore num faciant alieno. — Lædere gaudes,
Inquis, et hoc studio pravus facis. — Unde petitum

69. *Ut sis tu*, etc. Quamvis tu sis latro, sicuti Cœlius et Birrius, ego tamen non sum delator vel accusator, quales fuerunt Sulcius et Caprius, cur igitur ego tibi timendus sim?

71. *Nulla taberna*, etc. Libelli mei in nulla taberna, neque ad columnas apud porticus publicas venales prostent; venales scilicet libros habebant bibliopolæ vel in tabernis, vel in armariis ad columnas porticuum; Schol. « Hoc ideo posuit, quia bibliopolæ stationes vel armaria circa pilas, vel columnas habebant, » et Schol. Porphyr. « negat se libellos suos edere bibliopolis, qui vel *tabernas* habeant, vel armaria, quæ sunt apud *pilas;* » cf. infr. A. Poet. 373. — *Queis manus insudet*, etc. Qui terantur manibus vulgi et aliorum hominum, qualis fuit Hermogenes Tigellius. Hermogenes, ut viri docti speciem præ se ferret, sæpius in bibliopolarum tabernis versatus videtur. — *Nec recito*, etc. Sc. quæ scripsi, vel versus meos. — *Non ubi vis*: locum et auditores eligo. Ed.

75. *Scripta foro recitent;* hic enim Romæ mos fuit, quum, non inventa arte typographica, scripta lente admodum et ægre innotescerent, ut vel publice in foro, vel in privatis domibus coram plurimis auditoribus recitarentur. Vid. passim Plinii Epistolas, Martialis Epigram. etc. Ed. — *quique lavantes*, sunt multi etiam qui, dum lavant, dum in balneo sunt, scripta recitent. Ed. — *Suave... conclusus*, locus enim, ab omni parte in balneis clausus, voce recitantis versus suaviter, ut vani isti homines putant, resonat. — *Suave* pro suaviter, ut passim. — *Inanes*, homines vanos, leviculos, auram popularem affectantes. Ed. — *haud illud quærentes*, non curantes id, parum solliciti. — *num sine sensu*, etc. num stulte, ridicule; num opportuno tempore in medio foro, vel in balneis versus recitent.

79. *Inquit*, sc. adversarius; alii legunt: *Inquis*, utrumque recte. — *studio pravus facis et hoc* (quod gaudes lædere) *facis*, ut homo qui *pravus* est, *studio* (libidine) lædendi;

Digitized by Google

Hoc in me jacis? est auctor quis denique eorum,
Vixi cum quibus? Absentem qui rodit amicum,
Qui non defendit, alio culpante; solutos
Qui captat risus hominum, famamque dicacis;
Fingere qui non visa potest, commissa tacere
Qui nequit; hic niger est; hunc tu, Romane, caveto.
Sæpe tribus lectis videas cœnare quaternos,
E quibus unus avet quavis adspergere cunctos,

pro vulgari: et hoc facis pravo studio.— *Unde petitum hoc*, sc. opprobrium. — *est auctor*, etc. Quis tandem eorum, quibuscum vixi, hujus opprobrii est auctor? vel: estne aliquis eorum, etc.?

81. *Absentem*, etc. Ad nexum orationis supplenda fere hæc: Non ego sane, qui ridiculos et vitiosos homines mordeo, malus et odio dignus sum; sed ille et malus et odio dignus est, qui amicum absentem rodit, etc. Ed. — *rodit*, invido dente mordet, sugillat, carpit. Infr. Sat. I, 6, 48: « Quem rodunt omnes libertino patre natum.» Cicero P. Balb. 26: « More hominum invident, in conviviis *rodunt*, in circulis idcirco vellicant.»— *captat risus*, aliis nocere non dubitat, dum risum moveat. Ed. — *risus solutos*, h. e. immodicos; nos simili ratione: « rire à gorge déployée. » Ed.—*Fingere.... non visa*, mentiri. Ed. — *hic niger est*, hic improbus, et malæ mentis homo est; apud Græcos quoque *improbi* vocantur μέλανες. — *Romane*, o tu, quicumque Romanæ virtutis sensu imbutus es.

86. *Sæpe tribus*, etc. Sententia est, ut lucide explicat Juvencius: reperitur sæpe in frequentissimo convivio, in quo non tres tantum in singulis lectulis, pro more, sed quatuor accumbant, unus aliquis qui aveat, id est, gestiat alios in omnem partem aceto et dicteriis suis adspergere, præter illum tamen qui aquam ad lavandum, qui balnea convivis præbet, qui domus et convivii dominus est. Illum enim excipit, illi soli parcit; at ne parcit quidem semper; sed hunc quoque post alios carpit, suisque salibus adspergit potus, id est, quando plusculum adbibit, quando factus est potando hilarior, quum Liber verax, id est, vinum veritatis amans aperit animorum abditos sensus et omnia efferre suadet. Hic tamen habetur urbanus et laudatur a te qui satiricos poetas, ut homines nigros odio prosequi videris. Ed.—*trib. lectis*; in triclinio non nisi tres lecti erant. In quoque lecto, pro more, tres convivæ accumbebant. Quum vero frequens erat convivium, quatuor aut etiam amplius eodem lecto simul utebantur. Ed.

87. *Unus avet*. Doëring dat, *imus amet*: sed male; nam cujus lecti *imus*? an trium lectorum? Ed. — *quavis adspergere cunctos*, quavis ratione, h. e. quibusvis dicteriis et salse dictis obruere (lædere, perstrin-

Digitized by Google

Præter eum, qui præbet aquam; post, hunc quoque potus,
Condita quum verax aperit præcordia Liber.
Hic tibi comis et urbanus liberque videtur
Infesto nigris; ego, si risi, quod ineptus
Pastillos Rufillus olet, Gorgonius hircum,
Lividus et mordax videor tibi? Mentio si qua
De Capitolini furtis injecta Petillî
Te coram fuerit; defendas, ut tuus est mos:
— « Me Capitolinus convictore usus amicoque
A puero est, causaque mea permulta rogatus
Fecit; et incolumis lætor quod vivit in Urbe:
Sed tamen admiror, quo pacto judicium illud

gere) cunctos, sive quævis dicteria in cunctos effundere. — *adspergere* pro perstringere; ap. Ciceronem ad Div. VI, 6: « leviter adspersus » pro: leviter perstrictus. Cf. *Lambin.* — *qui præbet aquam*, convivii dominus; ante cœnam enim convivis balnea parabantur. Unde infr. Sat. II, 2, 68: « ..... neque sicut simplex Nævius unctam Convivis præbebit aquam. Ed. — *hunc* (convivatorem) *quoque*, sc. adspergere. — *potus*, quum jam vino satis usus est. Ed. — *Condita præcordia*, arcana in pectore condita. — *comis, urbanus*, omnia ejus dicteria urbanitátem excedere non tibi videntur. Ed. — *Liber*; ejus acritudinem libertatem vocas. Ed. — *Infesto nigris*, tibi, qui dicacibus ac maledicis hominibus infestus vis videri. Ed. — *Pastillos Rufillus*, etc. Vid. supr. Sat. I, 2, 27. Hic versus inprimis, quia nominatim tangebat, quibusdam reprehendendus videbatur. Ed.

94. *De Capitolini furtis Petillî.* Schol. Cruq. « Fingit se loqui cum amico aliquo Petillii Capitolini, qui, quum præesset Capitolio, unde Capitolinus dictus est, accusatus est, quod coronam Jovis Capitolini rapuisset; quare ipse sublatæ coronæ causam dixit, et absolutus est a judicibus in gratiam Augusti, cujus amicus erat. » — *defendas, ut tuus est mos*, defensurus es Petillium, ut soles, hunc in modum, vel his verbis: *Me Capitolinus*, etc. — *amicoque*, particula *que* a sequente in proœimo versu vocali absorbetur. Ed. — *A puero*, a pueritia. Ed. — *causaque mea permulta rogatus Fecit*, et adeo amicus mihi erat, ut multa ab eo petierim, quæ mei causa fecit. Ed. — *Sed tamen*, etc. En hominem nigrum! postquam veterem Petillii amicitiam ejusque erga se officia laudavit, et, quod ille, criminis insimulati absolutus, in urbe vivat, se lætari professus est, idem, qui factum sit, ut Petillius absolveretur, se non satis assequi posse, ait. Hunc omnem locum imitatus est Bolæus Satir. IX: « Si l'on vient à chercher

Digitized by Google

Fugerit. » — Hic nigræ succus loliginis; hæc est
Ærugo mera: quod vitium procul abfore chartis,
Atque animo prius, ut si quid promittere de me
Possum aliud vere, promitto. Liberius si
Dixero quid, si forte jocosius; hoc mihi juris
Cum venia dabis. Insuevit pater optimus hoc me,
Ut fugerem, exemplis vitiorum quæque notando.
Quum me hortaretur, parce, frugaliter, atque
Viverem uti contentus eo, quod mî ipse parasset:
« Nonne vides, Albî ut male vivat filius? utque

pour quel secret mystère Alidor à ses frais bâtit un monastère; Alidor, dit un fourbe, il est de mes amis; Je l'ai connu laquais, avant qu'il fût commis. C'est un homme de bien, de piété profonde, Et qui veut rendre à Dieu ce qu'il a pris au monde. » Ed.

100. *Hic nigræ*, etc. Qui ita loquuntur et sentiunt, qui alios a crimine aliquo purgare et ut amicos defendere velle se simulant, eosdemque hujus ipsius criminis suspectos reddunt, pessimi animi sunt homines: pro *succus* revocavit *Fea* lectionem plurimorum vett. codd. *fucus* i. e. virus.—*loliginis*. Schol. Crur. « Loligo genus est piscis marini, succum habens nigrum et atramento similem. » — *Ærugo* proprie de rubigine in ære (nos: « vert de gris »), transfertur ad invidiam et livorem, qui apud Ovidium Amor. I, 15, 1, dicitur *edax*, quia similis est ærugini, quæ æs exedit.—*quod vitium... promitto*, quam quidem malivolentiam a scriptis meis atque ab animo meo (*prius*), antequam a scriptis, longe abfore, id ego, si quid unquam aliud vere promittere possum, promitto.— *ut si quid*, etc. Junge: *si quid, ut aliud* unquam, *vere de me promittere possum*, sed dura et molesta est hæc verborum collocatio; lenius sane flueret oratio, si pro *ut* legeris: *id*. *Id* ego vere *promitto, si quid aliud* (unquam) *vere de me promittere possum*.

103. *Liberius si dixero quid*, si quem libere reprehendam. Ed. — *si forte jocosius*, si quem jocose risero, Ed.— *hoc mihi... Cum venia dabis*. hoc jus mihi concede, huic peccato ignosce. Ed. — *insuevit pater*, etc. Sensus: ego mature didici animum ad vitia hominum advertere, *optimus pcter me insuevit hoc*, (ad hoc me adduxit) ut fugerem vitia, dum quæque eorum notaret exemplis ante oculos positis. *Insuescere* active cum accusativo; Columell. VI, 4: « ea pecus insuescas. » — *notando* non cum *Heindorfio* ad filium (Horatium), sed ad patrem omnino referendum esse, satis docent sequentia, sive ipsa exempla *a patre* proposita.

109. *Albî.... filius*, filius *Albii* cujusdam. — *Barrus*, *Sectanus* et

Digitized by Google

Barrus inops? magnum documentum, ne patriam rem
Perdere quis velit. » A turpi meretricis amore
Quum deterreret : « Sectani dissimilis sis. »
Ne sequerer mœchas, concessa quum Venere uti
Possem : « deprensi non bella est fama Trebonî, »
Aiebat; « sapiens, vitatu quidque petitu
Sit melius, causas reddet tibi; mî satis est, si
Traditum ab antiquis morem servare, tuamque,
Dum custodis eges, vitam famamque tueri
Incolumem possum : simul ac duraverit ætas
Membra, animumque tuum, nabis sine cortice. » Sic me
Formabat puerum dictis; et, sive jubebat,

Trebonius fuerunt malæ notæ homines, satis tûm Romanis noti. — *male vivat,* turpes enim libidines misera et turpis vita sequitur. — *Barrus* sive *Barus,* de quo Schol. Porph. « Hic Barrus vilissimæ libidinis fuit, adeo, ut Æmiliam virginem incestasse dictus sit; certe adulteras sincerissima (an *insanissima?*) cupiditate sectabatur, » alibi quoque ab Horatio ut homo nequam et ineptus notatur; cf. Sat. I, 6, 3, et Sat. I, 7, 8. — *Quum deterreret,* sc. pater. — *concessa Venere,* de illa scilicet voluptate accipiendum est, quæ ex libertinarum commercio percipitur. Nam earum commercium, ut dixit Noster supra Sat. II, nec periculum habet ut matronarum, nec infamiam, ut meretricum. Ed.— *deprensi,* sc. in adulterio. Ed.

115. *Sapiens, vitatu,* etc. Philosophus aliquis causis et rationibus docebit, quæ fugienda, quæ optanda sint: ego, qui philosophus non sum, exemplis id faciam, juxta morem ab antiquis traditum. Ed. — *vitam fam. tueri,* te a vitiis deterrere, quæ aut vitam, aut famam adimant. Ed.— *duraverit,* corroboraverit. — *nabis sine cortice,* non amplius patris cura et custodia egebis, sicuti illi, qui artem natandi tenent, non amplius egent cortice vel subere, cujus ventri suppositi ope natandi arti opera datur.

121. *Et, sive jubebat,* etc. Et, sive ad aliquid faciendum me impellebat, unum ex selectis judicibus exemplo, quod ego imitarer, mihi proponebat (*objiciebat*) dicens : en habes auctorem, quo hoc facias! sive me aliquid facere vetabat, an, dicebat, quum ob idem, quod tu tentas, hic atque ille male audiat, addubites, utrum id honestum an inhonestum, utrum utile an periculosum sit? — *ex judicib. selectis;* Schol. Cruq. « proferebat in exemplum virum aliquem illustrem ex senatorio vel equestri ordine, qui aliquando propter æquitatem et justitiam fuerat selectus in ju-

Digitized by Google

Ut facerem quid, « Habes auctorem, quo facias hoc, »
Unum ex judicibus selectis objiciebat;
Sive vetabat, « An hoc inhonestum et inutile factu,
Necne, sit, addubites, flagret rumore malo quum
Hic atque ille? » Avidos vicinum funus ut ægros
Exanimat, mortisque metu sibi parcere cogit;
Sic teneros animos aliena opprobria sæpe
Absterrent vitiis. Ex hoc ego sanus ab illis,
Perniciem quæcumque ferunt; mediocribus, et queis
Ignoscas, vitiis teneor; fortassis et isthinc
Largiter abstulerit longa ætas, liber amicus,
Consilium proprium: neque enim quum lectulus aut me
Porticus excepit, desum mihi: « Rectius hoc est,
Hoc faciens vivam melius; sic dulcis amicis

dices. » De *selectis judicibus* vid. *Ernest.* Clav. Cic. s. v. *selectus.* — *An hoc* pro: utrum hoc. — *flagret rumore malo,* uratur publicis reprehensionibus. Ed.

126. *Avidos,* sc. potus et ciborum, qui ægroto nocent; sic seq. Sat. v. 75: « convivæ avidi, » edendi cupiditate flagrantes.—*Exanimat,* terrore complet. — *sibi parcere,* valetudinis suæ curam habere, non aviditatem edendi vel bibendi explere velle, sed abstinere ab iis, quæ valetudini obsunt; infr. Epist. I, 7, 11: « Ad mare descendet vates tuus, et *sibi parcet.* »— *Ex hoc ego sanus ab illis,* hac consuetudine, qua pater me puerum dictis et exemplis formavit, firmus et validus sum contra illa vitia, sive, integer et tutus sum ab omnibus illis vitiis, quæ parant perniciem.

130. *Mediocribus, et queis Ignoscas, vitiis teneor,* vitia quidem habeo, sed mediocria et ignoscenda. De se ipso infr. Sat. VI, 65: « atqui si vitiis mediocribus, ac mea paucis Mendosa est natura, alioqui recta, velut si Egregio inspersos reprehendas corpore nævos. » Ed. — *fortassis et isthinc Largiter abstulerit longa ætas,* fortasse etiam de his mediocribus vitiis ætas longior, ubi juvenilis fervor et vehementia deferbuit, multum detraxerit. — *liber amicus,* qui libere amicum de ejus vitiis monet, eumque ab iis dehortatur. — *Consilium proprium,* meditatio. Ed. — *neque... desum mihi,* neque, quum vel quiesco in lectulo, vel ambulo in porticu, animi mei excolendi immemor sum, immo diligenter eum excutio et tacite mecum: *Rectius hoc,* etc. — *Rectius hoc est,* hæc et sqq. verba sunt poetæ sibimet dicta, ut

Digitized by Google

Occurram : hoc quidam non belle; numquid ego illi
Imprudens olim faciam simile? » Hæc ego mecum
Compressis agito labris : ubi quid datur otî,
Illudo chartis : hoc est mediocribus illis
Ex vitiis unum; cui si concedere nolis,
Multa poetarum veniat manus, auxilio quæ
Sit mihi, nam multo plures sumus, ac veluti te
Judæi cogemus in hanc concedere turbam.

sua vitia emendet. Ed.— *Occurram,* videbor. — *hoc quidam non belle,* sub. fecit. Ed.

139. *Compressis labris,* tacitus.— *Illudo chartis,* ludendo chartis illino, pro vulgari : chartis mando. — *mediocribus illis ex vitiis unum,* hoc est unum ex illis mediocribus vitiis, de quibus modo dixi. Vid. supr. I, 130. — *concedere,* veniam dare, ignoscere. — *ac veluti Judæi cogemus,* poeta carpit Judæos, quovis persuasionis genere et quibusvis machinis alios tum temporis in doctrinæ et disciplinæ suæ societatem trahentes.— *in hanc concedere turbam,* hujus poetarum agminis socium fieri, et ipsum carmina satirica componere.

Analysis. A nonnullis, ut videtur, reprehensus quod ceterorum vitia carperet, Horatius explicare statuit, cur satiricos versus scribat, quid utilitatis satiræ habeant. Ad quod tractandum argumentum, a satiræ origine initium sumit poeta. Satira scilicet e prisca Græcorum comœdia orta est; hanc comicorum imitator Lucilius Romam transtulit. Hic pauca subjicit de Lucilii versibus; inde ad contemnendos aliquot suæ ætatis poetas devenit, qui cum vitioso quoque satiras metuunt ac oderunt. Ipse autem his respondet se poetam non esse; atque nonnulla disserens de comico sermone, comœdiam et satiram ad poesim non pertinere profitetur. Addit Horatius eos tantummodo satiram metuere, qui non puri vixere, ut fures tantum delatores metuunt. Alioquin Horatius opera sua non vulgi manibus permittit, nec ea unquam nisi amicis et coactus legit. Et sane ille improbus est, qui amicos calumniis prosequitur, qui fidem fallit, etc. dum contra quid peccati est hominem ridiculum derideri? Ceterum Noster hanc a patre consuetudinem cepit, qui ut natum a vitiis deterreret, vitiosos homines notabat, et reprehensione odioque dignos significabat. Poeta ipse, tali consuetudine, sese a multis vitiis amovit; quædam tamen retinuit; quæ ut emendet, iisdem vitiis laborantes homines curiose examinat; sæpe, quæ notavit, chartis mandat; et sic scribitur satira. Hoc enim ex vitiis suis unum est, cui nisi ignoscas, multis aliis

Digitized by Google

poetis adjutus, te satirarum scriptorem coget fieri. — Hæc satira hilariter ac lepide finem sumit. Hujus Bolæus, præter varias imitationes quas in notis indicavimus, argumentum secutus est in satira nona.

SATIRA V.

Suavissima itineris, quod poeta, comite Heliodoro rhetore, Brundusium fecit, descriptio.

Egressum magna me excepit Aricia Roma
Hospitio modico; rhetor comes Heliodorus,
Græcorum longe doctissimus. Inde Forum Appî,
Differtum nautis, cauponibus atque malignis.
Hoc iter ignavi divisimus, altius ac nos
Præcinctis unum: minus est gravis Appia tardis.

1. *Magna,* urbi *magnæ* opponitur *parvum* oppidum Aricia, sita trans montem Albanum in via Appia; nunc vocatur *la Rizza.* Ed. — *modico,* ubi non larga, sed modica suppeditatur ciborum copia, hinc infr. Epist. I, 5, 2: « olus cœnare *modica* patella. » — *rethor,* ita vulgo appellabantur qui eloquentiam docebant ac profitebantur. Ed. — *comes,* unus comes erat Heliodorus; ceteri in via Horatio se adjunxerunt. Ed. — *Græcorum,* sc. virorum. — *Forum Appî,* oppidum in via Appia, unde per paludes Pontinas ad Feroniæ fanum (v. 24) navigabatur. *Fora* et *conciliabula* fuerunt parva oppida, ubi jus dicebatur et nundinæ habebantur. *Sic forum Aurelium* apud Cic. in Catil. I, 9; de *foris* et *conciliabulis* copiose disputavit *M. Donatus* ad Liv. XL, 19. Cf. *Sigon. Ant. Jur. Ital.* — *nautis*... *nautæ,* homines fere sunt rudes, feri et inculti. — *malignis,* accommodate ad ingenium cauponum, qui ex lucri studio ad se devertentibus *maligne* (h. e. parca et avara manu, magno autem pretio) dare solent necessaria; Sat. I, 1, 29: « caupo perfidus. »

5. *Hoc iter,* etc. Hoc iter, quod gnavioribus unius diei iter est, nos tardi et ignavi in duorum dierum iter divisimus. — *altius præcinctis,* qui rem aliquam gnaviter tractare volebant, vestem, ne illa corporis agilitati impedimento esset, altius super femora usque cingulo subnectebant; hinc *gnavi* dicuntur *alte cincti* infr. Sat. II, 8, 10: « puer alte cinctus. » Phædr. Fab. II, 5, 11: « alticincti atrienses, » at *discincti,* ignavi. — *minus est gravis Appia tardis,* via Appia minus dura est lentius ambulantibus, vel propter hospitiorum fre-

Digitized by Google

Hic ego, propter aquam, quod erat deterrima, ventri
Indico bellum, cœnantes haud animo æquo
Exspectans comites. Jam nox inducere terris
Umbras, et cælo diffundere signa parabat:
Tum pueri nautis, pueris convicia nautæ
Ingerere: « Huc appelle — trecentos inseris! — ohe!
Jam satis est. » Dum æs exigitur, dum mula ligatur,
Tota abit hora. Mali culices, ranæque palustres
Avertunt somnos: absentem ut cantat amicam

quentiam, vel quia multis in locis, ut nunc etiam est, aspera declivisque festinantibus incommoda erat. Doëring dat *nimis* pro *minus;* sed male. Via illa Appia vocata est a censore Appio Cæco, qui eam quadratis lapidibus stratam muniverat. Ed.

7. *Deterrima*, deterrimi saporis, quia fuit fœtida, ut docet *Cruquius;* totus enim ille locus paludosus fuit. — *ventri bellum indico*, qui ventri cibum potumque denegat, hostiliter quasi contra ventrem exsurgit, eumque infestum sibi reddit; hinc venter jejunus atque esuriens suaviter dicitur infr. Sat. II, 8, 5: *iratus.* — *cœnantes haud animo æquo exspectans*, exspectabat *Horatius* impatiens moræ a cœnantibus interpositæ, vel potius ægre ferens quod, dum cœnarent alii, ipse coactus a cœna abstineret. Quivis enim aut expertus est, aut animo concipit, quam durum sit esurienti convivas minime impeditos, dapesque naribus oculisque gratissimas, a quibus abstinere jubet vel medicus, vel quidlibet aliud, contemplari. Hinc sane veteribus poetis Tantalici supplicii idea orta est. Ed. — *comites*, non modo Heliodorum et servos Horatii, sed etiam eos omnes, quibuscum Feroniam cymba iturus erat. Horatius scilicet sub vespere in hunc locum devenerat, post cœnam noctu Feroniam iturus. Ed.

9. *Jam nox*, etc. Versus elegantissimi, ut infr. v. 73, 74. Cf. supr. ad Sat. I, v. 113 seq. — *diffundere signa*, sic « Nox cælum astris spargere » dicitur apud Ovid. Met. XI, 309. — *Tum pueri*, etc. Sensus et nexus: Tum servi nostri et nautæ conviciis invicem se petere incipiunt; unus servorum clamat: huc navem appelle; et quum, nave appulsa, ingentem hominum numerum in eam descendere videt, iterum clamat: Ohe! desine plures inserere; jam satis est! *trecenti*, ut *sexcenti*, numerus rotundus de magna copia. — *æs*, intellige naulum quod quidem a cymbam ingredientibus exigebatur. — *Dum mula ligatur*, dum mula in ripa navi ad eam per illum canalem trahendam alligatur, ut fit in nostris navigiis vectoriis (Gallice *des coches d'eau*) quæ equi adversa unda trahunt. Ed. — *tota abit hora*, omnes sciunt quantum temporis in paratibus ad quodlibet iter suscipiendum consumatur. Ed.

15. *Avertunt somnos*, nobis lin-

Digitized by Google

Multa prolutus vappa nauta atque viator
Certatim : tandem fessus dormire viator
Incipit; ac missæ pastum retinacula mulæ
Nauta piger saxo religat, stertitque supinus.
Jamque dies aderat, quum nil procedere lintrem
Sentimus : donec cerebrosus prosilit unus,
Ac mulæ nautæque caput lumbosque saligno
Fuste dolat : quarta vix demum exponimur hora :
Ora, manusque tua lavimus, Feronia, lympha.

trem ingressis. Ed. — *absent. ut cant. amicam,* etc. Simul et nauta, et viator, *les passagers,* non mulæ agitator, ut volunt alii, quum largis vini corrupti et insipidi haustibus incaluisset, canendo suum quisque amorem erga absentem puellam exprimit. Ed. — *prolutus,* madefactus, madidus, uvidus (βεβρεγμένος), Sat. II, 4, 26 : « præcordia leni mulso proluere, » h. e. mulsum bibere. Persius Prolog. I : « labra *fonte Caballino proluere,* » e fonte Caballino labra madefacere, h. e. bibere; Virgil. Æn. I, 739 : « pleno auro se proluere, » poculum aureum vino plenum exhaurire; et sic fere *lavere,* supr. Od. III, 12, 1 : « dulci vino mala lavere. » — *vappa,* vino malo et acescente. — *fessus dormire viator Incipit;* qui nave vehitur, vino gravatus, et itinere cantibusque fessus, somno indulget. Ed. — *ac missæ pastum retinacula,* etc. Mulam nauta solvit, eamque in proximum pratum dimittit pastum, h. e. ut herbam pascat; mox retinacula, seu funem quo antea cymbæ jungebatur, ad saxum alligat, ne cymba longius aberret. Alii volunt mulam, non cymbam saxo alligari : sed male. Ed. — *stertitque supin.* dormitque in tergo jacens. Ed.

20. *Jamque dies ader. quum nil,* etc. Dormierant scilicet viatores, qui prima luce experrecti, stare lintrem sentiunt. Ed. — *cerebrosus,* fervidioris ingenii homo, qui subito ira exardescit, irritabilis. — *prosilit,* optime de homine expergiscente ac subita ira incenso. Ed. — *nautæque,* qui pariter ac viator ad dormiendum se composuerat. — *saligno,* e salice litorali. — *dolat,* proprie lignum polire, complanare dolabra; pro : percutit, cædit. *Fuste lumbos dolare,* jocosa apud Romanos in vita communi fuisse videtur locutio, uti nos : « caresser les épaules avec un bâton. » Ed. — *exponimur,* terram tangimus, lintremque linquimus. Ed.

24. *Ora, manusque lavimus,* etc. Fontes sacros existimabant veteres : itaque religionis causa Horatius et comites ora manusque laverunt aqua Feroniæ. Ea vox *lavimus* temporis præsentis est, ab antiquo, *lavo, lavis, lavit.* Vide supr. Od. IV, 6, 26. Ed. — *Feronia,* prisca apud Italos dea, quæ modo *Nympha* (ob fontem, cui

Digitized by Google

Millia tum pransi tria repimus, atque subimus
Impositum saxis late candentibus Anxur.
Huc venturus erat Mæcenas optimus, atque
Cocceius; missi magnis de rebus uterque
Legati, aversos soliti componere amicos.
Hic oculis ego nigra meis collyria lippus
Illinere: interea Mæcenas advenit, atque
Cocceius, Capitoque simul Fonteius, ad unguem

præsidebat), modo conjux Jovis Anxuri (Virg. Æn. VII, 799) appellatur. Templum eam tria millia passuum ab Anxure sive Tarracina habuisse, ex hoc loco discimus. — *repĭmus;* Schol. Porphyr. « quia illis temporibus adhuc urbs Tarraconensis in altissimo monte erat. » — *saxis candentibus*, candidum fere nitorem e longinquo ostendentibus; sic fere « Cyclades nitentes, » supr. Od. I, 14, 19, sed Schol. Porphyr. « saxa candentia » stulte explicat: calci coquendæ aptissima. — *Anxur*, urbem in monte positam, ubi Jupiter nomine *Anxuris*, vel Axuri, id est, imberbis, seu barbati, (a vocibus græcis ἄνευ, *sine*, et ξυρεῖν, novacula) colebatur; nunc vocatur *Terracina*. Ed.

28. *Magnis de rebus*, de componendis scilicet Augusto et Antonio, terminandisque dissidiis quæ imperium Romanum perditum ibant. Ed. — *aversos... amicos*, ubi alter ab altero, facto discidio, avertitur; intellige Augustum et Antonium; Schol. Cruq. « Ab Antonio missus fuerat Fonteius Capito legatus; ab Augusto Mæcenas, intercedente Cocceio Nerva, proavo Nervæ imperatoris, qui et Augusto et Antonio gratus erat: ea autem conditione convenerant legati, ut de summa rerum tractarent, exortamque dissensionem inter duos hos imperatores componerent: quod et fecerunt, et utrumque exercitum juxta Brundusium in una castra cum magna lætitia coegerunt, » ut refert Liv. lib. CXXVII.

30. *Lippus*, quod jam Horatius, se Anxure ut hominem lippum oculis suis collyria illevisse, narrat, id ipse profecto ad jucunditatem descripti itineris referre non poterat. Scilicet Horatius, qui fortasse laboraverat aliquando lippitudine, ab adversariis, ut supra observavimus ad Sat. I, 1, 120, contemtim *poeta lippus* ipse appellatus fuisse videtur. Ad hos igitur de hoc inepto convicii genere ridendos data opera nonnunquam Horatium lippitudinis sibi exprobratæ mentionem fecisse, haud improbabile est. Certe Horatius, quum hoc carmen scriberet, (viginti septem scilicet annos natus, ut docet supra ad Sat. I, 120 *Heindorfius*) nondum in ea ætate constitutus fuit, ubi *continuo lippire* solent homines. — *ad unguem factus homo*, diligentissime expolitus. Translata est hæc locutio a statuariis, qui, quidquid in opere asperi digitorum

Digitized by Google

Factus homo; Antonî, non ut magis alter, amicus.
Fundos Aufidio Lusco Prætore libenter
Linquimus, insani ridentes præmia scribæ,
Prætextam, et latum clavum, prunæque batillum.
In Mamurrarum lassi deinde urbe manemus,
Muræna præbente domum, Capitone culinam.
Postera lux oritur multo gratissima: namque
Plotius et Varius Sinuessæ, Virgiliusque

vel unguium sensu animadvertunt, lævigant et expoliunt. Cf. infra Epist. III, 1, 294, et ibi *Fea*.

34. *Fundos*, parvum in via Appia *municipium*, sive secundum Pestum *præfecturam* Tarracinam inter et Formias sitam, cui præerat nunc, a prætore urbano, ut videtur, eo missus, vanus quidem homo, Aufidius Luscus, scriba (magistratuum in rebus literis mandandis administer), qui, quasi ipse esset prætor, externis insignibus, prætexta, lato clavo, ac prunæ batillo, prætoris dignitatem ridicule præ se ferre et adsimulare studebat. Hinc Horatius, quasi ejus iter ad res insignes sub adsimulata Anfidii Lusci prætura gestas pertinuerit, falsæ et jocose: « Aufidio Lusco Prætore Fundos linquimus. » De *scribis Quæstoriis, Ædiliciis, Prætoriis*, etc. in decurias descriptis vid. *Ernest.* in Clav. Cic. s. v. *scriba*. — *libenter*; libenter enim homo stultus ac superbus relinquitur. Ed. — *præmia*, honores scribæ delatos. — *latum clavum*: erat latus clavus tunica, cujus duæ partes ante pectus jungebantur fibulis et erant ornatæ tænia quadam purpurea assuta, quæ in lato clavo latior, in angusto clavo angustior erat. Quidam globulos sericos qui tanquam clavi, seu clavorum capita prominerent, in veste additos fuisse ad ornatum volunt. Hinc laticlavium dictum, si ampliores forent globuli serici; angusticlavium, si minores et angustiores. Ed. — *latum clavum* gestabant senatores, unde illi *laticlavii; angustum* equites, unde illi *angusticlavii*. Notus est *Rubenii* peculiaris de *lato clavo* libellus. — *prunæque batillum*. *Batillum* vel *batillus* fuisse videtur foculus, qui prunis ardentibus ad suffimenta adolenda impletus, magistratui in re solenni peragenda præferretur.

37. *In Mamurrarum urbe*, Formiis: Schol. Cruq. « Mamurra senator fuit Romanus, qui maximam partem civitatis Formianæ possidebat, unde dicta est Mamurrana civitas, vel quod familia Mamurrarum illinc fuerit oriunda. »

38. *Muræna*, Terentiæ, Mæcenatis uxoris, fratre. — *præbente dom.* ubi pernoctaremus. Supr. Od. III, 19, 7: « Quó præbente domum, » sc. ad compotationem. — *Capitone culin.* Instruxerat igitur se Capito iis, unde viveret cum comitibus, ubi esset in hoc itinere cibi potusque penuria.

40. *Plotius et Varius*. Plotius et

Digitized by Google

Occurrunt; animæ, quales neque candidiores
Terra tulit, neque queis me sit devinctior alter.
O qui complexus! et gaudia quanta fuerunt!
Nil ego contulerim jucundo sanus amico.
Proxima Campano ponti quæ villula, tectum
Præbuit, et parochi, quæ debent, ligna salemque.
Hinc muli Capuæ clitellas tempore ponunt.
Lusum it Mæcenas, dormitum ego Virgiliusque:
Namque pila lippis inimicum et ludere crudis.
Hinc nos Cocceii recipit plenissima villa,

Varius una cum Virgilio ex composito, ut videtur, Sinuessæ (oppidi in Campaniæ finibus) Horatium atque Mæcenatem convenerunt; fuerunt illi poetæ tum temporis illustrissimi, quos non Horatius tantum et Virgilius, sed etiam Mæcenas magni faciebat; hinc infra quoque Sat. X, 81, ut arctius inter se juncti producuntur Plotius et Varius, Mæcenas Virgiliusque; de *Vario* cf. supra ad Od. I, 6, 1.—*animæ*, sic supr. Od. II, 17, 5, mollius Mæcenatem « animæ suæ partem, » et Virgilium Od. I, 3, 8: « animæ suæ dimidium » appellat.—*candidiores*, innocentiores, integriores. Ed.—*queis me sit devinct. alter*, quibus alius magis, quam ego, devinctus et obstrictus sit. —*sanus*, dum sana sum mente, dum sentio et judico, ut sanæ mentis homo; in sequent. Sat. v. 89: « Nil me pœniteat sanum patris hujus. »

45. *Campano ponti*, intellige pontem trans fluvium Savonem ad viam Appiam.—*parochi; parochus* (πάροχος), qui legatis et aliis iter facientibus necessaria (nominatim salem, lignum, fœnum), publico sumtu *præbenda* suscepit, vel redemit. Idem latine a *præbere* (παρέχειν) apud Ciceronem Offic. I, 18, dicitur *præbitor*; et hinc infr. Sat. II, 8, 35, *convivator* quoque, qui *præbet*, dicitur *parochus*.—*Hinc muli*, etc. Suaviter pro vulgari: ab illa inde villa (*tempore*) tempestive Capuæ advenimus; sub adventum enim in locum, ubi iter facientes commorari vel pernoctare volunt, *mulus clitellas ponit*; h. e. clitellæ mulo impositæ tolluntur. —*Lusum*, sc. pila, trigone; apud Romanos enim nobilissimi quique, præcipue post cœnam, pila ludere solebant. —*Namque pila*, etc. Namque pila ludere, sive pilæ ludus, ob nimiam oculorum attentionem, vehementioremque corporis exercitationem, nocet lippis et *crudis*, h. e. cruditate laborantibus, iis, qui cibos sumptos concoquere nequeunt, ut erat Virgilius.

50. *Plenissima*, locupletissima, ubi nil deest: Angl. *conforiable*. Ed. —*Quæ super est Caudi cauponas*, quæ sita est trans cauponas ad Cau-

Digitized by Google

Quæ super est Caudî cauponas.... Nunc mihi paucis
Sarmenti scurræ pugnam Messîque Cicerri,
Musa, velim memores; et quo patre natus uterque
Contulerit lites. Messî clarum genus Osci;
Sarmenti domina exstat. Ab his majoribus orti
Ad pugnam venere. Prior Sarmentus: « Equi te
Esse feri similem dico. » Ridemus: et ipse
Messius: « Accipio; » caput et movet.... « O, tua cornu
Ni foret exsecto frons (inquit) quid faceres, quum
Sic mutilus miniteris? » At illi fœda cicatrix

dium, Samnii oppidum, in via Appia, inter Capuam et Beneventum, ignominiosa Romanorum clade satis notum; nunc vicus vocatus *Arpaja*.

52. *Pugnam,* certamen, quo alter alterum ridicule dictis vel conviciis petit. — *Messîque; Messius* cognominatus fuit *Cicerrus*, vel *Cicirrus*, κίκιρρος, latine gallus, sive quod magno fervore multaque pertinacia galli more *pugnabat* contra adversarium, sive quod vox ejus altior cum galli cantu comparabatur. — *Musa, velim memores*, lepide Horatius in rei ridiculæ narratione tanquam poeta epicus Musam in partes vocat, eamque duorum scurrarum, sicut virorum apud Homerum, patriam et originem memorare jubet.

54. *Messî clarum genus Osci.* Ordo est: *Osci* sunt clarum genus Messii: Messius ortus est a regione Oscorum. Erat illa natio vilissima, in Campania italica, ejusque et mores et sermo inquinatissimi. — *Sarmenti domina exstat*, vivebat adhuc domina, cujus servus fuerat Sarmentus; nunc erat is in comitatu Mæcenatis, qui scurrilibus ejus jocis admodum delectatus fuisse videtur. Vid. Plutarch. in Vit. Anton. et Juvenal. V, 3. Erat autem apud Romanos hic mos, ut ditiores et nobiliores admitterent et mensæ adhiberent scurras, quorum ridicule dictis inter cœnam inprimis delectarentur.

56. *Equi te feri similem dico*, sine dubio, quia Messius vastioris corporis homo fuit, simulque ferocior; hinc Sarmentus Messium sine larva et cothurnis *Cyclopa* saltare jubet, et hinc Messius ex opposito v. 69. Sarmenti corpus *gracile* et *pusillum* carpit. Apud Virgil. Æn. II, 51, *equus* simpliciter dicitur *ferus*. — *Accipio*, ita est, concedo. — *caput et movet*, et equi instar caput concutit; terret autem strepitus, quem equi concusso capite subito faciunt; tum pergit Sarmentus: quum tu sic mutilus (sine cornu) jam terreas, o, quid faceres, si tibi in fronte non exsectum esset cornu? vel: ni tua frons esset sine cornu? elegantius enim *exsecto cornu* pro vulgari: sine cornu.—*At illi*, etc. Horatius explicat cur Sar-

Digitized by Google

Setosam lævi frontem turpaverat oris.
Campanum in morbum, in faciem permulta jocatus,
Pastorem saltaret uti Cyclopa, rogabat;
Nil illi larva, aut tragicis opus esse cothurnis.
Multa Cicerrus ad hæc: donasset jamne catenam
Ex voto Laribus, quærebat? scriba quod esset,
Deterius nihilo dominæ jus esse. Rogabat
Denique, cur unquam fugisset; cui satis una
Farris libra foret, gracili sic tamque pusillo?

mentus de exsecto in Messii fronte cornu sit locutus. Nam fœda verruca, cujus exsectæ vestigia exstabant, hispidam (*illi*) illius frontem a læva parte turpiter deformaverat. — *At*, insolentius jam pro: namque, scilicet, nimirum.

62. *Campanum in morbum.* Schol. Cruq. « hoc enim quasi a natura Campanis fere omnibus inest, ut capitis temporibus magnæ verrucæ innascantur in modum cornuum, quas quum incidi faciunt, cicatrices in fronte manent, quasi notæ exsectorum cornuum. In hunc ergo morbum, id est, faciei vitium, jocatur Sarmentus. » — *in faciem*, sc. fœde turpatam.— *Pastorem Cyclopa*, nempe Polyphemum, *saltaret* (ὀρχήσαιτο), saltando exprimeret; saltatio autem illa pantomimica, quæ *Cyclops* vocabatur, expressisse videtur ridiculas, quas vastioris corporis Polyphemus apud Galateam fecit, delicias.—*larva*, scilicet qui jam per se fœdum vultum ostendit, ei non opus est fœdioris vultus larva; et qui jam per se grandioris corporis mole eminet, is non eget cothurnis.

65. *Donasset jamne catenam Ex voto Laribus.* Schol. Cruq. « Urbanius hæc dicta sunt in Sarmentum, qui servilibus erat natalibus, sumta translatione a generosis pueris, qui, egressi annos pueritiæ, jam sumta toga, Diis penatibus (Schol. Porphyr. *Laribus*) bullas suas consecrabant, et puellæ puppas. Ad hunc modum ridendo interrogat Sarmentum, catenamne suam et compedes Diis suspendisset, quibus ipse servus fuisset concatenatus? »

66. *Scriba quod esset, Deterius nihilo*, etc. Quod scriba nunc esset, id ne minimum quidem de jure, quod domina adhuc viva in eum habeat, deterere. Ea enim munera vulgo servis aut libertinis committebantur, qui literarum periti erant. — *cur unquam fugisset*, e domo suæ dominæ; sic illum esse fugitivum servum arguebat. — *cui satis una Farris libra foret*; fugiebant servi durius a dominis habiti, aut qui datis alimentis non contenti erant. Diarium autem, vel diurna portio servis erat farris libra in singulos dies, ex lege XII tabularum: « qui eum vinctum habebit, libras farris in dies dato. » ED. — *gracili sic*; negat Messius parciorem cibum Sarmento fugiendi causam fuisse, quod propter corporis exiguitatem facile farris libra contentus esse poterat. ED.

Digitized by Google

Prorsus jucunde cœnam produximus illam.
Tendimus hinc recta Beneventum, ubi sedulus hospes
Pæne, macros, arsit, dum turdos versat in igne:
Nam vaga per veterem dilapso flamma culinam
Vulcano summum properabat lambere tectum.
Convivas avidos cœnam servosque timentes
Tum rapere, atque omnes restinguere velle videres.
Incipit ex illo montes Appulia notos
Ostentare mihi, quos torret Atabulus, et quos
Nunquam erepsemus, nisi nos vicina Trivici
Villa recepisset, lacrymoso non sine fumo,
Udos cum foliis ramos urente camino.

70. *Cœnam produximus*, in longum duximus, extraximus, ob istam Messii et Sarmenti litem ridiculam. — *Beneventum*, oppidum in Samnitum et Hirpinorum finibus. — *ubi sedulus hospes Pæne, macros*, etc. Junge: *ubi sedulus hospes, dum macros turdos in igne versat, pæne arsit*, hæc constructio sane impedita, omnibus tamen fere codicibus confirmatur; alteram faciliorem, uno tantum codice acceptam nonnulli proponunt: pæne arsit, macros dum turdos, etc. Ed. — *sedulus*, officiosus et strenuus. — *arsit*, h. e. domus hospitis pæne arsit; herus scilicet pro ipsa domo ponitur, ut apud Virg. Æn. II, 311: « ...jam proximus ardet Ucalegon... » Ed. — *Nam vaga*, etc. Versus elegantissimi; cf. supr. ad Sat. I, 1, 114. — *veterem*, vetustate putridam et siccam. Ed. — *lambere*, pro vulgari: *contingere*. — *avidos*, sc. edendi, ut præcedent. Sat. 126. — *timentes*, scilicet ne domus omnino consumeretur. Ed. — *rapere*, raptim auferre. — *videres* (ἴδοις ἄν), videre licebat; infr. Sat. I, 8, 34: « serpentes atque videres Infernas errare canes, lunamque rubentem. » Virg. Eclog. VI, 27: « Tum vero in numerum Faunosque ferasque videres Ludere. » — *restinguere*, sc. ignem.

77. *Ex illo*, e Beneventō inde. — *notos*, patrios scilicet Horatio, Venusiæ, in Appulia, nato. — *Atabulus*, de hoc vento (qui nunc dicitur *Siroeco*) laudant Senec. Quæst. Nat. V, 17: « Atabulus Appuliam infestat, Calabriam Iapyx, Athenas Sciron, Pamphyliam Catægis, Galliam Circius. » Cf. Plin. H. N. XVII, 36, 8. — *erepsemus* (pro: erepsissemus), rependo et enitendo superavissemus. — *Trivici*; Schol. Acr. « oppidi in fine Campaniæ, quo vehicula juncta accedere nequeunt; ergo Horatius ad villam divertit. » — *lacrymoso*, quia fumus lacrymas exprimit, lippis præsertim, ut erat Horatius. Ed.

Digitized by Google

Hic ego mendacem stultissimus usque puellam
Ad mediam noctem exspecto: somnus tamen aufert
Intentum Veneri; tum immundo somnia visu
Nocturnam vestem maculant, ventremque supinum.
Quatuor hinc rapimur viginti et millia rhedis,
Mansuri oppidulo, quod versu dicere non est,
Signis perfacile est: vænit vilissima rerum
Hic aqua; sed panis longe pulcherrimus, ultra
Callidus ut soleat humeris portare viator;
Nam Canusî lapidosus; aquæ non ditior urna,
Qui locus a forti Diomede est conditus olim.
Flentibus hic Varius discedit mœstus amicis.

82. *Mendacem*, puella quidem se venturam promiserat, et fidem fefellit. Ed. — *stultissimus*, se ipsum incusat poeta, quod puellæ crediderat. Ed. — *aufert*, suaviter somnus eum, quem occupat, ab iis, quæ animum ejus cruciant, *auferre*, h. e. removere, solvere, liberare dicitur. Ed. — *Intentum Veneri*, summopere venereis cupidinibus incensum. Ed. — *immundo somnia visu*, somnia scilicet dormienti referunt, quidquid expergefacto attentius animo obversatum est. Ed. — *Nocturnam vest. macul.* Sensus venereis somniis incensi, sponte sua agunt per quietem et in absentis puellæ imaginem ardent. Ed.

86. *Quatuor*, e Trivici villa, celeriter vecti sumus rhedis, confecimusque viginti et quatuor millia passuum. Ed. — *rapimur*, rapido cursu avehimur. — *oppidulo, quod versu dicere non est*, quod non versu quidem, quia ejus nomen versus metrum respuit, sed facile *signis* externis (rebus huic oppido peculiaribus) designari potest, aquæ scilicet penuria, et panis, qui ibi coquitur, præstantia. Intelligitur autem *Equotutium* (alias *Equus Tuticus*) nunc *Scotuccio*. — *venit*, aqua ob ejus ibi raritatem non nisi oblato pretio datur, h. e. venditur. — *ultra*, ulterius inde. — *Callidus*, providus futuri, *portare* sc. Canusium.

91. *Nam Canusî lapidosus*, sc. panis est; fortasse, quia frumentum in locis lapidosis et arenosis non satis purgari potest ab immixta glarea. — *aquæ non ditior urna*, urna vero, qua aqua hauritur, non (*ditior*) plenior ibi est aquæ; h. e. eadem Canusii, quæ Equotutii, aquæ est penuria. — *Qui locus*, Canusium; sed de hujus ultimi versus integritate dubitat *Bentleius*, et quidem ex duabus præcipue rationibus; primum, quia ineptum et putidum fuerit Geographorum more conditorem Canusii hic commemorare; deinde, quod locutio: *condere locum* repugnet plane loquendi usui. Prior certe ratio nullius ponderis mihi videtur, dum contra Geographica hæc designatio apprime

Digitized by Google

Inde Rubos fessi pervenimus, utpote longum
Carpentes iter, et factum corruptius imbri.
Postera tempestas melior; via pejor ad usque
Barî mœnia piscosi: dehinc Gnatia, lymphis
Iratis exstructa, dedit risusque jocosque,
Dum flamma sine tura liquescere limine sacro
Persuadere cupit: credat Judæus Apella;
Non ego: namque deos didici securum agere ævum;
Nec, si quid miri faciat natura, deos id
Tristes ex alto cæli demittere tecto.
Brundusium longæ finis chartæque viæque.

totius Satiræ colori accommodatur; minimique posterior, quum Virgilius Æneid. VII, 157 : « Ipse humili designat mœnia fossa, *Moliturque locum*, primasque in litore sedes. » Ed.

94. *Rubos*, nunc *Ruvo*. — *longum... iter;* Rubi enim a Canusio Brundusium versus viginti tria milliaria, secundum Antonin. Itiner. p. 116, distabant. — *tempestas melior; tempestas* adjectivo cuilibet jungitur, diciturque *clara*, aut *fœda*. Ed.

97. *Barî mœnia. Barium*, oppidum in Appulia Peucetia maritimum, piscium capturæ et mercaturæ opportunum. — *Gnatia* sive *Egnatia*, oppidum maritimum (nunc *Monopoli*). — *lymphis Iratis exstr.* Schol. Cruq. « vel quia eget aquis, vel quod eas salsas habet et amaras, vel quod in pede montis sita est; ei idcirco videntur aquæ irasci, quum torrentes de montibus impetu magno decurrentes sæpe magnas urbis partes diruunt. » — *dedit risusque jocosque*, h. e. risimus et salibus persecuti sumus urbem Egnatiam. Ed. — *Dum flam. sine*, etc. Rem illustrat Plin. H. N. II, 111 : « In Salentino oppido Egnatia imposito ligno in saxum quoddam ibi sacrum, protinus flammam existere (reperitur apud auctores). » Cf. de hac re Horatio incredibili Salmas. ad Solin. c. 5.

100. *Apella*, alii volunt hoc nomen Judæi cujusdam notissimi fuisse, hominis superstitiosi; alii autem commune hoc cognomen omnibus Judæis fuisse aiunt, quasi *sine pelle*, quadam ad circumcisionem Judæorum allusione. Illud autem minimi momenti est. In Judæorum porro libris leguntur ejusmodi prodigia de sacrificiis et victimis ignem sponte concipientibus: quæ causa fuit, cur Horatius diceret hoc Judæis persuaderi posse, non sibi. Ed. — *namque deos didici*, etc. Nam Epicurus docuit, Deos, imperturbati otii amantes, res humanas non curare; cf. Lucret. V, 83; VI, 57. — *si quid miri faciat*, etc. putare videtur Horat. miraculum illud Egnatiæ nihil supra naturam habere. Scilicet quid facilius quam solis radios speculo ardenti in aram immittere et thura sine igne incendere? Ed. — *Tristes*, ejusmodi rerum cura turbatos quasi in otii securitate. — *Brundusium longæ*, etc. cum fine longioris itineris, Brundusium facti, finiatur quoque hoc ipsum carmen paulo longius.

Digitized by Google

Analysis. Hæc Satira lepida ac faceta est itineris descriptio, adeo lucide et simpliciter exposita, ut nulla explicatione indigeat nexus idearum. — Schol. Porphyr. « Lucilium hac Satira æmulatus Horatius, iter suum a Roma usque Brundusium describens, quod et ille in tertio libro fecit, primum a Roma Capuam usque, et inde fretum Siciliense. »—Ceterum quum Anxurem in hujus itineris societatem Mæcenas cum Cocceio et Fonteio venerit, Horatius in magni sui patroni gratiam illud iter tam suscepisse, quam in jucundam ejus memoriam descripsisse videtur. — Manifestum est hanc Satiram omnibus illis ante oculos obversatam esse, quicumque postea lepide iter aliquod descripserunt; et inprimis duobus apud nos non ignotis sane scriptoribus (*Chapelle et Bachaumont*) quorum ingeniosa itineris in Provinciam narratio merita laude fruitur. Sed nemo, quod sciam, qui versum 101 legerit ex Lucretii duobus locis desumptum, notavit hujus poetæ mentionem ab Horatio nullibi factam esse: quod ego semper inexplicabile censui. Ed.

SATIRA VI.

Horatius, postquam exposuit, quid illud fuerit, quo gratiam Mæcenatis sibi comparaverit, veram laudem non a nobili loco, quo quis natus sit, sed a virtute repetendam esse ostendit.

Non, quia, Mæcenas, Lydorum quidquid Etruscos
Incoluit fines, nemo generosior est te,
Nec quod avus tibi maternus fuit atque paternus,
Olim qui magnis legionibus imperitarint,

1. *Non quia,* etc. Sensus: Quamvis, Mæcenas, omnium Etruscorum tu sis generosissimus, et pro origine tua ex gente Cilnia nobilissimus, tamen, dum nihil referre existimas, quali patre aliquis natus sit, modo, ut decet ingenuos, liberaliter sentiat, neutiquam ex more nobilium ignobiles, ut me, qui libertino patre natus sum, alto supercilio despicis. — *Lydorum quidquid Etruscos Incol. fines, nemo,* nullus omnium, qui ex Lydia migrarunt in Etruriam; pro vulgari: nullus omnium Etruscorum; sequitur autem Horatius eos, qui veteres Etruriæ colonos Lydos fuisse tradunt; vid. Herodot. I, 94; Dionys. Hal. I, 27.—*generosior,* genere clarior; ut, apud Græcos εὐγενής. — *legionibus;* proprie legio fuit pars Romani exercitus, hic autem ponitur pro ipso exercitu cujusvis populi. Ed.—At Lucumones, sive duces Etruriæ, inter quos Mæcenatis atavi

Digitized by Google

Ut plerique solent, naso suspendis adunco
Ignotos, ut me libertino patre natum.
Quum referre negas, quali sit quisque parente
Natus, dum ingenuus; persuades hoc tibi vere,
Ante potestatem Tullî atque ignobile regnum,
Multos sæpe viros nullis majoribus ortos,
Et vixisse probos, amplis et honoribus auctos:
Contra, Lævinum, Valerî genus, unde Superbus

fuisse traduntur (cf. supr. ad Od. I, 1, 1), haud præter rem ab Horatio *magnis exercitibus imperitasse* dici poterant. Alii legunt *regionibus*; quæ emendatio et accipi potest. — *naso suspendis adunco*, qui cum amaro risu nasum aduncum reddunt, sive nasum distorquent, animi acerbitatem exprimunt; *suspendere* igitur aliquem *naso adunco* lepide dictum est pro vulgari: ridere aliquem cum amaritudine; sic infr. Epist. I, 19, 45: « naribus (sc. aduncis) uti formido, » pro: non audeo indulgere irrisioni. De ipso Horatio Persius I, 118: « Callidus excusso populum suspendere naso. » Ed.—*Ignotos*, ignobiles, ut vs. 25. — *Quum ref. negas*, quum dicis nullius ponderis esse. — *ingenuus*; ingenuum dicunt jurisconsulti qui patre libero, non servo natus est; hic autem intelligas illum qui non ortu, sed moribus et animo ingenuus est, h. e. sensus honestos ac liberales præ se ferens. Ed.

8. *Persuades hoc tibi vere*, etc. Jam ante Tullium, qui ignobili loco natus rex factus est, multos sæpe, pariter ignobiles, et virtutibus excelluisse, et summis honoribus ornatos esse, de hac re (*hoc*) nullo modo dubitabis. — *ignobile*, quod tenet vir ignobilis, obscuro genere, ancillæ filius. — *nullis*, ignobilibus, ut *Servius Tullius* apud Liv. IV, 3: « *nullo* patre natus » esse dicitur; et sic apud Græcos *ignobili patre natus* dicitur ἀπάτωρ.

12. *Contra, Lævinum*, vulgarem sententiam: « at tu idem probe scis, e gente nobili prognatos, nisi virtute se commendarent, in nullo plane fuisse pretio » poeta, allato Lævini exemplo, expressit sic: At nec te latet (hoc fere pro *persuades hoc tibi vere* repetendum est), Lævinum, repetentem originem suam e gente nobilissima Valerii, a quo (*unde*) Tarquinius Superbus regno pulsus fuit, nunquam pluris quam unius assis (h. e. minimi) æstimatum esse (*licuisse*), ipso populo judicante, qui tamen sæpe, ut scis, indignis, ob solam eorum famam vel nobilitatem, stulte honores deferre solet. — Itaque, quum ne populus quidem aliquid tribuerit Lævini nobilitati, cum hominem indignum plane amplis honoribus fuisse, facile apparet. Hinc Schol. Porphyr. *de Lævino*: « Hic P. Valerius Lævinus adeo fœdis ac projectis in omnem tur-

Digitized by Google

Tarquinius regno pulsus fuit, unius assis
Non umquam pretio pluris licuisse, notante
Judice, quo nosti, populo; qui stultus honores
Sæpe dat indignis, et famæ servit ineptus;
Qui stupet in titulis et imaginibus. Quid oportet
Nos facere, a vulgo longe lateque remotos?
Namque esto; populus Lævino mallet honorem
Quam Decio mandare novo: Censorque moveret
Appius, ingenuo si non essem patre natus;

pitudinem moribus vixit, ut provehi non potuerit ultra quæsturæ dignitatem. » — *pulsus fuit.* A L. Junio Bruto et Tarquinio Collatino pulsus fuit Tarquinius Superbus; sed quum Collatino, ob aliquam suspicionem dignitas abrogata fuisset, ei suffectus est P. Valerius Publicola, qui, ne restitueretur Tarquinius in primis laboravit; ideoque dicitur ab Horatio Tarquinium pepulisse. Ed. — *licuisse*, proprie licere merx aliqua dicitur, quæ venditur in auctione, et pluris licitanti addicitur: hic sonat, valuisse. Ed. — *notante*, notare hic est ignominiæ notam et labem inurere. Ed. — *quo nosti*, quem, qualis judex sit, nosti; hanc Græcam constructionem *quo* pro *quem* (ὅς γε κριτῇ τῷ δήμῳ ᾧ σύγ' εἶσθα) exemplis illustravit Heind. — *Qui stupet in titulis et imagin.* pro vulgari: apud quem sola valet hominum nobilitas; *nobilitatem* scilicet cujusque designabant et confirmabant *majorum imagines*, quæ, adjecta rerum a majoribus gestarum memoria (*adjectis titulis*), cera effictæ conspiciebantur in atrio.

17. *Quid oportet nos facere*, etc. Sensus: Quodsi vero vulgus, nobilitati hominis, qualis est Lævinus, parum tribuit, quid nos, qui longe rectius vulgo sentire videmur, de nobilitate hominis, qualis est Lævinus, judicare debemus? Namque fingamus, populum malle Lævino, quam Decio, homini novo, honorem demandare, vel severum censorem Appium me ideo, quia non essem patre ingenuo natus, senatu movere; quidnam judicandum esset? equidem judicarem, id vel merito factum esse, quoniam noluissem in sorte mea et vitæ meæ conditione acquiescere; verum enimvero (*sed*) sic est hominum ingenium: ignobiles æque ac nobiles sunt gloriæ appetentissimi. — *Nos*, sc. me et alios, qui ultra vulgus sapiunt. — *Decio*, intelligendus est *P. Decius Mus* (Liv. VIII, 9), qui, ut Cicero, homo fuit *novus*, h. e. primus, qui e familia sua ad magistratum pervenerit. — *Appius*, intelligendus est *Appius Claudius Pulcher*, qui summa severitate censuram gessisse dicitur. Cic. de Divin. I, 16. — *si*, ideo, quod. — *in propria pelle*; per *pellem propriam* intellige sortem cuique propriam, sortem, in qua quis natus est. *Erasmus* hanc proverbia-

Digitized by Google

Vel merito, quoniam in propria non pelle quiessem.
— Sed fulgente trahit constrictos gloria curru
Non minus ignotos generosis. — Quo tibi, Tullî,
Sumere depositum clavum, fierique tribuno?
Invidia accrevit, privato quæ minor esset.
Nam ut quisque insanus nigris medium impediit crus
Pellibus, et latum demisit pectore clavum;
Audit continuo: « Quis homo hic, aut quo patre natus? »
Ut, si qui ægrotet, quo morbo Barrus, haberi

lem locutionem repetit a fabula Æsopi de asino Cumano, qui leonina pelle indutus leo haberi voluit — *constrictos fulgente curru*, constrictos fulgore currus, quo Gloria vehi fingitur; pro vulgari: captos splendore gloriæ; infr. Epist. II, 1, 177: « currus gloriæ » dicitur *ventosus*, h. e. vano splendore fulgens; *ignotus* pro: ignobilis, passim apud Horatium.

24. Jam notat Horatius quæ incommoda ex illa gloriæ cupiditate defluant. Ed. — *Quo* (antique, ut videtur, pro *quoi*, cui) *quo tibi*, cuinam commodo tibi fuit, quid tibi profuit. — *Tullî* (Tilli *Bentl. Fea*). Schol. Cruq. « Tullius hic senatu motus est a Cæsare quasi Pompeianus: occiso vero Cæsare, recepit iterum latum clavum h. e. senatoriam dignitatem (insigne senatorum), et tribunus militum factus est. » — *Sumere*, sc. de integro. — *depositum*, senatu enim motus deponere debebat insigne senatorum, *latum clavum* (limbum purpureum vestis oram ambientem); cf. ad Sat. I, 5, 36. *Tribuno* græce pro: tribunum; cf. supra ad Sat. I, 1, 19. Erat autem penes tribunos quoque *jus lati clavi*. Cic. pro Cluent. c. 54. — *privato quæ minus esset*, quia minus hac laborares, si privatus esses. Ed.

27. *Ut*, postquam, simulac. — *insanus*, qui stulte sibi placet in externis insignibus, homo vanus; hinc infr. Sat. II, 2, 5, *fulgores*, quibus exsplendescere student beatiores, dicuntur *insani*. — *nigris Pellibus*, ad insignia nobiliorum et senatorum pertinebant quoque nigri coloris corrigiæ, quibus inter se impeditis cruri adstringebantur calcei. — *impediit*, implicuit; nam multis loris crus circumdabatur et innectebatur quasi vinculis; unde Virg. Æn. VIII, 458: « Et Tyrrhena pedum circumdat vincula plantis. » Ed. — *et latum demisit pectore clavum*, h. e. gerit latum clavum demissum, descendentem usque ad pedes. Ed. — *Audit*, quoslibet a populo percontantes. Ed.

30. *Ut, si*, etc. Sensus: Quemadmodum, si quis eodem, quo Barrus, vitio laboret, h. e. formosus haberi cupiat, curam puellis, quacumque eat, injiciat quærendi singula: quali sit facie, etc. sic is, qui summis honoribus ornatus rerum publicarum defensorem vel rerum divinarum curatorem se profitetur, unumquemque de

Digitized by Google

Et cupiat formosus, eat quacumque, puellis
Injiciat curam quærendi singula: quali
Sit facie, sura, quali pede, dente, capillo:
Sic, qui promittit, cives, Urbem sibi curæ,
Imperium fore, et Italiam, et delubra Deorum,
Quo patre sit natus, num ignota matre inhonestus,
Omnes mortales curare et quærere cogit.
— Tune Syri, Damæ, aut Dionysî filius, audes
Dejicere e saxo cives, aut tradere Cadmo?
— At Novius collega gradu post me sedet uno.
Namque est ille, pater quod erat meus. — Hoc tibi Paulus
Et Messala videris? at hic, si plaustra ducenta,
Concurrantque foro tria funera, magna sonabit,

ejus origine, utrum nobilis an ignobilis sit, quærere cogit; de *Barro* cf. supr. ad Sat. I, 4, 110. — *haberi Et cupiat formosus*, vitii, quod Barro tribuitur, genus jam designatur: cupiebat scilicet formosus haberi; est igitur jam *et* particula explicativa: scilicet. — *eat quacumque*, hoc enim trossuli proprie est, ut in omnes locos, præsertim frequentissimos, eat, et ubique videatur. Ed. — *sura*, pars posterior cruris; hic autem pro ipso crure accipi potest. Ed. — *qui prom. cives, Urbem sibi curæ*, etc. Senatus scilicet cives et Urbem tuebatur et totius imperii saluti consulebat. Ed. — *Imperium*, imperii securitatem.

38. *Tune Syri*, poeta fingit, unum ex populo sic alloqui hominem ex obscuro loco ad honores evectum; *Syrus, Dama, Dionysius*, sunt vulgaria nomina servorum. — *Dejicere e saxo*, scilicet Capitolino vel Tarpeio, ex quo interdum præcipites agebantur graviorum criminum rei. Ed. — *Cadmo*; Schol. Acr. « Cadmus dicitur eo tempore fuisse carnifex notæ crudelitatis. » — *At Novius*, etc. Respondet ignobilis ille Syri aut Damæ filius. Atqui ego non unus sum, qui ex humili loco ad honores adscendi, immo Novius, collega meus, uno gradu me ignobilior est, nam ne ingenuus quidem, ut ego, sed idem, quod pater meus, libertinus est; itaque non ingenuus.

41. *Hoc tibi Paulus et Messala videris*, num ideo, quod collega tuus te minus adeo est ingenuus, videris tibi esse similis Paulo et Messalæ, e nobilissimis gentibus prognatis. — *Hoc*, ob hoc, ideo, ut paulo post v. 52 et v. 87. Cf. supr. ad Sat. I, 1, 46. — *At hic*, etc. At hic, sc. Novius, aliquid habet quo tantos honores sit meritus, nempe voce elata ac omnia vincente præditus est. Hæc ironice dicta vix est ut moneam. Ed. — *que foro*

Digitized by Google

Cornua quod vincatque tubas: saltem tenet hoc nos.
— Nunc ad me redeo libertino patre natum,
Quem rodunt omnes libertino patre natum,
Nunc, quia sim tibi, Mæcenas, convictor; at olim,
Quod mihi pareret legio Romana tribuno.
Dissimile hoc illi est: quia non, ut forsit honorem
Jure mihi invideat quivis, ita te quoque amicum,
Præsertim cautum dignos adsumere, prava
Ambitione procul. Felicem dicere non hoc
Me possum, casu quod te sortitus amicum:

tria pro: *triaque foro*, ut versu seq. *que tubas* pro: *tubasque*; de particulis, *que, ve, ne*, e loco suo in alium transpositis, exempla vide apud Heindorfium. — *funera*, in celebribus enim funeribus, forum transeuntibus, cornuum tubarumque clangore aura personabat.—*magna sonab*. Sic apud Virgil. Æn. IX, 125, amnis *rauca sonare* dicitur; et sic *magna loqui* apud eumdem.—*quod*, sc. sonare.—*tenet hoc nos*, saltem hoc laudis genus habet, hac virtute suffragia meretur et honores adipiscitur; unde apparet quam stolidus sit populus; *hoc*, ablativo casu. Ed.

45. *Nunc ad me redeo*, etc. Sed jam ad me, pariter humili loco, libertino scilicet patre natum, redeo, quem, quia mihi, libertino tantum patre nato, tecum, Mæcenas, in quotidiana societate vivere licet, hoc ipso tempore omnes *rodunt* (carpunt. vid. supr. ad Sat. I, 4, 81), at olim me carpebant, quod ego, libertino patre natus, tribunus (*Bruto militiæ duce* supr. Od. II, 7) legioni Romanæ præessem.

48. *Dissimile hoc illi est*, sed *hoc*, quod factus sum tribunus, dissimile est *illi*, quod sum tibi convictor, quia, ut quivis jure forsitan mihi honorem, ita neutiquam te mihi amicum invideat, præsertim, quum diligenter caveas, ne alium, nisi amicitia tua dignum et a prava ambitione h. e. adulatione alienum, assumas. Amicitia scilicet sola virtute apud Mæcenatem comparari potest. Rectius autem invidemus iis, quibus solo fortunæ favore aliquid obtingit, quam iis, qui felicitatem suam virtuti et meritis suis debent. — *forsit*, vox Lucretiana pro: forsitan. — *dignos*, scil. amicitia, nam quoties *dignus* absolute ponitur, toties res, qua quis dignus est, ex serie orationis supplenda est.

52. *Felicem dicere non*, etc. Felicitas fortunæ effectus est, non judicii et meriti argumentum; non adscribo igitur amicitiam tuam fortuitæ felicitati, sed judicio tuo, et meis quibusdam meritis. Ed. — *non hoc*, non ideo; cf. ad vers. 41. — *post hunc Varius*, » de *Vario* cf. supr. ad Od. I,

Digitized by Google

Nulla etenim tibi me fors obtulit; optimus olim
Virgilius, post hunc Varius, dixere quid essem.
Ut veni coram, singultim pauca locutus,
Infans namque pudor prohibebat plura profari,
Non ego me claro natum patre, non ego circum
Me Satureiano vectari rura caballo,
Sed, quod eram, narro: respondes, ut tuus est mos,
Pauca: abeo; et revocas nono post mense, jubesque
Esse in amicorum numero. Magnum hoc ego duco,
Quod placui tibi, qui turpi secernis honestum,
Non patre præclaro, sed vita et pectore puro.
Atqui si vitiis mediocribus ac mea paucis
Mendosa est natura, alioqui recta; velut si
Egregio inspersos reprehendas corpore nævos,
Si neque avaritiam, neque sordes, nec mala lustra
Objiciet vere quisquam mihi; purus et insons,

6, 1. — *quid essem*, qualis essem; sic vers. 60: « quod eram. »

56. *Ut veni coram*, ut in conspectum tuum prodii. Ed. — *singultim pauca locutus*, locutus pauca verba, eaque interrupta et male cohærentia. Ed. — *Infans namque pudor*, etc. Suaviter *pudor* dicitur *infans*, quia pudibundi pauca fari solent. — *Non ego circum Me*, etc. Non dixi me vectari caballo, equo circum rura, etc. Hoc enim est vani domini, aliquem fundum possidentis, superbe equo suos agros peragrare. Ed. — *Satureiano... caballo*; Schol. Porphyr. « Satureiani nomine fundi in Appulia illis temporibus fuisse dicuntur satis ampli ac nobiles, per quos Appulum equum significat. Appulum autem equum utique pro optimo accipere debemus. » — *Sed, quod eram, narro*, narro tibi qualis eram, scilicet obscuro loco natus et pauper. Ed. — *Quod placui tibi*, etc. Quod ego tibi, qui, quod honestum est, secernis ab eo, quod est turpe, non propter stirpis nobilitatem, sed propter vitæ animique puritatem placui.

65. *Atqui si*, etc. Junge: *Atqui* (jam vero) *si mea natura mediocribus et paucis vitiis est mendosa*; referendum est *atqui*, ad supra dicta *libertino patre*, quasi diceret Horatius: et tamen ille pater, quamvis libertinus, me optime educavit. Ed. — *nævos*, maculas. — *sordes*, sordidam tenacitatem; hinc turpiter avari dicantur homines *sordidi*. — *nec mala lustra*, intellige loca latebrosa, ut loquitur Plautus Bacch. III, 3, 20, i. e.

Digitized by Google

Ut me collaudem, si et vivo carus amicis;
Causa fuit pater his; qui macro pauper agello
Noluit in Flavî ludum me mittere; magni
Quo pueri, magnis e centurionibus orti,
Lævo suspensi loculos tabulamque lacerto
Ibant octonis referentes Idibus æra;
Sed puerum est ausus Romam portare docendum
Artes, quas doceat quivis eques atque senator
Semet prognatos: vestem servosque sequentes
In magno ut populo si quis vidisset, avita

lupanaria; *tenebræ lustrorum* apud Cic. p. Sext. c. 9.—*purus et insons*, etc. Junge: *si purus et insons* (*ut me collaudem*) *et carus amicis vivo.* — *Causa fuit pater his*, iis, quæ de me laudo, pater auctor exstitit.

71. *Macro pauper agello*, possessor exigui fundi opponitur latifundiorum possessoribus qui circum rura sua caballo vectantur. — *in Flavî ludum*, fuit igitur Flavius ludimagister Venusinus, qui pueros in subducendis calculis exerceret. — *magni pueri.... magnis centurionibus*, lepide et salse Horatius centuriones cum filiis suis *magnos* vocat, quamvis magni illi viri filios suos vulgaris tantum ludimagistri disciplinæ tradebant; at Horatii pater, *macro pauper agello*, filium suum, Romam deductum, in altioribus doctrinæ studiis erudiendum curabat. — *Lævo suspensi loculos tab. lacerto*, tabulam et loculos lævo lacerto suspensos portantes; *suspensi* (græca constructio, ἐξηρτημένοι τὸν δέξια), qui sibi suspenderunt *loculos*, in quibus calculi, et alia, quibus opus erat in ludis vulgaribus, portabantur; *tabulam*, Schol. Cruq. « in qua et characteres arithmeticos notabant, et calculos ordinare discebant. » — *referentes æra; æra* hic intelligenda de subducta a pueris in *exemplo arithmetico* ratione usurarum, idibus cujusque mensis a debitoribus solvendarum; sed alii accipiunt *æra* de didactro, quod idibus cujusque mensis ludimagistro solvere debebant pueri; cujus quidem rei mentione facta poeta designasset morem, qui locum tantummodo habebat apud ludos vulgares vel minores. — *octonis*, epitheton ornans; inter *nonas* enim et *idus* octo dies sunt.

76. *Est ausus*, non facile enim alius, in re tenui constitutus, rem tam sumtuosam suscipere ausus esset. — *portare*, deportare, deducere. — *Artes*, intellige græcas literas, et alia, in quibus doctrina censetur. — *doceat*, docendas curet. — *Vestem servosque sequentes*, etc. Sic ordinandum: ut, adeo ut si quis vidisset vestem, servosque qui me sequebantur, crederet (pro: credidisset), illos sumptus mihi ex re avita præberi. Ed. — *In magno*

Digitized by Google

Ex re præberi sumtus mihi crederet illos.
Ipse mihi custos incorruptissimus omnes
Circum doctores aderat. Quid multa? pudicum
Qui primus virtutis honos, servavit ab omni
Non solum facto, verum opprobrio quoque turpi:
Nec timuit, sibi ne vitio quis verteret, olim
Si præco parvas, aut, ut fuit ipse, coactor
Mercedes sequerer; neque ego essem questus. At hoc nunc
Laus illi debetur, et a me gratia major.
Nil me pœniteat sanum patris hujus: eoque

populo; in frequente civitate scilicet, ubi alios homines parum curant aliorum vestem et pedissequos, tamen mea vestis ac mei servi notari poterant, etc. Ed.—*avita ex re,* ex gente nobili ac ditissima me prognatum putasset, qui pretiosa veste indutus et servis comitatus incedebam. Ed.

81. *Ipse,* pater meus.—*custos incorruptissimus,* alii pueri, propter parentum divitias et incuriam, a custodibus, pretio conductis, servabantur, qui et corrumpi, et discipulos corrumpere poterant. Mihi autem pater meus, quia et pauper, et nulli nisi sibi fidens, non custodem aliquem conduxit, sed mihi ipse custos fuit, et incorruptus. Ed. — *omnes Circum doctores aderat,* ad notandam patris sedulitatem, qui omnes audiebat lectiones, ut et magistrorum doctrinam et discipuli studium per se nosceret. Ed.—*opprobrio quoque turpi,* turpi fama. Providit pater ut ne facerem, ut ne audirem male.

85. *Nec timuit,* etc. Nec ab hac educandi ratione se deterreri passus est timore, ne quis eam sibi exprobraret, si quando omni re paterna in me educando consumpta, pro exiguo stipendio præconis, aut coactoris, ut pater ipse fuit, munere fungerer; neque me pœnituisset hujus muneris. Pater enim id spectabat, ut potius probus ac liberaliter educatus quam dives essem; et ego idem sentio. Ed.—*præco,* proprie qui edicta publice recitat, aut mercibus in auctione vendendis emptores appellat, etc. —*coactor;* Schol. Acr. et Cruq. « coactores mercenarii eorum, qui habebant argentariam... coactores etiam dicuntur argentarii in auctionibus, quia pecunias cogant, qui et collectarii nominantur.... Coactor, qui exigit nummos a circumforaneis.»—*parvas Mercedes sequerer,* parvum quæstum facerem. Ed.

87. *At hoc,* at ob hoc ipsum, ob hanc ipsam educandi rationem; de *hoc* pro: ob hoc, cf. supr. ad v. 41. — *Sanum,* me sanæ mentis hominem, donec sanus ero. Vid. supr. Sat. V, 44, usurpatam eamdem loquendi rationem. — *eoque,* etc. et de hoc patre libertino non ita me

Digitized by Google

Non, ut magna dolo factum negat esse suo pars,
Quod non ingenuos habeat clarosque parentes;
Sic me defendam. Longe mea discrepat istis
Et vox et ratio: nam si natura juberet
A certis annis ævum remeare peractum,
Atque alios legere ad fastum quoscumque parentes;
Optaret sibi quisque; meis contentus, honestos
Fascibus et sellis nollem mihi sumere, demens
Judicio vulgi, sanus fortasse tuo, quod
Nollem onus haud umquam solitus portare molestum.
Nam mihi continuo major quærenda foret res,
Atque salutandi plures; ducendus et unus

excusabo, ut plurimi, qui non culpa sua (*dolo suo*) factum esse aiunt, quod non ingenuos nobilesque patres habeant.—*dolo suo;* Schol. « vitio suo et culpa. » — *Longe mea discrepat istis Et vox et ratio*, longe aliter ac isti et loquor et sentio. Ed. — *juberet*, sineret. — *A certis annis ævum remeare;* alii explicant: renasci, ad initium et originem vitæ redire. Alii autem dicunt illum qui nondum natus est, parentes eligere non posse; et intelligunt, redire ad eam ætatem, in qua judicium habemus, et eligere possumus; quam explicationem confirmare possunt hæ voces *a certis annis*, non totam anteactam vitam, sed aliquot tantum annos retro referri significantes. Ed. — *ad fastum*, quorum nobilitate se jactaret filius.

96. *Optaret sibi quisque;* quisque forsitan sibi alios parentes, ditiores et nobiliores eligeret. Ed.—*honestos*, decoratos, ornatos.—*Fascib. et sellis*, consulari vel prætoria dignitate. Consulibus enim et prætoribus fasces a lictoribus præferebantur; his sex, illis duodecim: qui fasces, ex virgis et securi constantes, insigne potestatis erant, quum virgis minora delicta, securi graviora plecterentur. *Sellas* etiam eburneas majores magistratus in curru gestabant, iisque, in senatu, considebant. Ed. — *molestum*, quod gerere difficile est, præsertim non solitis. Ed.

100. *Major quærenda foret res*, ad sustinendam generis nobilitatem. Ed.—*salutandi*, salutatione adeundi; quod fiebat mane. Martial. II, 18, 3: « Mane salutatum venio; » et IV, 8, 1: « Prima salutantes atque altera continet hora. » Scilicet nobili quoque loco nati honorum adipiscendorum causa gratiam sibi colligere studebant salutando: *salutandi plures* cum Heindorfio pro: salutatores plures accipiendi, equidem explicare nolim. — *unus Et comes alter*, decet enim divitem et nobilem virum non sine

Digitized by Google

Et comes alter, uti ne solus rusve peregreve
Exirem; plures calones atque caballi
Pascendi; ducenda petorrita. Nunc mihi curto
Ire licet mulo, vel, si libet, usque Tarentum,
Mantica cui lumbos onere ulceret, atque eques armos.
Objiciet nemo sordes mihi, quas tibi, Tullî,
Quum Tiburte via prætorem quinque sequuntur
Te pueri, lasanum portantes œnophorumque.
Hoc ego commodius, quam tu, præclare senator,
Millibus atque aliis vivo: quacumque libido est,
Incedo solus: percontor, quanti olus, ac far:
Fallacem circum, vespertinumque pererro

comitibus incedere. Ed. — *rus*, in suburbanam villam. — *peregre*, longinquum iter susceperus. Ed. — *calones*, cf. supr. ad Sat. I, 2, 44. — *petorrita*, vehicula sive carpenta, vel rhedæ Gallicæ. — *ducenda*, sc. mecum, ut paulo ante *ducendus et unus Et comes alter*; in editione Heindorfiana legitur *ducenta*, operarum, ut videtur, errore.

104. *Curto mulo*, Schol. Cruq. « mulo cauda curta; » alii per *mulum curtum* intelligunt mulum curti et exigui corporis. Ceterum ne equo quidem se uti dicit Horatius, sed mulo, qui multo vilior erat. Unde ad Petum Cicero Epist. lib. IX, 18: « potes mulo isto, quem tibi reliquum dicis esse, quum cantherium comedisti, Romam pervehi. » Ed.— *Mantica*, pera, sarcina. Schol. Porphyr. « hoc ex Luciliano illo sumtum est: *Mantica cantherii costas gravitate premebat.* » Hoc scilicet pauperis aut modesti hominis est non habere duos mulos; alterum sibi, alterum sarcinis; ideo Seneca Epist. 88: « O quantum erat sæculi decus imperatorem, triumphalem, Censorinum, et quod super omnia hæc est, Catonem uno caballo esse contentum, ac ne toto quidem; partem enim sarcinæ ab utroque latere dependentes occupabant. » Ed.— *sordes*, sordidam avaritiam.— *Tiburte via*, a porta Esquilina in villam Tiburtinam prætoris ducente. — *quinque*, nimis pauci pro prætoris dignitate.— *lasanum*, Schol. « vas, in quo exoneratur venter. » — *œnophorum* (οἰνοφόρον, sc. σκεῦος), corbis, vel cista vini amphoris portandis inserviens.

110. *Hoc*, ob hoc simplex vitæ genus; cf. ad v. 41. — *Millibus atque aliis*, id est, commodius quam mille alii. Lambinus male emendat *multis*. Ed.— *Quacumque libido est*, quocumque libet. Ed. — *solus*, nullo comitatu impeditus. Ed. — *percontor quanti olus, ac far*, de more eorum qui otiosi ambulant, aut etiam ad domestici sumtus utilitatem. Ed.

113. *Fallacem circ.* Schol. Cruq.

Digitized by Google

Sæpe forum; adsisto divinis: inde domum me
Ad porri et ciceris refero laganique catinum.
Cœna ministratur pueris tribus: et lapis albus
Pocula cum cyatho duo sustinet: adstat echinus
Vilis, cum patera guttus, Campana supellex.
Deinde eo dormitum; non sollicitus, mihi quod eras
Surgendum sit mane, obeundus Marsya, qui se
Vultum ferre negat Noviorum posse minoris.

« *Fallacem* dixit (circum) propter samardacos (impostores) et sortilegos, et mathematicos, qui ad metas spectatores circumstabant, et imperitos sortibus et nugis fallebant. » — *divinis,* sortilegis, rerum futurarum vatibus vel somniorum interpretibus. Horatius autem, dum ut homo vulgaris ejusmodi hominum circulis se immisceret, et vespertino tempore huc illuc in foro circumvagabatur, faciebat aliquid, quod a nobiliorum dignitate alienum putabatur. Hinc Schol. Cruq. « altioris dignitatis homines erubescunt sero in his vulgi circulis consistere. » — *Ad porri et ciceris,* olerum, unde intelligitur quam modesta mensa sit. Ed. — *laganique;* Schol. Cruq. « *lagana* sunt placentulæ quædam vulgares, quasi membranulæ compositæ, quæ cum pipere et liquamine conditæ depromi solebant ad cœnam moderatam et parabilem.

116. *Pueris tribus,* ditiores autem innumeris pueris cœnantes circumdabantur. Ed. — *lapis albus,* alii intelligunt basin vasorum collocandorum causa paratam in abacis, quia pocula, fundo sphærico, per se stare nequibant. Nos simpliciter accipiemus *album lapidem* de mensula nuda e saxo, vel marmorea, quæ abaci vicem gerat. Ed. — *Pocula duo,* par poculorum; singulis enim cœnantibus, ut observat Turnebus in Advers. IX, 19, par poculorum in mensa apponi solebat. — *cyatho,* jam ad Od. III, 19, 12, notavimus cyathum vasculum fuisse quo utebantur ad implenda pocula. Ed. — *echinus,* vasculum epulare ad formam echini effictum; vet. Schol. « Echinum dixit vas æneum, in quo calices lavantur. » Sed *Fea* ad hanc vocem hæc: « *echinus,* nempe *concha salis,* supr. Sat. I, 3, 14, *salinum* Od. II, 16, 14, quia concha fiebat ex *echinis concharum,* ut notat Acron ad Od. II, 7, 23. » De Echino vid. ad Epod. V, 28. — *guttus,* a *gutta,* vasculum, e quo liquores guttatim demittebantur; quo præcipue utebantur in re divina, unde *guttus* jam cum *patera* conjungitur. — *Campana supellex,* quia terra in Campania vasis fictilibus præcipue conficiendis apta fuit. Sic infr. Sat. II, 3, 144: « Campana trulla. »

120. *Marsya,* vel *Marsyas,* Schol. Cruq. « Marsya statua erat pro rostris, ad quam solebant convenire causidici, qui lites et negotia tractabant et componebant. Locus autem nomen

Digitized by Google

Ad quartam jaceo: post hanc vagor, aut ego lecto,
Aut scripto, quod me tacitum juvet; ungor olivo,
Non quo fraudatis immundus Natta lucernis.
Ast ubi me fessum sol acrior ire lavatum
Admonuit, fugio rabiosi tempora signi.
Pransus non avide, quantum interpellet inani
Ventre diem durare, domesticus otior. Hæc est
Vita solutorum misera ambitione gravique.
His me consolor, victurus suavius, ac si
Quæstor avus, pater atque meus patruusque fuisset.

a statua accepit, quod ibi causæ agi solebant et vadimonia sisti. » — *Noviorum... minoris;* Schol. Cruq. « Minor enim Noviorum ad hanc statuam turpissime fœnerabatur summo mane; quare jocatur Horatius, inquiens, Marsyam alteram manum habere erectam (cf. Serv. ad Virg. Æn. IV, 58) ad depellendos Novios, quod eorum fœneratorum impudentiam non posset sustinere. — *Ad quartam jaceo,* usque ad quartam a sole orto horam jaceo. Ed. — *lecto, Aut scripto;* pro lectito, aut scriptito; formæ sunt frequentativæ verborum *lego* et *scribo.* Ed. — *quod me tacitum juvet,* quod, tacite mecum agitatum, me delectat. Ed. — *ungor olivo;* ad vires firmandas et ad valetudinem sæpe ungebantur oleo Romani. Ed. — *Non quo,* etc. Non tali olivo, quali, lucernis subducto *immundus* (impurus, sordidus) Natta ungi solet. — *lucernis fraudatis,* sc. oleo.

125. *Sol acrior ire lavatum Admonuit,* scilicet sol meridianus. Ed. — *fugio rabiosi temp. signi,* æstum meridianum, qui fere sævit non minus quam canicula, fugio et balneis tempero. Pro his verbis *fugio rabiosi,* etc. nonnulli, ut *Wetzel,* ex antiq. cod. hæc legunt: *fugio campum lusumque trigonem,* h. e. vito campum Martium et ludum pilæ, in quo tres ludentes in trianguli figuram disponuntur. Posterior autem hæc lectio minus bene ad præcedentia aptari, et non satis confirmari mihi videtur. Ed. — *Pransus non avide,* ubi prandi moderate, tantum quidem, quantum *interpellet,* h. e. prohibeat τὸ *durare,* necessitatem durandi diem inani ventre, h. e. esuriendo diem exigendi. — *domesticus otior,* intra domum meam contineor otiosus. Ed.

129. *Vita solutorum,* etc. Vita eorum, qui liberi sunt ab honorum consequendorum studio, cum miseris et gravibus curis conjuncto. — *His me consolor,* ita, hoc vitæ genere et his præceptis de mea ignobilitate me consolor. Ed. — *Quæstor avus,* etc. Invidiose poeta pro *consul* vel *prætor* dixisse videtur *Quæstor,* quia Quæstores, divitiarum congerendarum cupiditate infames, non raro exempla exstabant, de quorum nobilitate parum se jactare possent nepotes.

Digitized by Google

Analysis. Eo spectat hæc Satira, ut invidis ac stultis hominibus respondeat poeta, qui ipsis obscurum genus exprobrabant; quod propositum digne ac decenter assecutus est. Vera nobilitas, quæ non in divitiis aut genere claro, sed in sola virtute sita est, argumentum est; et ita fere continuatur idearum series. Proficiscitur poeta ab amicitia Mæcenatis, qui nobilissimus ipse obscuros tamen homines non despicit, et quemque ex ingenio, non ex ortu facit. Videre est scilicet homines clarissimos genere, per se infames et contemnendos; et alios qui, humili loco nati, sua conditione stare nesciunt, et honores affectantes, se deridendos propinant. Horatius autem, libertino patre natus, Mæcenati placuit, non propter genus aut divitias, sed propter ingenium et proprias dotes. Atque etiam, si paucis vitiis laborat, et quid boni habet, hoc omne patri suo libertino debet, cujus nonnulli humilitatem rodunt. Pater scilicet ille natum liberaliter educari, ac potius probum quam divitem esse voluit. Ideo poeta patri suo gratias agit, nec eum, etiamsi liceret, pro nobiliore ac ditiore mutaret: nam potentiæ ac divitiis præponit vitam mediocrem, sed liberam, ac curis laboribusque solutam. O sanctam filii boni indolem!

Studiosi comparaverint hanc Satiram cum tertia Juvenalis, quæ in eodem argumento vertitur; longe autem alius coloris est. Ed.

SATIRA VII.

Horatius Regem Rupilium et Persium quemdam, divitem negotiatorem, dum eorum lites et convicia, ab altero in alterum conjecta, enarrat, ut homines insulsos deridet.

Proscripti Regis Rupilî pus atque venenum,
Hybrida quo pacto sit Persius ultus, opinor

1. *Proscripti Regis Rupilî*, etc. Sensus: in vulgus notum est, *quo pacto* (quo dicterio inficeto, infr. v. 33-35) remuneratus sit Persius proscripti Regis Rupilii convicia, veneni et fellis plena. — *Proscripti Regis Rupilî;* Schol. Cruq. « Publius Rupilius, Rex Prænestinus, postquam a Prænestinis in exsilium missus esset, in Attica militavit sub Attio Varo: deinde quum Prætura gereret, in triumviratu proscriptus ab Augusto confugit ad Brutum, in cujus castris cum Horatio commilito ægre tulit tribunum eum esse militum, generis ignobilitatem ei sæpius exprobrans. Quare Horatius, ut se ulcisceretur, describit inficetum et arrogans ejus in jurgando cum Persio ingenium. » Omnes tamen in hoc conveniunt, ut Rupilius cognomine

Digitized by Google

Omnibus et lippis notum et tonsoribus esse.
Persius hic permagna negotia dives habebat
Clazomenis, etiam lites cum Rege molestas;
Durus homo, atque odio qui posset vincere Regem,
Confidens tumidusque, adeo sermonis amari,

tantum Rex fuerit. Ed.— *pus, atque venenum*, intellige convicia, plena quasi puris (rei spurcæ) et veneno tincta; sic Catullus XLIV, 12, orationem conviciis inquinatam vocat *plenam veneni et pestilentiæ*.— *Hybrida*; Schol. « Mixti generis ex diversis naturis. Hybridæ proprie dicuntur canes, qui ex imparibus nati sunt, ut ex venatico et gregario. Sic Persius *Hybrida* semi-romanus, ex patre Græco et ex matre Romana. »— *et lippis*, plures interpretes accipiunt de hominibus, qui, dum lippitudinis curandæ causa in tabernis medicorum sedent, otii terendi gratia de rebus novis et urbis fabulis sermones conferunt. Sed vix puto lippitudinem esse morbum, cujus curandi causa homines in medicorum tabernis magna copia confluxerint. Nam in loco Plauti, Amphitr. IV, 1, 3 (quem in hanc rem attulit *Bentleius*): « Omneis plateas perreptavi, gymnasia et myropolia: Apud emporium, atque in macello, in palæstra atque in foro: In medicinis, in tonstrinis, apud omneis ædeis sacras. Sum defessus quæsitando, nusquam invenio Naucratem, » etc. nulla lipporum facta est mentio. Cogitabam primum de aniculis, quas, non raro lippientes, Horatius supra quoque Sat. I, 4, 38, ad eos refert, a quibus res novæ vel maxime captari et diffamari solent. Sed nunc aliter sentio. Horatius, qui homo fuit *lippus*, ut ipse profitetur Sat. I, 5, 30, ab adversariis, ut observavimus supra ad Sat. I, 1, 120, contemtim *lippus* nominatus esse videtur. Fortasse igitur a Rege Rupilio quoque, qui, ut scribit Vet. Schol. ægre ferebat, quod Horatius, homo ignobilis, tribunus militum in castris Bruti esset, contemtim *lippus* appellatus est; quod quidem ineptum convicii genus, a corporis vitio quippe petitum, ridendo Horatius data opera repetere videtur.— *tonsoribus*, non mirum, si tonsores olim quoque ex ore eorum, quos tondebant, res novas accipiebant, easque propagabant.

4. *Negotia*, de quæstu, qui redit ex fœnore. Schol. Cruq. « erat enim *Persius* negotiator apud Clazomenas. » De *negotiatoribus Romanis* copiose et erudite egit *Ernestius* in peculiari dissertatione, quam in compendium redegit in Clav. Cic. s. v. *negotiator*. — *Durus homo*, durioris ingenii homo, asper, pervicax, difficilis, opponitur homini miti, comi, facili. — *atque odio qui posset vinc. Regem*, et insolentior Rege; *odium* de insolentia et importunitate Cic. pro Cluent. 39: « quod erat *odium*, Dii immortales, quæ superbia! » *Ernestius* in Clav. Cic. s. v. *odium* laudat Terent. Hecyr. III, 2, 8, et Phorm. V, 6, 9: « nunquam hodie *odio* tuo me

Digitized by Google

Sisennas, Barros ut equis præcurreret albis.
Ad Regem redeo, postquam nil inter utrumque
Convenit, (hoc etenim sunt omnes jure molesti,
Quo fortes, quibus adversum bellum incidit; inter
Hectora Priamiden, animosum atque inter Achillem
Ira fuit capitalis, ut ultima divideret mors
Non aliam ob causam, nisi quod virtus in utroque
Summa fuit; duo si discordia vexet inertes,

vinces.» — *Confidens,* ferox, procax, *tumidus,* superbia inflatus.— *Sisennas, Barros,* homines infames tum maledicentia. *Barrus,* ut homo nequam, jam supra Sat. I, 4, 110, notatus est. Cf. I, 6, 30.— *equis præcurreret albis,* proverbiali locutione pro: superaret sc. maledicentia; equi enim albi omnium putabantur celerrimi; unde Plaut. Asinar. act. II, sc. 2, 12: « Nam si huic occasioni tempus sese subterduxerit, Nunquam, edepol, *quadrigis albis* indipiscet postea.» Ed.

9. *Postquam nil inter utrumque Convenit, (hoc etenim... Muneribus missis) Bruto Prætore tenente.... spectaculum uterque.* Hunc locum paulo obscuriorem ita accipio: Postquam Rex Rupilius et Persius inter se conciliari non potuerant (omnes enim, quibus certamen est cum adversario aliquo, dum eadem pertinacia, qua viri fortes de jure pugnant, invicem sibi molesti fiunt; inter Achillem quidem et Hectorem tanta fuit ira, ut, quia in utroque summa fuit virtus, nil nisi ultima mors eam dirimeret. At si duos homines inertes (quales erant Rex Rupilius et Persius) agitet discordia, aut si certamen oriatur inter homines viribus inter se dispares, ut apud Homerum inter Diomedem et Glaucum; ex ejusmodi certamine pigrior, ultro oblatis muneribus, abibit); jam duo illi certantes sicut par acerrimorum gladiatorum, quales sunt Bithus et Bacchius, pugnant, acri ira in jus procurrunt, et iis, qui huic liti adsunt, magnum præbent spectaculum. — Scilicet Horatius ridet homines inertes, vel viribus dispares, qui, dum inter se certant, ridicule viros fortes, cedere nescios, imitantur. Remanet tamen in voce *jure* v. 18, nisi eam de modo, quo quis jus defendit, vel de pertinacia, qua quis de jure pugnat, explicueris, haud exigua difficultas. Equidem divinabam, pro *jure* legi fortasse posse *more* (ingenio), nempe quo litigantes non inter se convenire soleant, similes fere viris fortibus, quorum neuter alteri cedere solet; sed videant de hoc loco alii. — Ceterum verba inde ab *hoc etenim sunt* usque ad *Bruto Prætore* rectissime parentheseos signo distinguuntur, quidquid contradicat Heindorfius, qui, quod interrupta oratio post parenthesin non excipiatur formula aliqua, qua scriptores ad cœptam sententiam redire soleant, hunc locum ad anacolutha re-

Digitized by Google

Aut si disparibus bellum incidat, ut Diomedi
Cum Lycio Glauco, discedet pigrior, ultro
Muneribus missis) Bruto Prætore tenente
Ditem Asiam, Rupilî et Persî par pugnat: uti non
Compositus melius cum Bitho Bacchius. In jus
Acres procurrunt, magnum spectaculum uterque.
Persius exponit causam, ridetur ab omni
Conventu, laudat Brutum, laudatque cohortem:
Solem Asiæ Brutum appellat, stellasque salubres
Appellat comites, excepto Rege; canem illum,
Invisum agricolis sidus, venisse. Ruebat,

ferendum censet. Sed Horatius infra quoque Epist. I, 15, 44, post parenthesin, quæ longior adeo est hujus loci parenthesi, sine ulla formula vel admonitione in cœpta sententia pergit. — *ut Diomedi Cum Lycio Glauco*, fuit quidem Glaucus, Lycius, Hippolochi filius, vir fortis, sed impar Diomedi, cui pro armis æreis sua dedit aurea; vid. Hom. Iliad. VI, 119-236. — *Bruto Prætore*, tenuit Brutus tum (a. 711) ditem provinciam Asiam *proconsul*, sed alibi quoque *proconsules* vocantur *prætores* h. e. qui provinciæ alicui præsunt; vid. *Ernest.* in Clav. Cic. s. v. *prætor*. — *uti non Compos. melius cum Bitho Bacchius*, uti non melius compositum par illud gladiatorum, Bacchius scilicet cum Bitho. Schol. Porphyr. « Bithus et Bacchius gladiatores optimi illis temporibus fuerunt, qui, quum multos interemissent, commissi inter se mutuis vulneribus conciderunt. » Sic fere Virgil. Eclog. VII, 16 : « Et certamen erat, Corydon cum Thyrside, magnum; » certabat scilicet Corydon cum Thyrside. — *procurrunt*, tanquam gladiatores in arenam. Ed.

23. *Ab omni Conventu*, ab omnibus, qui hujus causæ actioni aderant. — *cohortem*, copias quibus Brutus præerat. Cf. *Ernest.* Clav. Cic. s. v. *cohors*. — *solem Asiæ*, quasi omnia in provincia Asia splendore suo collustret, sic apud Græcos ἥλιος de eo, qui gloria et virtutibus exsplendescit; vid. *Jacobs* ad Meleag. XXXV, Anthol. Græc. tom. I, p. 55. Similiter Racinius in comœdia, cui titulus, *les Plaideurs*, causidicum inducit de judice dicentem : « Ce soleil d'équité qui n'est jamais terni. » act. III, sc. 3. Ed. — *stellasque salubres Appellat comites*, ad judicis et circumstantium favorem sibi conciliandum, omnes inficetis laudibus adspergebat. Ed. — *canem*. Schol. « caniculum pestiferum, Sirium, invisum agricolis; » nam *sterilis Sirius*, ut loquitur Virg. Æn. III, 141, *exurit agros*. — *venisse*; nam ab Octavio proscriptum, se Bruto adjunxerat.

26. *Ruebat, Flumen ut hibernum*,

Digitized by Google

Flumen ut hibernum, fertur quo rara securis.
Tum Prænestinus salso multumque fluenti
Expressa arbusto regerit convicia, durus
Vindemiator et invictus, cui sæpe viator
Cessisset, magna compellans voce cuculum.
At Græcus, postquam est Italo perfusus aceto,
Persius exclamat: per magnos, Brute, Deos te
Oro, qui reges consueris tollere, cur non
Hunc Regem jugulas? operum hoc, mihi crede, tuorum est.

etc. Ruebat (vehementiore scilicet impetu in adversarium) sicuti hiberno tempore ruere solet flumen per ea loca, in quæ raro securis defertur, h. e. ubi raro securi cæduntur virgulta, et arbores propter soli asperitatem fere inviam. Ed. Post *venisse* distinctionem majorem posui.

28. Sensus et impeditioris orationis nexus esse videtur: Tum Rupilius oriundus Prœneste, (oppido cujus incolæ rudi admodum sermone utebantur, testibus Plauto et Festo,) in Persium *salsum multumque* fluentem, id est, multa salse dicta effundentem regerit ipse convicia ex *arbusto expressa*, h. e. qualia e vineis suis conjicere solet vinitor in viatores, qui prætereuntes et lacessentes eum vocant *cuculum*, tanquam operi suo tardius incumbentem. Ed.—*arbusto*, ubi vites non, ut nunc in vineis fit, palis, sed arboribus, nominatim populis et ulmis adnectebantur. Quodsi igitur in arbusto, (ut ex Schol. ad h. l. discimus, et Plinio lib. XVIII, cap. 26). vernali tempore justo serius, ubi jam cuculus vocem edit, vites putandas et arboribus applicandas curabat vindemiator; ejus inertiæ ludendæ causa prætereuntes *cuculum* vocare solebant; unde ille exacerbari et virus acerbitatis in prætereuntes evomere. Ceterum in hoc loco ad *durus vindemiator* supplenda est particula comparationis: velut, sicuti, ut passim alibi; cf. infr. ad Epist. I, 2, 42.—*Vindemiator*, vel quod *vinum legit*, vel quod de *vinea demit* aliquid: *ia* in unam syllabam contrahitur, quia secunda syllaba est *longa*. Ovidius et alii dixerunt, vindemitor. Ed.

32. *Italo perfusus aceto* (ex sermone comico), a Romanæ gentis homine acrioribus conviciis obrutus.—*reges cons. tollere*, a Junio Bruto, Tarquinii exactore, ducebat originem Brutus iste, Cæsaris regnum affectantis, interfector. Ed.—*Hunc Regem*, ludit Persius in Rupilii cognomen, quasi rex revera fuisset. Ed.—*operum hoc, mihi crede, tuorum est*, hoc profecto ad res præclare a te gestas pertinet; ad *operum tuorum* supple *unum*; ut supr. Od. III, 13, 3: « Fies nobilium tu quoque fontium. »

Digitized by Google

Analysis. Ab alterutro horum hominum, vel ab utroque offensus, ut videtur, Horatius, litem, quam inter se sustinuerunt, facete enarrans, eos acerrimis salibus inspergit. Simplicior est propositi tractatio, quam ut idearum nexum explicemus.

Ex ipso argumento judicari potest, quo tempore composita fuerit hæc Satira. Omnes fere consentiunt non inter optima poetæ nostri opera numerandam esse, et juvenilem adhuc ætatem arguere. Ed.

SATIRA VIII.

Inducit poeta Priapum loquentem, et Canidiæ artes magicas, quarum spectator fuerat, ridentem.

Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum,
Quum faber, incertus scamnum faceretne Priapum,
Maluit esse deum: Deus inde ego, furum aviumque
Maxima formido; nam fures dextra coercet,

1. *Truncus ficulnus*, ex ligno enim ficulneo obscœnum Priapi, hortorum custodis, simulacrum sculpi et effingi solebat. Sic apud Theocrit. Epigr. IV. — *inutile lignum*. Schol. Cruq. « ad nihil aptum; nam materia ejus arboris propter fragilitatem nullis fabricis est idonea; » hinc apud Græcos homo nullius frugis ἀνὴρ σύκινος, cf. Lambin.—*Quum faber, incertus*, etc. In his duobus versibus, et in tota fere hac satira, Horatius, ut Epicureus, et *parcus et infrequens deorum cultor* (Od. I, 34, 1), salse ridet inanes deos eorumque simulacra. Nota scilicet materiem adeo vilem, ut nulli fere usui apta sit, *inutile lignum*; faber autem adeo omni erga Deum istum veneratione alienus est, ut hæreat, an *Deum* aut *scamnum* fieri conveniat; post dubitationem, tandem Deum facere decernit, qui aliter non existeret; Deus ipse confitetur se hujus artificis voluntate existere, *Deus inde ego*. Fontanius noster, lib. IX, fab. 6, statuarium inducit pariter de marmore incertum; « *qu'en fera-mon ciseau? sera-t-il Dieu, table, ou cuvette?* et denique exclamantem: « *il sera Dieu!* Ed. — *Priapus*, Bacchi et Veneris filius, generationi præerat hortisque; ejus statua in hortis vulgo ponebatur, falcem manu tenens, et arundinem in capite gestans, qua fures avesque proterreret. Ed. — *furum aviumque*; sic Virg. Georg. IV, 110. —*Maxima formido*, qui essem furibus atque avibus maximæ formidini; similiter in re venatoria *linea*, sive funiculus extensus et pennis distinctus ad formidinem feris incutiendam simpliciter dicitur *formido* v. Ovid.

Digitized by Google

Obscœnoque ruber porrectus ab inguine palus.
Ast importunas volucres in vertice arundo
Terret fixa, vetatque novis considere in hortis.
Huc prius angustis ejecta cadavera cellis
Conservus vili portanda locabat in arca.
Hoc miseræ plebi stabat commune sepulcrum,
Pantolabo scurræ, Nomentanoque nepoti.
Mille pedes in fronte, trecentos cippus in agrum

Fast. V, 173 : « Dum nova lanugo, pavidos formidine cervos terret. » Cf. Grat. Cyneg. v. 74, et ibi Barthium.

4. *Dextra*, qua tenebat Priapus *fustem*, vel, ut in laudato loco Virgilii, *falcem salignam*.— *Obscœno*, etc. Priapus, ut diximus, generationi præerat, ideoque huic parti, qua generamus, nomen suum dedit ; et ipse eam validissimam habuit. Hujus igitur Dei rudibus statuis membrum grande effingebant, minioque, ut oculos percelleret, oblinebant ; cujus partis et magnitudinem et colorem significat *palus ruber porrectus* ab inguine obscœno. Totam quoque statuam sæpissime rubefaciebant. Ovid. Fast. I, 415 : « At ruber, hortorum decus et tutela, Priapus. » Ed.— *arundo*, ramus aut pertica longior ; alii intelligunt coronam ex arundine, fasciculum arundinis, quæ vento agitata crepat strepitque.— *novis in hortis*. Schol. Cruq. « nuper a Mæcenate institutis..... » Antea Exquilina regio sepulcris servorum et miserorum erat dedicata ; Mæcenas autem, considerans aeris salubritatem, hortos et celeberrimam turrim in eo loco constituit. » Ed.

8. *Prius*, olim, antequam hortos ibi adornaverat Mæcenas ; *ejecta*, graviter ad miseram sortem designandam, qua tractabantur servi vel servorum corpora ; *cellis*, de loco arctiore, ubi strata sua habebant servi.— *Conservus*. Schol. Acr. « conservi locabant et sepeliebant alios servos. » — *vili arca*, cista, ex nonnullis tabulis constructa, sandapila, qua efferebantur pauperiores.— *stabat*, destinatum erat, patebat.— *commune sepulcrum*, locus, ubi infimi ordinis homines communiter sepeliebantur, sepulcretum ; Catullus *Trojam* vocat *Asiæ Europæque commune sepulcrum*, LXVIII, 89. — *Pantolabo scurræ, Nomenl. nepoti*, vel hominibus, qualis est scurra Pantolabus et Nomentanus nepos ; uterque enim tum adhuc vivebat, ut apparet ex Sat. II, 1, 19 ; de *Pantolabo* ; Schol. Acr. et Porphyr. « Fuit Mallius Verna trans Tiberim ingenuis parentibus natus, qui, quia a multis pecuniam mutuam rogabat, *Pantolabus* est cognominatus. » *Nomentanum* Horatius jam supr. Sat. I, 1, 105 : « vappam et nebulonem » appellavit ; *nepotem* eumdem vocat infr. Sat. I, 2, 22 ; Sat. II, 3, 224.

12. Sensus : *Hic* (in hoc loco, in Exquiliis) *cippus* (columella) *dabat* concedebat, designabat spatium agri,

Digitized by Google

Hic dabat; hæredes monumentum ne sequeretur.
Nunc licet Exquiliis habitare salubribus, atque
Aggere in aprico spatiari, quo modo tristes
Albis informem spectabant ossibus agrum:
Quum mihi non tantum furesque feræque suetæ
Hunc vexare locum, curæ sunt atque labori,
Quantum, carminibus quæ versant atque venenis
Humanos animos; has nullo perdere possum

qui sacer esset communi sepulcreto, ita quidem, ut illud spatium ab externa parte *in fronte* (en largeur) *mille pedes*, quod vero procurreret *in agrum* (en longueur) *trecentos pedes* contineret, hac adjecta conditione: *hæredes monumentum ne sequeretur*, h. e. ne hoc sacratum monumentum ad hæredes perveniret, sive ne quid juris in hoc monumentum hæredes haberent. Civis videlicet aliquis moriens, hoc agri spatium, commune egenis sepulcrum futurum, testamento reliquerat, vetueratque ne ad suos hæredes hic ager pertineret. Ed. — *cippus* jam est columella, in qua fines vel termini agri, communi sepulcreto dicati, descripti et designati fuerunt, et quidem sic: IN. FR. P. — IN AG. P. (In Fronte Pedum. — In Agrum Pedum) additis ex formula solemni literis his: H. M. H. EX T. N. S. (Hoc Monumentum Hæredes Ex Testamento Ne Sequatur). Cf. Lambin. — *Exquiliis habitare salubribus*, nunc iste locus non sepulcretum est: revulsus est cippus; jamque Mæcenas hic hortos salubres fecit. Ed. — *Aggere in aprico*, collem scilicet intelligas, in his hortis situm, vel potius aggeres terræ, a Mæcenate exstructos, ut hortum salubriorem, et solis calori excipiendo aptiorem, *apricum* redderet; gall. *des terrasses*. Ed. — *spatiari*, deambulare. — *quo*, quo in loco. Ed. — *modo*, paulo ante. Ed. — *informem*, deformem visu. Ed. — *spectabant*, sub. cives; dicuntur *tristes*, ob triste spectaculum oculis præbitum. Ed. — *ossibus*, servorum nempe ibi tumulatorum, vel etiam reorum. Ed.

17. *Quum*, hæc conjunctio simpliciter duo phraseos membra jungit, quasi: nunc mihi, etc. non autem hanc particulam ad *nunc* in v. 14 referam. Ed. — *suetæ*, quæ solebant. — *Quantum, carminibus quæ*, etc. Quantum mihi curæ sunt (scilicet veneficæ), quæ formulis magicis et incantationibus hominum animos *versant* h. e. agitant, pervertunt, defigunt, vel ut Virgilius (Eclog. VIII, 66) in re simili loquitur, *sanos sensus avertunt*. — *venenis*, per *venena* (φάρμακα) intellige, quæ spargunt in re magica venefici et veneficæ. Supr. Epod. V, 21, 22: « Herbasque, quas Iolcos atque Iberia mittit, venenorum ferax. » Cf. ibidem v. 87. — *perdere*, pessumdare, evertere. — *vaga luna*, luna, ut stellæ, dum cursum suum

Digitized by Google

Nec prohibere modo, simulac vaga Luna decorum
Protulit os, quin ossa legant, herbasque nocentes.
Vidi egomet nigra succinctam vadere palla
Canidiam, pedibus nudis, passoque capillo,
Cum Sagana majore ululantem; pallor utrasque
Fecerat horrendas aspectu. Scalpere terram
Unguibus, et pullam divellere mordicus agnam
Cœperunt: cruor in fossam confusus, ut inde
Manes elicerent, animas responsa daturas.
Lanea et effigies erat, altera cerea; major
Lanea, quæ pœnis compesceret inferiorem.

peragit, vagari et errare dicitur. Infr. Epist. I, 12, 17 : « Stellæ sponte sua, jussæne vagentur et errent. » Luna autem incantationibus præesse putabatur.—*quin ossa legant,* in hoc loco scilicet, ut in veteri sepulcreto, aliquot ossa remanere potuerant. Ed.

23. *Vidi egomet;* nota solenniter et gravibus verbis, ab hoc versu ad 30, descriptum magicæ artis spectaculum, et inprimis ad rem adcommodata hæc verba *vidi egomet;* similiter apud Virg. Æn. III, Achemenides suos a Polyphemo jugulatos voratosque comites enarrans incipit : « vidi egomet, duo de numero quum corpora nostro, » etc. Ed. — *succinctam,* eodem sensu, quo supra Epod. V, 25. Sagana, Canidiæ administra, dicitur *expedita.*—*palla,* veste longiore. Ed.—*passoque capillo,* crinibus solutis. — *Cum Sagana majore.* Schol. Cruq. « Hæc Sagana liberta fuisse dicitur Pomponii Senatoris, qui a triumviris est proscriptus; habuit autem sororem, se natu minorem; idcirco major hic dicitur. » Sed fortasse ideo jam *Sagana* dicitur *major,* quod Canidiam adeo superaret annis. — *ululantem,* sic canes inferni, qui sunt in comitatu Hecates, *ululare* dicuntur apud Virg. Æn. VI, 257.

26. *Scalpere terram Unguibus,* scilicet scrobem vel fossam, terra unguibus egesta, fecerunt, ut cruorem divulsæ agnæ, ut ex sequentibus intelligitur, cum aliis rebus in eam confunderent.—*pullam... agnam,* nam diis inferis nigri coloris hostiæ offerebantur. — *divellere mordicus,* ad designandam sagarum istarum feritatem, victimas non cultro mactantium, sed dentibus lacerantium. Ed.—*confusus,* temere injectus. Ed. — *inde,* ex hac scrobe, vel hac re, his sacris magicis.—*responsa daturas,* interrogantibus responsuras. Ed.

30. *Lanea et effigies,* etc. Junge : *Effigies erat* altera *lanea et altera cerea;* per *effigiem* intellige imaguncula; Canidia scilicet duas effinxerat imagines; altera, et quidem *major,* ipsam Canidiam repræsentans, fuit *lanea, quæ pœnis compesceret*

Digitized by Google

Cerea suppliciter stabat, servilibus utque
Jam peritura modis. Hecaten vocat altera, sævam
Altera Tisiphonen: serpentes atque videres
Infernas errare canes, Lunamque rubentem;
Ne foret his testis, post magna latere sepulcra.
Mentior at si quid, merdis caput inquiner albis
Corvorum, atque in me veniat mictum atque cacatum

inferiorem, quæ eum, a quo amari cupiebat, sibi subjectum et devotum redderet, ita quidem, ut *inferior* cedere deberet *pœnis*, potentiæ magicæ; altera, scilicet ejus, quem Canidia compescere et amore ad se rapere volebat, fuit *cerea*, (ut, sicut cera igni, ita amore liquesceret;) hæc *stabat suppliciter*, supplicis, ut *major* parcat *inferiori*, speciem præ se ferens. — *servilibus utque Jam peritura modis*, et tanquam ea, quæ servili modo jamjam pœnas datura sit. — Conferendus omnino cum hoc loco Virgilius in Pharmaceutria Eclog. VIII, ubi v. 75, venefica *effigiem* a se amati ter circum altaria ducit; et Theocritus Idyll. II.

34. *Hecaten*, sive Dianam, quæ artibus magicis præest. Vid ad Epod. 5, 51. Ed. — *Tisiphonen*, unam e tribus furiis. Ed. — *serpentes atque*, etc. Junge: *videres serpentes atque infernas canes errare... videres*, ut in versu ultimo hujus Satiræ, vel supr. Sat. I, 5, v. 76 (ubi vid. *not.*) pro: nunc videre licebat. — *Lunamque rubentem*, lucentem, nihil amplius; *rubere* passim de lunæ splendore; supr. Od. II, 11, 10; Propert. I, 10, 8. Sed Heindorfius explicat: « pudore horum scelerum erubescentem, » at hujusmodi rerum aspectus pallorem potius, quam ruborem exprimit. — *post magna sepulcra*, quum in Esquiliis non sepelirentur beatiores, sepulcra in altum exstructa intelligi nequeunt; intelligo igitur sepulcra recentia, quorum tumuli majores ceteris esse solent.

37. *Mentior at si quid;* ut suis verbis fidem conciliet Priapus, jamjam juraturus est; dum autem ceteri dii per Styga, nota per quam rem Deus ille noster venerandus juret: apta sane sacramenti formula huic numini, ex inutili ligno facto, et cui aves terrere cura fuit. Ed. — *Corvorum*, ægre prorsus Priapo ferendæ erant avium injuriæ, quum ipse avium *maxima formido* esse deberet; quibus tamen opprobriis maxime fuisse expositum quivis facile intelliget. Unde ad Priapum, in Epig. Anth. Lat. tom. II, pag. 561, vs. 11: « abegimusque voce sæpe, quum tibi Senexve corvus, impigerve graculus Sacrum feriret ore corneo caput. » Ed. — *atque in me veniat*. Arripit Horatius occasionem duos homines, alterum mollem et fragilem cinædum, alterum famosum furem, æque abominabiles, atque illa, de quibus modo dixit, producendi; Julius quis fuerit ignoratur; Pediatium autem volunt Equitem Romanum

Digitized by Google

Julius et fragilis *Pediatia*, furque Voranus.
Singula quid memorem? quo pacto alterna loquentes
Umbræ cum Sagana resonarent triste et acutum?
Utque lupi barbam variæ cum dente colubræ
Abdiderint furtim terris; et imagine cerea
Largior arserit ignis; et ut, non testis inultus,
Horruerim voces Furiarum et facta duarum?
Nam, displosa sonat quantum vesica, pepedi,
Diffissa nate, ficus: at illæ currere in urbem;
Canidiæ dentes, altum Saganæ caliendrum

fuisse, turpissimo libidinis generi deditum, unde non Pediatius, sed mutato genere Pediatia vocaretur.—*fragilis* autem est obscœna vox, a verbo *frangi*, quod sonat obscœne pro *pati muliebria*. Ed. — *Voranus*. Schol. Cruq. « Aiunt, Voranum, libertum Q. Lutatii Catuli, fuisse adeo furacem, ut nummos subreptos a nummulario in calceos demiserit, a quo quum deprehensus esset, quidam subridens, belle, inquit, si te non ἐχαλκεύσι, h. e. verberibus tanquam æs recudat, alludens ad calceos. »

40. *Quo pacto*, sub. memoremne? Ed. — *alterna loquentes*; interrogabant scilicet Sagana, et animæ respondebant. Ed. — *Umbræ*, manes carminibus acciti.— *resonarent triste et acutum*, voces tristes et acutas ederent; iis enim sonis loqui finguntur umbræ (τετριγυῖαι); *vox acuta*, clarissima. Pro *resonarent*, dedit Bentleius, *resonarint*, sed contra fidem omnium codd. vide *Feam*. — *Utque lupi barbam*, etc. De causa, ex qua veneficæ barbam lupi et dentem versicoloris colubræ, ut res ad suppellectilem magicam spectantes, furtim sub terra occultaverint, quærere profecto nihil attinet. — *variæ*, macalosæ. — *cerea*, duabus syllabis pronuntiandum, ut *ostrea* infr. Sat. II, 2, 21.— *Largior arserit ignis*, sponte sua, ut videtur, arsit imago cerea. Ed. — *Horruerim*, horrescens viderim, et diutius tolerare non potuerim. Ed.— *Furiarum*, Canidiæ et Saganæ.

46. *Nam*, etc. Jam credas duas illas furias, a Deo irato gravissimis suppliciis afficiendas aut subita morte opprimendas esse; at non eo venit Dei nostri ira, et melius ligneo Deo ultiò adcommodatur. Ed. — *displosa sonat quantum vesica*, tantum crepitum, quantum edit vesica displosa, nates aperiens, edidi. Ed. — *ficus*, ego ex trunco ficulneo, ligno admodum fragili, factus.— *dentes*, emptos et appositos, quibus vetulæ uti solent, ut reparent amissos. Ed. — *caliendrum*, fuit, ut videtur, coma adscititia; *altum* autem vocatur, quia Romanæ mulieres comas solebant post verticem rejicere et in modum turriculæ, in acumen desinentis, componere. Ed.—

Digitized by Google

Excidere, atque herbas, atque incantata lacertis
Vincula, cum magno risuque jocoque videres. 50

Excidere, adeo motæ fuerunt Priapi peditu Sagæ, ut appositos dentes et crines amiserint. Ed.— *atque incant. lacertis Vincula*, per *vincula* carminibus *incantata*, quæ Canidiæ et Saganæ brachiis, quibus illa annexa fuerunt, excidisse dicuntur, intellige fila vel licia, amati amore vinciendi et attrahendi causa nexa; apud Virgil. Eclog. VIII, 77, dicuntur illa *Veneris vincula*: « Necte tribus nodis ternos, Amarylli, colores (tria diversi coloris licia); Necte, Amarylli, modo; et, Veneris, dic, vincula necto. »

Analysis. In hac Satira hoc sibi propositum habuisse videtur poeta, ut Canidiam eam, quam supra Epod. 5 et 17 acerrime insectatus est, vexaret iterum ac ridiculo inspergeret. Hic autem non se ipsum loquentem, sed Priapum, rusticum deum inducit, pro ipso poeta, veneficam opprobriis affecturum. Qua ingeniosa fictione Horatius simul et Priapi divinitatem, et Canidiæ incantationes irridere potuit. Scilicet Deus ipse Priapus ab initio loquens affertur, enarransque e quam vili materia factus sit, quo munere fungatur, quos locos custodiat. Hic laudat hortos Exquilinos a Mæcenate institutos et ædes magnifice adornatas. Deinde queritur deus Priapus quanto labore magas possit depellere, describitque earum ac præsertim Canidiæ horrendas incantationes tristesque cærimonias. Quas tamen incantationes ridicula quidem, sed sane tali deo digna ratione disturbavit, ipsasque magas fugavit. Ed.

SATIRA IX.

Homo quidam, qui garrulitate et vana jactantia occiderat pæne Horatium, vivis coloribus describitur.

Ibam forte Via sacra, sicut meus est mos,
Nescio quid meditans nugarum, totus in illis:

1. *Ibam ut forte*, sine omni necessitate tentabat *Bentleius*. Bene enim cohæret oratio, *Ibam forte*. — *Via sacra*, ducebat hæc via e foro in Capitolium, et erat frequentissima. — *nugarum*, per nugas intellige carmen

Digitized by Google

Accurrit quidam, notus mihi nomine tantum,
Arreptaque manu: « Quid agis, dulcissime rerum? »
« Suaviter, ut nunc est, inquam; et cupio omnia, quæ vis. »
Quum adsectaretur: « Num quid vis? » occupo. At ille:
« Nôris nos, inquit; docti sumus. » Hic ego: « Pluris
Hoc, inquam, mihi eris. » Misere discedere quærens,
Ire modo ocius, interdum consistere, in aurem
Dicere nescio quid puero; quum sudor ad imos
Manaret talos. O te, Bolane, cerebri

aliquod, quod secum meditabatur Horatius; sic infr. Epist. II, 2, 141: « abjectæ nugæ, de abjecto carminum faciendorum studio.

4. *Arreptaque manu,* hoc primum insulsi et molesti hominis est, quum hoc non nisi cum amicis fieri soleat. Ed.—*Quid agis, dulcissime rerum?* alii ita jungunt: quid agis rerum, o dulcissime? ex illis Terent. Eunuch. V, 4, 1: « reviso quidnam Chærea hic rerum gerat. » Jungi autem prætulerim *dulcissime rerum,* quum hæc expressio affectata melius hunc insulsum hominem decere videatur. Similiter Ovid. Art. Am. I, 213: «Ergo erit illa dies, qua tu, pulcherrime rerum, Quattuor in niveis aureus ibis equis»; et Heroid. IV, 125: « O utinam nocitura tibi, pulcherrime rerum, In medio nixu viscera rupta forent! » *Quid agis* idem sonat ac quomodo vales? Ed.

5. *Suaviter,* vulgares formulæ alloquentium et respondentium; *quid agis,* nos: « comment vous portez-vous? » *suaviter,* nos: « très bien. »— *ut nunc est,* pro ea, qua nunc utor, rerum conditione. —*et cupio omnia, quæ vis,* hac formula quævis bona alicui apprecandi usi præcipue esse videntur discedentes ab aliquo, eique valedicentes; sed frustra Horatius hac formula ab homine importuno se dissolvere tentabat.—*occupo,* præoccupo eum dicendo: *Num quid vis?* hæc quoque est formula jamjam abituri, et, num quid sit, quod fieri jubeatur? rogantis. Terent. Eunuch. II, 3, 50: « Rogo, *numquid velit;* recte, inquit; abeo. » Alia exempla collegit *Heind.* —*Nôris nos,* velim, ut nos nôris.

8. *Hoc,* pro: eo pluris, vel pro: ob hoc.—*Pluris mihi eris,* pluris te faciam. Ed. —*Misere,* ut v. 14, pro: anxie, vehementer, ut docent Lexica: præcipue de rebus, quæ vehementer animum cruciant, et miserum reddunt; hinc v. 10, *sudor* Horatio de importuni hominis garrulitate *ad imos talos manasse* dicitur. — *Ire modo ocius,* etc. Omnia tentat Horatius ut se a molesto illo liberet; ille autem acrius urgens, aut citius, aut tardius, Horatium sequebatur. Ed. — *Dicere nescio quid puero,* in aurem servi mussitabat, quasi in hoc occupatus, nec jam garrulo aurem præbens. Ed. —*O te, Bolane, cerebri Felicem!* Alii

Digitized by Google

Felicem! aiebam tacitus. Quum quidlibet ille
Garriret; vicos, urbem laudaret; ut illi
Nil respondebam: «Misere cupis, inquit, abire,
Jam dudum video: sed nil agis: usque tenebo;
Prosequar. Hinc, quo nunc iter est tibi?» «Nil opus est te
Circumagi: quendam volo visere non tibi notum;
Trans Tiberim longe cubat is prope Cæsaris hortos.»
«Nil habeo quod agam; et non sum piger; usque sequar te.»
Demitto auriculas, ut iniquæ mentis asellus,

volunt felicem prædicari *Bolanum*, qui, ut homo *cerebrosus* (ferventioris et calidioris ingenii; cf. supr. ad Sat. I, 8, 21) garrulum, qualis hic describitur, in malam rem abire jussurus fuerat. *Bolanus*, ut notat Scholiast. Cruq. « fuit homo, qui ὀξύχολος, nullius ineptias ferebat, sed statim vel in faciem quemvis reprehendebat, vel, de eo quid sentiret, non dissimulate dicebat.» Alii autem volunt *Bolanum* civem Romanum fuisse ea tempestate notum ob insignem lenitatem ac facilitatem; unde Horatius magnam ejus patientiam sibi exoptet. Priori autem sententiæ potius assentiar, quum in hac re Noster eam patientiam ostenderit, ut non majorem optare sibi potuerit, dum contra si calidioris animi fuisset, hunc sane molestum amoviset. Ed.

12. *Quum quidlibet ille Garriret*, insulsus enim ille de quavis re multa verba profundebat. Ed.—*vicos, urb. laudaret;* quid fastidiosius quam urbis et vicorum laudes evolvere? quod eodem redit ac si de secunda aut prava aeris temperie loquatur. Ed.— *ut illi*, quum illi nihil responderem. — *Misere cupis, inquit, abire*, nota inauditam hominis tenacitatem qui, quum se molestum esse intelligat, se tamen non cessaturum profitetur. Ed.—*sed nil agis*, sed frustra.— *usque tenebo*, sc. te; constanter tibi adhærebo, nec discedam a tuo latere; ut paulo post: *Usque sequar te.* Mox pro: *Prosequar* (h. e. te comitabor) ad fidem plurimorum Codd. *Fea* exhibuit *Persequar.* Sed librarii sæpissime confuderunt *persequi* et *prosequi;* vid. *Drakenb.* ad Liv. Epit. lib. XCIX, tom. VI, p. 408.

16. *Nil opus est te Circumagi*, verba sunt Horatii: noli quæso te vexari, me prosequendo, et huc illuc frustra circum cursare mecum. Ed.— *Trans Tiberim*, Horatius locum designat remotissimum, ut iter longius hominem deterreat. Ed. — *cubat;* alii intelligunt de homine ægrotanti; nos autem simpliciter accipimus pro: manet, habitat. Ed.—*Cæsaris hortos*, quos J. Cæsar in testamento, ut narrat Suet. in Jul. c. 83, populo legaverat. — *Nil habeo quod agam*, responsio est garruli. Ed. — *usque sequar te;* ex istis garruli vocibus, jam omnis Horatio linquenda spes liberationis. Ed.

20. *Demitto auriculas*, metaphora

Digitized by Google

Quum gravius dorso subiit onus. Incipit ille:
« Si bene me novi, non Viscum pluris amicum,
Non Varium, facies: nam quis me scribere plures,
Aut citius possit versus? quis membra movere
Mollius? invideat quod et Hermogenes, ego canto. »
Interpellandi locus hic erat: « Est tibi mater,
Cognati, queis te salvo est opus? » « Haud mihi quisquam;
Omnes composui. » — Felices! Nunc ego resto.
Confice; namque instat fatum mihi triste, Sabella
Quod puero cecinit divina mota anus urna:

a bestiis sumta; Plin. Hist. Nat. XI, 37: « in omni jumentorum genere, indicia animi præferunt aures, fessis merindæ, micantes pavidis, subrectæ furentibus, *resolutæ ægris.* » territus igitur hac denunciatione garruli et exanimatus est. Ed.—*mentis iniquæ,* ægre ferens se graviorem sarcinam subiisse. Ed.— *subiit,* ultima per cæsuram producitur. Ed.

22. *Si,* hæc particula, alias quidem dubitativa, hic autem affirmativa. Ed. — *non Viscum,* alterum e duobus fratribus; in Satira sequente v. 83: « et hæc utinam Viscorum laudet uterque, » ubi Schol. Acr. « Visci duo fratres fuerunt. Pater, Vibius Viscus, quamvis et divitiis et amicitia Augusti elatus fuerat, in equestri tamen ordine perduravit, quum filios suos senatores fecisset. » — *Non Varium,* cf. supr. ad Od. I, 6, 1. — *nam quis me scrib. plures,* quanti Noster hanc facultatem faceret vide supra Sat. IV, 13 sqq. — *quis membra mov. Mollius?* quis molliore et concinniore pedum brachiorumque agitatione saltare? notum est illud Ovidii (Art. Am. I, 595): « Si vox est, canta; si *mollia* brachia, salta. » — *Hermogenes,* homines ridiculos, qualis fuit *cantor* Hermogenes Tigellius (cf. supr. ad Sat. I, 2, 3), quavis arrepta occasione poeta carpit.

26. *Interpellandi locus hic erat,* hic poterat poeta occasionem captare sermonem a garruli jactantia deflectendi ad alia; quærit igitur ex eo, quem habeat, qui ex tantis ejus virtutibus fructus capiat? matremne an cognatos? quorum multum interesse debeat, salvum et incolumem florere virum tam egregium! — *composui,* vox propria de exsequiis; simpliciter pro: amisi. — *Felices! Nunc ego resto.* Horatius ea, quæ nunc secum reputabat, inde usque ad v. 35, lectoribus aperiens, imitatur actores in Fabulis, qui aversi ab eo, quocum loquuntur, quæ secum agitant, spectatoribus aperiunt (*aparté*). Ed.

29. *Confice,* absolve quod cœpisti. — *Sabella.... anus,* apud Sabinos enim, gentem superstitiosam, uti apud Marsos, tam incantandi, quam vaticinandi ars exercebatur; hinc supr.

Digitized by Google

« Hunc neque dira venena, nec hosticus auferet ensis,
Nec laterum dolor, aut tussis, nec tarda podagra;
Garrulus hunc quando consumet cumque: loquaces,
Si sapiat, vitet, simul atque adoleverit ætas. »
Ventum erat ad Vestæ, quarta jam parte diei
Præterita; et casu tunc respondere vadato
Debebat; quod ni fecisset, perdere litem.
— Si me amas, inquit, paulum hic ades. — Inteream, si
Aut valeo stare, aut novi civilia jura;
Et propero, quo scis. — Dubius sum, quid faciam, inquit;
Tene relinquam, an rem? — Me, sodes. — Non faciam, ille;

Epod. XVII, 28 : « Sabella carmina, » de carminibus magicis. — *divina mota urna*, postquam *mota* (quassata, agitata) fuerat *urna divina*, res divinas, sortes, continens; exsiluerat autem ex mota urna sors in hanc sententiam: *Hunc* (Horatium) *neque dira venena, nec hosticus auferet ensis;* Horatius enim periculum, quod ab hostico ense ei imminebat, celeri fuga, relicta non bene parmula (Od. II, 7, 10), effugit. — *Nec laterum dolor*, πλευρῖτις, etc. *quando.... cumque*, quocumque tandem tempore id accidat, serius ocius; aliquando; ut apud Ovid. Metam. VI : « quandocumque mihi pœnas dabis. » et Trist. III : « quandocumque, precor, nostro placata parenti. » Ed.

35. *Ad Vestæ*, sc. ædem; hæc enim vox in designandis deorum templis post *ad*, addito tantum dei, de quo sermo est, nomine in genitivo, sæpe tam in græca, quam in latina lingua, præcipue apud Livium (vid. ad eum Drakenb. X, 23, §) omitti solet. — *casu*, forte. — *respondere vadato*, in judicio adesse, et respondere ei, qui illum vadatus est (petitori), sive causam agere in judicio cum eo, qui illum *vadimonium promittere*, h. e. datis vadibus (cf. Sat. I, 1, 11), se certo die in judicio adfuturum esse, polliceri jussit; *quod ni fecisset*, nisi adfuisset in judicio; *perdere litem*, sub. debebat.

38. *Si me amas*, non ad metri legem *si m' amas*, sed sine elisione *me amas*, ut infr. Sat. II, 2, 28, *num adest. — paulum hic ades*, mecum in jus veni, ut meam tua saltem præsentia causam tuearis. Ed. — *Inteream, si*, etc. Duabus ex causis se excusat Horatius, negatque se illi aliquid utilitatis præbiturum, scilicet quod nec stare queat, nec juris peritus sit. Ed. — *stare*, stare enim debebant coram judice causam suam perorantes. — *Et propero, quo scis*, et festinanter eo ad locum quem dixi. Jam se liberum putat Horatius; at tenacior alter, quam ut tam facile prædam dimittat. Ed. — *Dubius sum*, jam recipit molestus homo; cur ille litem deserere statuat, facile intelliges, si videas, quod infra dicetur, eum Mæcenatis amicitiam

Digitized by Google

Et præcedere cœpit. Ego (ut contendere durum est
Cum victore) sequor. — Mæcenas, quomodo tecum?
Hinc repetit. — Paucorum hominum, et mentis bene sanæ.
— Nemo dexterius fortuna est usus. Haberes
Magnum adjutorem, posset qui ferre secundas,
Hunc hominem velles si tradere: dispeream, ni
Summôsses omnes. — Non isto vivimus illic,

per Horatium sibi conciliare velle. Ed. — *rem*, litem, accusationem, hinc accusatus *reus* dicitur. — *Me sodes*, sc. relinque; hoc est Horatii. — *ut*, siquidem, quandoquidem. — *victore*, me pertinacia vincente. Ed. — *Mæcenas, quomodo tecum? Hinc repetit*, etc. Hunc locum, quem vario modo explicaverunt interpretes, accipio in hunc fere sensum: *Hinc repetit* (de integro incipit) garrulus: Quomodo tecum versatur Mæcenas? Horatius vero refert: Versatur sane Mæcenas cum paucis, et quidem cum hominibus, qui bene sanæ mentis, ut ipse, sunt: nam hic ante omnes sapit. Ed. Jam rursum loquitur garrulus: nemo dexterius fortuna usus est quam Mæcenas (quis enim ignorat Mæcenatem sibi Augusti amicitiam conciliasse et plurimum habere auctoritatis?) tu primas partes apud Mæcenatem agis (hoc enim ex sequentibus elici et supleri potest)! Si hunc hominem (pro: *me*, garrulus enim digitum intendit in se) commendare et tradere velles Mæcenati, haberes per me magnum adjutorem, qui secundas partes sustinere posset. Ne vivam, ni brevi omnes alios a Mæcenate per me summovisses. — Nunc respondet Horatius: Hæc se gerendi ratio, qua alter alterum pellere et submovere studet, apud nos, qui cum Mæcenate versamur, haud locum habet, uti tu opinaris, etc. — *paucorum hominum*, qui amicos suos eligit, et paucos habet. Ed.

45. *Nemo dext. fort. est usus;* ob hoc inprimis Garrulus ille Mæcenatis amicitiam sibi conciliare cupiebat, quod Mæcenas plurimum apud Augustum valeret, et amicis multum prodesse posset. Ed. — *adjutorem;* adjutor proprie in tragœdia dicebatur ille, qui actores gestu, interdum voce, quasi præcentor et modulator adjuvabat. Phæd. Lib. V, Fab. 5, v. 13: « In scena vero postquam solus constitit, Sine apparatu, nullis adjutoribus. » Ed. — *posset qui ferre secundas*, sc. partes. Inde a Sophocle tres in scenam prodire solebant actores, quorum primus *primas*, secundus *secundas* et tertius *tertias* partes ageret. Locus classicus de hac re est apud Ciceronem Divinat. in Q. Cæcilium cap. 15, ubi Asconius observat hæc: « Est persona primarum partium, quæ sæpius actu regreditur; secundarum et tertiarum, quæ minus minusque procedunt. » Sed lege, quæ Boettigerus more suo doctissime de omni hac re disputavit *Prolus. in Actor. Prim. Secund. et Tert. part. in fabul. Græcis.* Vimar. 1797.

48. *Illic*, apud Mæcenatem. — *his*

Digitized by Google

Quo tu rere, modo. Domus hac nec purior ulla est,
Nec magis his aliena malis: nil mî officit unquam,
Ditior hic, aut est quia doctior; est locus uni-
Cuique suus. — Magnum narras, vix credibile. — Atqui
Sic habet. — Accendis, quare cupiam magis illi
Proximus esse. — Velis tantummodo; quæ tua virtus,
Expugnabis. Et est, qui vinci possit; eoque
Difficiles aditus primos habet. — Haud mihi deero:
Muneribus servos corrumpam; non, hodie si
Exclusus fuero, desistam; tempora quæram;
Occurram in triviis; deducam. Nil sine magno
Vita labore dedit mortalibus. — Hæc dum agit, ecce
Fuscus Aristius occurrit, mihi carus, et illum

malis, per *mala* intelligit malas artes et machinas, quibus alter alteri insidias struit. — *nil mî officit*, non mihi nocet, non me incommodat. — *Ditior;* Mæcenas scilicet homines ex se, non ex externis commodis faciebat. Jam supra Sat. VI, 64 dixit de Mæcenate: « ...qui turpi secernis honestum, Non patre præclaro, sed vita et pectore puro. » Ed.

52. *Magnum narras;* hic stupet Garrulus nullum malis artibus locum apud Mæcenatem esse. Ed. — *Atqui Sic habet;* hæc verba sunt Horatii. Ed. — *Accendis, quare,* accendis animum narrando rem, qua (ob quam) vehementius cupiam ad eos pertinere, qui Mæcenati sunt proximi. — *Velis tantumm. quæ tua virtus, Expugnabis;* jam tibi tentandum est, et tua virtus tanta est, ut facile expugnes et impetres a Mæcenate, ut te in suorum numero accipiat. Hic ironicis laudibus irridet Garrulum poeta. Ed. — *Et est, qui vinci possit*, et est sane Mæcenas vir, qui pro mitioris animi indole vinci possit; *eoque*, et ob id ipsum, quia se facile vinci posse Mæcenas intelligit, primi aditus apud eum sunt difficiles.

56. *Haud mihi deero*, nihil relinquam intentatum; jam loquitur Garrulus. Ed. — *Non, hodie si Exclusus fuero*, se eadem in Mæcenatem pertinacia acturum esse, qua nunc Horatium detinet, profitetur. Ed. — *tempora*, nempe opportuna; *mollissima tempora fandi*, ut loquitur Virgilius Æn. IV, 293. — *deducam*, nobiliores a clientibus, vel ab iis, qui eos venerabantur, in forum deduci et reduci solebant. — *Nil sine magno*, etc. lepide garrulus in re levissima usus est sententia *gravissima*, ad quam proxime accedit præceptum illud vitæ, quod tribuitur Epicharmo in Xenoph. Memorab. II, 1: « τῶν πόνων Πωλοῦσιν ἡμῖν πάντα τἀγαθ' οἱ θεοί. »

61. *Fuscus Aristius*, grammaticus, poeta et orator, Horatio, ut præcipue

Digitized by Google

Qui pulchre nosset. Consistimus : « Unde venis? et
Quo tendis? » rogat, et respondet. Vellere cœpi,
Et prensare manu lentissima brachia, nutans,
Distorquens oculos, ut me eriperet. Male salsus
Ridens dissimulare; meum jecur urere bilis.
Certe nescio quid secreto velle loqui te
Aiebas mecum. — Memini bene; sed meliore
Tempore dicam : hodie tricesima sabbata : vin' tu
Curtis Judæis oppedere? — Nulla mihi, inquam,

ex Epist. I, 10, et Od. I, 22 apparet, familiarissimus. — *Unde venis*, etc. Fuscus Aristius me alloquitur rogans : unde venis et quo tendis? At ipse respondet, h. e. mihi eadem roganti, ut in salutando fit. Ed. — *Vellere*, graviter pro : quatere. — *lentissima brachia*, suaviter homini, qui, dum vellicatur, se id non sentire simulat, *brachia* tribuuntur *lentissima*, h. e. omni sensu carentia. — *nutans, dist. oculos*, signa sunt hominis loqui non volentis, ut ab altero intelligatur. Ed.

65. *Male*, importuno tempore, ut infr. Sat. II, 1, 20 : « male palpari. » — *dissimulare*, ita se gerere, quasi non intelligeret. Ed.

66. *Meum jecur urere bilis*; ira, ut supr. Od. I, 13, 4, (« Fervens difficili bile tumet jecur ») sedem suam in jecore habere dicitur.

67. *Certe nesc. quid*, etc. Horatius tentat Aristium ad id inducere, ut alicujus secreti colloquii necessitatem simulet. Ed. — *Memini bene*, Aristius Horatium minime liberare volens, eum lepidissime vexat. Ed. — *meliore Tempore*, opportuniore; nam hodie sunt *sabbata tricesima*, quibus apud Judæos seria tractari non licet; loquitur autem hæc Fuscus, quasi ea, quæ religiosa essent Judæis, haud contemnenda esse existimaret; de *tricesimis sabbatis Judæorum* diversa plane tradunt tam veteres Scholiastæ, quam recentiores Interpretes. Optimum putat Gesnerus, sequi Scaligerum de Emend. Temp. 3, p. 309, et Selden. de I. N. 3, 15, et intelligere tricesimum Lunaris Mensis diem, ad præcepta quædam a Judæis celebratum. Alii autem volunt tricesimum illud sabbatum ipsum Pascha esse, quod hoc anno incideret in medium Aprilem : a Septembre autem, unde suum annum Judæi ducebant, usque ad Aprilem medium numerantur triginta Hebdomadæ. Ed. — Sed quæcumque tandem hæc *tricesima* Judæorum *sabbata* fuerint, certe, diem festum per ea designari, quo nihil rei Judæis gerere liceret, ex hoc ipso loco apparet. — *Judæis oppedere*, susque deque habere, quæ Judæis religiosa sunt. Vocem, qualis est *oppedere*, plebi relinquere debebat Horatius; sed voluit imitari Aristophanem Plut. 618, et Pac. 547. — *Curtis*, pellicula imminutis, recutitis, verpis. — *Nulla mihi, Religio est*; mihi quidem ejusmodi

Digitized by Google

Relligio est. — At mî : sum paulo infirmior, unus
Multorum. Ignosces; alias loquar. — Hunccine solem
Tam nigrum surrexe mihi! Fugit improbus, ac me
Sub cultro linquit. Casu venit obvius illi
Adversarius, et : Quo tu turpissime? magna
Inclamat voce, et, Licet antestari? Ego vero
Oppono auriculam. Rapit in jus; clamor utrinque;
Undique concursus. Sic me servavit Apollo.

res religiosa haud curæ est, ait Horatius.—*paulo infirmior,* paulo superstitiosior, quasi ab infirmo animo repetenda sit superstitio. Hæc sunt Aristii.—*Unus Multorum,* ut ceteri e vulgo. Ed.

73. *Solem tam nigrum,* diem tam infaustum. Exclamatio est Horatii in se mussitantis. — *surrexe,* pro : surrexisse. Ed.—*me Sub cultro linquit,* tanquam mactandam hostiam ; inepti enim homines importuna garrulitate *enecare,* vel *occidere* aliquem dicuntur.—*Casu,* forte, ut supra v. 36. Ed. — *illi,* garrulo. Ed. — *Adversarius,* petitor, qui garrulum vadatus erat.— *Licet antestari?* licetne te testem facere? his verbis petitor se convertit ad Horatium. Schol. Acr. « antestari i. e. te teste uti (te testem facere Schol. Cruq.). Nam hæc erat consuetudo : si quis vadato non paruisset, adversarius aliquem de præsentibus antestabatur, h. e. tangebat ejus aurem et dicebat : licetne antestari? si respondisset ille : licet, tunc injiciebat vadatus manum in eum, qui non paruisset, et ducebat in judicium ; aliter si injecisset manum, injuriarum poterat accusari. » — *Oppono auriculam.* Schol. Acr. « solebant (*qui litem alicui intendebant*) testium aures tenere, et ita dicere : memento, quod tu mihi in illa causa testis eris ; quod est *antestari.* » Plinius lib. XI, cap. 103, § 2 : « Est in aure ima memoriæ locus, quem tangentes antestamur. » — *Apollo,* dicitur hic Horatium servasse, ut deus averruncus, ἀλεξίκακος. Poterat autem Horatius, ut poeta, a deo, in cujus præsidio erat, auxilium exspectare. Heindorfius comparat Hom. Iliad. XX, 443 : τὸν δ' (Hectorem cum Achille pugnantem) ἐξήρπαξεν Ἀπόλλων ῥεῖα μάλ' ὥστε θεὸς, ἐκάλυψε δ' ἄρ' ἠέρι πολλῇ.

Analysis. Tempore quo vivebat Horatius, iis hominibus Roma plena erat, qui vel ingeniosos, vel artibus dotibusque jucundis ornatos agerent. Tigellii scilicet et aliorum, qui per Cæsaris gratiam ditissimi facti erant, non oblîti, ac præsertim quanta in æstimatione apud Mæcenatem et Augustum ipsum Virgilius, Varius et Horatius et nonnulli alii essent, videntes, multi homines

Digitized by Google

vani et insulsi eamdem fortunam sibi debitam esse ac facilem fore putabant, dummodo aliquem ad Mæcenatem aditum haberent, seque cognoscendos præbere possent. Quorum unum hic describere videtur Horatius. Fingit scilicet se ambulantem in garrulum quemdam ac importunum incidisse; qui, Nostro fere ignotus, ipso tamen prorsus familiariter utitur. Eum Horatius variis mille modis amovere tentat; garrulus autem poetam tenaciter se comitaturum profitetur, et semetipsum iterum atque iterum laudibus extollens, ad Mæcenatis amicitiam sibi conciliandam poscit Horatii auxilium. Tandem fortuito quodam eventu expeditur ac liberatur Horatius.—Quicumque ingenii exculti est, hanc Satiram, seu ad inventionem, seu ad tractationem attenderit, perfectissimum opus esse judicaverit. Adeo enim naturam ipsam fideliter imitatus est poeta; adeo exquisite singula tabulæ suæ delineamenta elegit, omissa omni affectatione; adeo vividis ac nitidis coloribus imaginem omnem adornavit, ut garruli importunique hominis indolem, alias fastidiosam, lepidissime ac ingeniosissime offerat, narrationemque comicam Menandro ac nostro Molierio dignam expresserit. Ed.

SATIRA X.

Horatius, dum se defendit contra eos, qui ipsum supra in Sat. IV, inique et invidiose de Lucilii Satiris judicasse criminabantur, manet in lata de Lucilio sententia, ingenue simul laudans ea, quæ jure meritoque in Lucilii Satiris laudanda sint.

« Lucili, quam sis mendosus, teste Catone,
« Defensore tuo, pervincam, qui male factos

1. *Lucili, quam sis mendosus*, etc. Octo versus, huic Satiræ præfixos, ideo præpositis signis distinximus, quia, utrum Horatius eorum auctor fuerit, necne, adhuc sub judice lis est. Exhibentur quidem hi versus tam in Edit. Princ. bibliothec. Vatic. quam in aliis vetustis editt. Laudinus, nulla vett. editt. auctoritatis ratione habita, primus eos in edit. Flor. 1482, e textu in subjectas animadversiones relegavit. Idem fecerunt deinde alii. Quid? quod octo illi versus a quibusdam, ut a Bentleio, silentio plane prætermissi sunt. At post Bentleium exstitit Gesnerus, qui versus illos, ut dignos Horatio, in sedem, qua pulsi sunt, postliminio restituendos arbitraretur, ita tamen, ut literarum forma a ceteris distinguerentur. Hunc

Digitized by Google

« Emendare parat versus. Hoc lenius ille,
« Quo melior vir adest; longe subtilior illo,
« Qui multum puer et loris et funibus udis
« Exornatus, ut esset opem qui ferre poetis
« Antiquis posset contra fastidia nostra,
« Grammaticorum equitum doctissimus. Ut redeam illuc,»
Nempe incomposito dixi pede currere versus
Lucilî: quis tam Lucilî fautor inepte est,
Ut non hoc fateatur? At idem, quod sale multo

ego secutus, eosdem versus quibusdam signis notatos huic Satiræ præfigendos curavi, et quidem ob has quatuor rationes: 1° quia illi non tantum in editionibus antiquissimis, sed etiam in multis Codd. apud Feam exhibentur; 2° quia ab Horatii scribendi ratione non abhorrent; 3° quia sententia in iis expressa carminis argumento respondet; 4° quia prima hujus Satiræ vox *Nempe*, nisi sententiam aliquam suppleveris, quo referatur, non habet; at habet, si illi versus præmittantur, hoc fere nexu: « Lucilium poetam *mendosum* esse, vel inde probabo, quod Cato, Lucilii defensor, malos ab eo factos versus emendare parat; qui quidem, quo vir est melior, eo lenius et indulgentius de malis Lucilii carminibus judicat; est autem Cato judex in hac re multo subtilior illo equite, qui loris et funibus (h. e. vi) adactus est ad doctrinæ studium, ut evaderet grammaticus, qui antiquos poetas contra reprehensores defenderet. Sed ut redeam *illuc*, scilicet ad *mendosum* poetam Lucilium » *Nempe incomposito dixi*, etc.—*teste Catone*, Catone, ut videtur, Uticensi.—*qui malefactos Emendare parat versus*, ex hac ipsa Catonis emendatione constabat mendosa esse Lucilii carmina. Ed.—*Hoc lenius*, facit hoc, Lucilium carpit lenius, minus acriter, quo vir est melior. Ed.—*subtilior illo*, acutior illo equite, qui, etc. Subtiliorem vocat Horatius Catonem, quod non omnia laudet ac defendat apud Lucilium, ut eques ille. Ed.—*Exornatus*, armatus, instructus quasi armis. Funes *udi* dicuntur, quod madefiebant, ut inflexu faciliores forent. Ed.—*Grammaticorum equitum doctissimus*, ironice dictum. Ed.

1. *Incomposito*, haud ad rhythmum et numeros composito; moleste enim incedebant versus Lucilii; hinc supr. Sat. IV, 8: « durus componere versus. »

2. *Quis tam Lucilî fautor inepte est*, quis fautor Lucilii tam inepto modo est ejus fautor? Exempla quidem ad hanc loquendi rationem stabiliendam afferri possunt, v. c. Ovid. Amor. III, 5, 15: « Taurus erat comes huic, feliciter ille maritus » (pro: felix). Alii volunt scripsisse ad vulgarem loquendi rationem Horatium: « Quis tam Lucili fautor *ineptus?* » — *At idem*, etc. At eumdem Lucilium laudavi, quod Romanorum

Digitized by Google

Urbem defricuit, charta laudatur eadem.
Nec tamen hoc tribuens, dederim quoque cetera; nam sic
Et Laberî mimos, ut pulchra poemata, mirer.
Ergo non satis est, risu diducere rictum
Auditoris; et est quædam tamen hic quoque virtus:
Est brevitate opus, ut currat sententia; neu se
Impediat verbis lassas onerantibus aures;
Et sermone opus est modo tristi, sæpe jocoso,
Defendente vicem modo rhetoris, atque poetæ,
Interdum urbani, parcentis viribus, atque

vitia insectatus est. Ed. —*defricuit*, fricuit, lavit, detersit. Ed. — *charta eadem*, in eodem carmine, scilicet in quarta Satira.

8. *Nec tamen hoc tribuens*, quamvis autem illum eo nomine laudandum putem, quod salibus vitia insectatus sit, non tamen ceteras illi dotes concesserim, quas inesse optimis poetis oporteat. Ed. — *nam sic Et Laberi*, etc. Nam sic agens, h. e. si Lucilium, eam ob causam quod sit apprime dicax, perfectum poetam putarem, idem facerem ac si non minus mirarer Laberi mimos, quam pulchra poemata. Ed.— *Laberî*; Decimus Laberius sub Julio Cæsare floruit, scriptor facetus ille quidem, at parum accuratus in scribendo. Ed.—Sueton. Cæs. 39: « Ludis, Decimus Laberius, eques Romanus, mimum suum egit; donatusque quingentis sestertiis et annulo aureo. » Macrob. II, 7, et VII, 3.— *mimos. Mimi*, poemata lascivioris et petulantioris joci plena, vel licentius lasciviam imitantia.

7. *Ergo non satis est*, jamjam enumeraturus est poeta quibus dotibus careat Lucilius. Ed.— *et est quædam hic quoque virtus*, et in hoc quoque, scilicet in movendo risu, est facultas aliqua laude digna. Ed.—*neu se Imp. verbis lassas onerant. aures*, neu impedita et molesta reddatur nimia verborum aures fatigantium abundantia. — *Et serm. opus est modo tristi, sæpe jocoso;* scilicet miscenda sunt tristia, h. e. severa, jocosis. Bolæus noster, Art. Poet. cant. I: « Heureux qui dans ses vers sait d'une voix légère Passer du grave au doux, du plaisant au sévère. » Ed.—*Defendente vicem modo*, sustinente modo partes rhetoris, id est, sermone ita comparato, ut modo partes rhetoris et poetæ scriptor agat, modo urbani hominis personam, etc. oratio satirici poetæ talis esse debet, ut nunc voces rhetoris agere videatur, nimirum ornate, splendide, ac vehementer dicendo; nunc obire munus poetæ, id est jocando, fingendo, delicias quasdam verborum et amœnitatem, quibus poetæ gaudent, adhibendo. Ed. — *Interdum urbani*, hominis ad urbanitatem, h. e. ad elegantiores mores, ad comitatem et fa-

Digitized by Google

Extenuantis eas consulto. Ridiculum acri
Fortius et melius magnas plerumque secat res. 15
Illi, scripta quibus comœdia prisca viris est,
Hoc stabant, hoc sunt imitandi, quos neque pulcher
Hermogenes unquam legit, neque simius iste,
Nil præter Calvum et doctus cantare Catullum.

cilitatem compositi (de voce *urbanus* et *urbanitas* vid. Ernest. in Clav. Cic.); is igitur interdum *suis viribus parcit*, h. e. non omnes vires suas, omnem vim suam adhibet, et *consulto extenuat*, temperat eam; non omnia carpit quæ posset, et aliquid de satiræ severitate remittendo, ridet potius quam mordet ac lacerat. Quam delicate ac exquisite hæc præcepta exemplo suo edocuerit ipse Horatius, cuivis in promptu est. Ed. — *Ridiculum acri Fortius et melius*, etc. Scilicet jocosa ratio sæpissime plus agit, quam gravissimæ reprehensiones, et majorem vim habet, quam longa argumenta. Unde lib. II, Sat. 1, v. ultimo : « solventur risu tabulæ; tu missus abibis. » Ed.— *secat*, dirimit, ut infr. Epist. I, 16, 42 : « Quo multas magnæque secentur judice lites? » Sensus : in rebus magni momenti dirimendis plus sæpe jocosis, quam salse dictis efficitur. *Plerumque*, haud raro, sæpe, ut in Epist. ad Pis. 14 et 95.

16. *Illi, quibus... viris*, pro vulgari : illi viri, scriptores Græci, quibus; plane, ut supra Sat. I, 4, 2 : « Atque alii, quorum... virorum, » pro : atque alii viri, quorum; ubi vide de prisca comœdia, pag. 44. Ed.

17. *Hoc stabant*, in hac re sibi constabent, has partes constanter tuebantur; nisi quis explicare malit : hac re placebant. Sic Schol. Acr. « eo ipso placebant, quod ridicula eo magis morderent, quam si acria protulissent. » Scilicet *fabula stare* dicitur, si ab initio usque ad finem plausum fert, vid. Heind. ad h. l. — *pulcher*, fortasse quia Hermogenes Tigellius *pulcher* videri volebat, vel pulchri speciem ridicule affectabat; serio certe Horatius non *pulchrum* appellavit Hermogenem. — *simius*, per *simium* poeta designasse videtur aut modulatorem, qui simii instar ridicule imitabatur Hermogenem, aut alium quemdam, pusilla et fœda forma insignem; posteriorem explicationem confirmat Schol. Cruq. « notat M. quemdam Demetrium, quem simium nominat propter deformitatem et brevem staturam; erat autem ὀρχηστοδιδάσκαλος, h. e. modulator, histrio, actor fabularum; » sic pusillus et deformis homo apud Græcos πίθηκος; exempla dedit Heindorfius ad h. l. de priore explicatione, ubi *simius* vel *simia* de ridiculo imitatore dicitur, exempla collegit Forcellinus s. v. *simia*. — *Nil præter Calvum et doctus cant. Catullum*, nulla alia nisi Calvi et Catulli carmina decantare doctus. — *C. Licinius Calvus* nobilis fuit poeta, qui carmina jocosa et amatoria composuit. Ovidius quoque in Trist. II, 431, *Calvum* parem et similem *Ca-*

Digitized by Google

« At magnum fecit, quod verbis græca latinis
Miscuit. » O seri studiorum! quine putetis
Difficile et mirum, Rhodio quod Pitholeonti
Contigit? « At sermo lingua concinnus utraque
Suavior, ut Chio nota si commixta Falerni est. »
Quum versus facias? teipsum percontor: an et quum
Dura tibi peragenda rei sit causa Petillî?
Scilicet oblitus patriæque patrisque Latini,

tullo facit. Modulatores igitur illi, *Hermogenes* et *simius iste* non carmina graviora et severa, sed leviora tantum et jocosa legere, ediscere et decantare solebant.

20. *At magnum fecit*, etc. At Lucilius, quod verba græca latinis immiscuit, fecit aliquid magno poeta dignum; objectio est Lucilium defendentis. Ed. — *O seri studior.* O vos leviter adhuc doctrinæ studiis, ad quæ sero accessistis (ὀψιμαθεῖς), imbuti! hi vero suam scientiam insolentius jactasse videntur. Cicero ad Pætum, Epist. IX, 20: « ὀψιμαθεῖς autem homines, scis quam insolentes sunt. » Ed. — *quine putetis*, vosne putetis, etc. Exempla de hoc loquendi usu suppeditavit Heindorfius. — *Contigit*, sc. facere *Rhodio Pitholeonti*, Vet. Schol. « Dicitur Pitholeon epigrammata ridicula scripsisse, in quibus Græca verba mixta erant Latinis. »

23. *At sermo*, etc. Altera objectio est: at sermo suavior est, in quo concinne græca et latina verba misceantur. Ed. — *concinnus*, concinnatus, concinne compositus. — *Chio nota si commixta Falerni est;* Chium vinum levitate, Falernum autem austeritate præstabat; itaque vulgo alterum altero temperabatur. Ed. — *nota Falerni*, amphora vini Falerni, nota scilicet amphoræ vel cado addita docebat, ubi et sub quibus consulibus, h. e. quo anno vinum, in iis conditum, natum esset. Cf. supr. ad Od. II, 38. — *Quum versus facias*, etc. Sensus: num, quæso, tum, quum versus facias, suavius esse existimas, verba græca latinis admiscere, an (*et*) etiam tum, quum gravis causa accusati Petillii (pro qua vis causa) tibi peroranda sit? De Petillio, furti, quo coronam auream de capite Jovis Capitolini (unde ille *Capitolinus* dictus est) sustulisse dicitur, accusato et ab judicibus in gratiam Augusti, cujus amicus erat, absoluto, vid. supr. ad Sat. I, 4, 99, ejus causa dicitur *dura*, quia non facile ab insimulato crimine purgari poterat.

27. Sensus et nexus: Scilicet (ut *videlicet* cum irrisione, ubi contrarium intelligendum est) quum Pedius Publicola atque Corvinus causas in judicio *exsudet*, cum sudore agat, omni virium contentione dicat, tu, oblitus patriæ, patrisque Latini, cujus priscum nomen latinam linguam commendat, malis eos verba ex peregrina (*foris*) lingua petita patriæ linguæ verbis intermiscere, sicuti Canusini

Digitized by Google

Quum Pedius causas exsudet Publicola, atque
Corvinus, patriis intermiscere petita
Verba foris malis, Canusini more bilinguis?
Atqui, ego quum Græcos facerem, natus mare citra,
Versiculos, vetuit me tali voce Quirinus,
Post mediam noctem visus, quum somnia vera:
« In silvam non ligna feras insanius, ac si
Magnas Græcorum malis implere catervas. »
Turgidus Alpinus jugulat dum Memnona, dumque

in Appulia linguam græcam et latinam inter se commiscere solent. Lambinus *Latine* legit. Ed. — *Pedius Publicola... atque Corvin.* Schol. Cruq. « Fuerunt hi duo, Pedius Publicola et Messala Corvinus, oratores Romæ valde insignes. » *Pedius* quidem *Publicola* videtur Gesnero et aliis filius fuisse Q. Pedii illius, qui anno 710 cum Octaviano consul *legem Pediam* de *percussoribus Cæsaris* tulit. Clarior *Pedio* est *M. Valerius Corvinus Messala*, quem Quintilianus quoque X, 1, ad optimos Romanorum oratores refert; et hinc Horatius eumdem infr. Art. Poet. 370, *disertum* vocat. — *Canusini more biling.* Canusium erat oppidum Italiæ, a Græcis in Appulia conditum: unde in eo græca lingua et latina promiscue cives utebantur; hinc *bilingues* vocat. Ed.

31. *Atqui, ego quum Græcos*, etc. Probat poeta non esse Græcas voces latinis commiscendas, quia vetuit eum in somnis Romulus ne omnino Græcos versus faceret, quod certe minus ridiculum erat, quam versus semigræcos et semilatinos condere. Ed. — *natus mare citra*, non trans, vel ultra, sed citra mare, h. e. non in Græcia transmarina, sed in Italia natus; cf. Sat. II, 8, 47. — *vetuit me*, sc. versus græcos facere. — *Quirinus*, nota non sine delectu positum hic Quirinum, quum ille deus, Romanorum pater, Romanam linguam a suis posteris non relinqui, potissimum curare deberet. Ed. — *Quum somnia vera*, de opinione veterum, vera esse post mediam noctem somnia, exempla congessit Ciofanus ad Ovid. Heroid. XIX, 195. — *In silvam non ligna feras insanius*, tam insanum est ferre ligna in silvam, quam addere poetam innumeris poetis Græcis. *In silvam ligna ferre*, proverbium de iis qui res eo deferunt, ubi jam plurimæ, ac quantum satis sunt; sic apud nos: « porter de l'eau à la rivière. » Ed.

36. Sic, supplendo aliquid, nectantur ideæ: huic Quirini præcepto parens, ego non jam versiculos Græcos feci, nec aliud genus tractavi, in quo alii eminerent, sed Satiram elegi, quam frustra expertus erat Varro, et in qua non perfectus erat Lucilius, ita ut facilior via mihi foret. Ed. — *Turgidus Alpin. jug. dum Memn.* Dum tumidus poeta, Alpinus, Memnona ab Achille in pugna cæsum de-

Digitized by Google

Distringit Rhæci luteum caput; hæc ego ludo,
Quæ nec in æde sonent certantia, judice Tarpa;
Nec redeant iterum atque iterum spectanda theatris.
Arguta meretrice potes, Davoque Chremeta
Eludente senem, comis garrire libellos,
Unus vivorum, Fundani; Pollio regum

scribit, sed inepta descriptione eum de integro quasi cædit, vel jugulat. — Eo fere redit, quod ad h. l. observavit vetus Scholiastes. — Scilicet homo ineptus ineptiis suis alterum *jugulare, occidere, enecare* dicitur. — *Distringit Rhæci luteum caput*, idemque describit Jovis pugnam in gigantes, ac distringit, id est distractum canit a Jove caput Rhæci, unius e gigantibus, e luto et terra natis. Multi autem pro his verbis legi volunt: *diffingit Rheni luteum caput.* Id est, describit ac fingit, seu potius deformat et obscurat (id enim est, diffingere) frontem limosam fluminis Rheni; quam quidem lectionem et explicationem spectat. Schol. Acr. « Non quod luteum caput habet Rhenus, sed quod luteum facit (diffingit) ipse describendo male. » *Caput* quidem esset pro fonte. Ed. — *hæc ego ludo*, ludo, scribo hæc, id est, tenuia ista carmina, non digna quæ recitentur magna voce, ac sonent in *æde*, in templo Apollinis, et certent cum ceterorum poetarum carminibus. In templum enim Apollinis conveniebant poetæ, et recitabantur carmina. Ed. — *judice Tarpa.* Schol. Cruq. « Metius (sive Mæcius) Tarpa fuit judex criticus, auditor assiduus poematum et poetarum, in æde Apollinis seu Musarum, quo convenire poetæ solebant, suaque scripta recitare, quæ, nisi Tarpa aut alio critico probarentur, in scenam non deferebantur. » De eo Art. Poet. v. 387. — *Nec redeant*, etc. Id est, non scribo tragœdias. Quæ placent sæpius in theatris eduntur. Ed.

40. *Arguta meretrice*, etc. Sensus: Tu, Fundani, qui inter comœdiarum scriptores, qui nunc vivunt, unicus et præstantissimus es, potes comœdias scribere, in quibus astuta meretrix et servus Davus, fraude dominum suum Chremetem circumveniens, garrientes inducuntur. *Argutus*, callidus, astutus, ut infr. Epist. I, 14, 42: « argutus calo. » — *Eludente*, fraude senem ludente; *eludere* proprie dicitur de gladiatoribus, ubi alter alterius ictum corporis declinatione effugit. — *comis garrire libellos*, suaviter pro: libellos conficere comiter, in quibus personæ garrientes inducuntur. — *Unus*, vel solus et primus viventium; vel præstantissimus in eo, quod sibi sumsit, scribendi genere. Sic infr. Epist. II, 3, 32: « unus faber, » in uno fabrilis artis genere præstantissimus. De *Fundanio*, ut insigni comœdiarum scriptore, aliorum testimonia desunt; mentio ejus quoque fit infr. Sat. II, 8, 19. Ad amicos suos *Fundanium* refert Cic. ad Quint. Fr. I, 2, 3.

42. *Pollio*, nobilissimus tragœdiarum scriptor, de quo cf. supr. Od. II,

Digitized by Google

Facta canit, pede ter percusso; forte epos acer,
Ut nemo, Varius ducit; molle atque facetum
Virgilio annuerunt gaudentes rure Camœnæ.
Hoc erat, experto frustra Varrone Atacino,
Atque quibusdam aliis, melius quod scribere possem,
Inventore minor: neque ego illi detrahere ausim
Hærentem capiti multa cum laude coronam.
At dixi fluere hunc lutulentum, sæpe ferentem

1, 9, et Virgil. Eclog. VIII, 10. Accurate de hoc viro summo, et de rebus ab eo gestis scriptisque præter Voss. ad Eclog. III, 8, exposuit Wetzelius in Indic. Nom. s. v. *Pollio.* — *pede ter percusso,* versibus trimętris, quorum cæsuræ pedis ter percussi ictu servari docentur. Schol. Cruq. « i. e. ter dimenso, nam tragœdia trimetris versibus fere texitur. » Schol. Acr. « i. e. trimetro iambico, quoniam tres cæsuras habet. » — *Varius;* de *Vario,* poeta epico et tragico, Horatii et Virgilii amico, cf. supr. ad Od. I, 6, 1, et Voss. ad Virg. Eclog. IX, 35. — *forte,* plenum spiritus, quo agitatur et exsurgit poeta epicus; hinc Varius dicitur *acer;* pro *ducit* scripsit fortasse poeta *dicit,* nam *carmen ducere* vel *deducere* de carmine tenui, ut Epist. II, 1, 225: « tenui deducta poemata filo, » translatum a lana, quæ in tenuia fila ducitur vel deducitur; at *dicere* (λέγειν) de carmine epico vel sublimi, ut Carm. Sæc. v. 8, et sexcenties alibi. — *molle,* quod molliore rerum rusticarum descriptione lectorum animos demulcet. — *facetum,* quod concinnitate, elegantia et suavitate delectat. Quintil. lib. VI, c. 3: « *Facetum* quoque non tantum circa ridicula opinor consistere. Neque enim diceret Horatius *facetum* carminis genus natura concessum esse Virgilio. Decoris hanc magis et excultæ cujusdam elegantiæ appellationem puto. » Ed. — *annuerunt,* hujus verbi, ad versus mensuram, secunda et tertia syllaba in unum coalescunt hoc modo: *annverunt.* Ed. — *gaudentes rure Cam.* Virgilius Bucolica tunc tantum, forte Georgica, sed nondum Æneida, ediderat. Ed.

46. *Hoc erat,* etc. Horatius dixit in v. 37: « hæc ego ludo, » h. e. ego scribo Satiras; et nunc addit: *Hoc erat,* etc. hoc scribendi genus satiricum erat, in quo ego melius Varrone Atacino, frustra id experto, et quibusdam aliis versari possem. *P. Terentius Varro,* Narbonensis, a fluvio Atace (Aude) *Atacinus* appellatus, fuit quidem poeta bonus, sed in scribendi genere satirico *infelix* (ut loquitur Noster infr. Art. Poet. 34). — *Inventore minor,* postponendus tamen Satiræ inventori, Lucilio.

50. *At dixi fluere hunc lutul. sæpe ferentem,* etc. At dixi, sæpe hunc fluere lutulentum, *ferentem* (secum vehentem, *trahentem,* ut loquitur Horat. v. 70, accommodate ad eum,

Digitized by Google

Plura quidem tollenda relinquendis. Age quæso,
Tu nihil in magno doctus reprêndis Homero?
Nil comis Tragici mutat Lucilius Accî?
Non ridet versus Ennî gravitate minores,
Quum de se loquitur, non ut majore reprensis? 55
Quid vetat et nosmet Lucilî scripta legentes,

qui *lutulentus fluere* dicitur) *quidem* utique, quæ *tollenda*, i. e. sumenda et retinenda sint, magis quam *relinquenda*, i. e. negligenda et rejicienda: male Doëring. et alii hunc locum interpretantur: cf. supr. ad Sat. I, 4, 11. Ed.—*Age quæso*, etc. Sensus: Tune, qui docte de poetarum pretio judicare didicisti, nihil in magno Homero reprehendis? *Comisne* (cum irrisione ita appellatur) Lucilius nihil in Tragico Accio mutat? (h. e. mutandum censet, reprehendit?) nonne Ennii versus, quibus deest gravitas, ridet?—*comis*, in v. 65, addit *urbanus*; fortasse vocabatur ita ab iis, qui eum defendebant.—*Accius*, Accius, poeta tragicus, post Pacuvium floruit; plures tragœdias scripsit, quarum fragmenta tantum exstant. In tanto honore fuit, ut infr. Epist. II, 1, 56: « famam alti senis (h. e. Sophoclis) auferre » dicatur.—*gravitate minores*; Ennii versus graves ac austeri, sæpe etiam turgidi et ampullati erant, quosdam etiam reperias ceterorum gravitate indignos, leviores ac fere ridiculos. Ed. — *Quum de se loquitur*, etc. Vulgo explicant hunc versum: et tamen loquitur de se, non ut de homine, qui major sit iis quos reprehendit, non se putat præstantiorem Ennio, Accio et aliis quos carpit. Alius autem ille sensus est: quum de se ipso loquitur Lucilius, nonne loquitur ut de homine, qui major sit iis quos reprehendit? nonne videtur se aliis præferre? quæ posterior explicatio præcedentis vers. sensui apprime accommodata et non contemnenda mihi videtur. Ed.

56. *Quid vetat*, etc. Explicant et nos quærere possumus, an Lucilius versus duros et minus pexos faciat propter sui ingenii sterilitatem, vel propter rerum, quas tractavit, difficultatem. At si quis hoc tantum contentus sit, si ut aliquid in hexametrum redigatur, amet, delectetur, gaudeat scripsisse, etc. alii autem pro *at* in v. 69, legentes *ac*, sic intelligunt: Quodsi igitur optimi quique scriptores obnoxii sunt reprehensioni, cur non mihi quoque liceat quærere, num Lucilio ingenium vel difficilis materies denegarit versiculos, elegantiores scilicet (*magis factos*) et mollius fluentes, quam si quis, ut Lucilius (hoc tantum contentus, aliquid redigere posse in hexametrum) ducentos versus ante cœnam, et totidem post cœnam deproperasse sibi placeat. Nonnulli etiam volunt aptiorem et simpliciorem fieri hujus loci sententiam, si ea constituatur sic: Quidni et ego, quum negligentius scriptos Lucilii versus lego, quæram, utrum ingenium magis, vel rerum, quas sibi tractandas sumsit,

Digitized by Google

Quærere num illius, num rerum dura negarit
Versiculos natura magis factos et euntes
Mollius, ac si quis, pedibus quid claudere senis
Hoc tantum contentus amet, scripsisse ducentos
Ante cibum versus, totidem cœnatus! Etrusci
Quale fuit Cassî rapido ferventius amni
Ingenium, capsis quem fama est esse librisque
Ambustum propriis. Fuerit Lucilius, inquam,

difficultas ei denegaverit versus elegantes et mollius fluentes, an *festinatio*; nam in verbis *si quis*, etc. usque ad *cœnatus*, nihil, nisi *festinatio* expressa est. Exibit autem hæc sententia, si in v. 59, pro *ac si*, levissima mutatione *an si* posueris. Sic Horatius (ut supr. Sat. 4, ubi dicit v. 9, 10: « Nam fuit hoc vitiosus, in hora sæpe ducentos, Ut magnum, versus dictabat, stans pede in uno, » et v. 12: « piger scribendi ferre laborem ») omnia vitia Lucilii versibus exprobranda unice a summa ejus festinatione, incuria et negligentia repetit. *Num — an* pro *utrum — an* respondent sibi ut Sat. II, 3, 50: « Num furis, an prudens ludis me, obscura canendo? » et sic sæpe. — *illius natura*, ingenii vires, facultates. — *rerum dura natura*, rerum scribendarum difficilior materies, sive argumentum, non sine intentiore et molestiore studio tractandum. — *factos*, sc. arte elaboratos, expolitos; Cic. de Orat. III, 48: « oratio polita atque facta quodammodo; » cf. Ernest. in Clav. Cic. s. v. *factus*. — *pedibus quid claudere senis*, concludere aliquid pedibus sex; vid. supr. Sat. IV, v. 39: « neque enim concludere versum Dixeris esse satis. » Ed.

61. *Etrusci Quale fuit Cassî*, Cassius Etruscus, quia pariter, ut Lucilius, brevi temporis spatio ingentem versuum numerum temere fundere solebat, poeta fuit vitiosus; at infra Epist. I, 4, 3, ut poeta egregius laudatur *Cassius Parmensis*. Attamen præter Scholiast. Cruq. fuerunt, qui per Cassium Etruscum et Parmensem unum eumdemque designari contenderent; cf. Ruhnken. ad Vellei. II, 88. Sed mihi Horatius addita hic voce *Etruscus*, et infr. *Parmensis* data opera duos Cassios inter se distinxisse videtur; quicumque tandem ille *Etruscus* fuerit, satis notus est *Cassius Parmensis*, non tantum ut poeta tragicus, sed etiam ut Cæsaris interfectorum unus. — *ferventius*, ut supr. Od. IV, 2, 7, de Pindaro: « fervet immensusque ruit. » Ed. — *capsis quem fama est*, etc. Ad ingentem librorum, quos Cassius scripserit, copiam designandam ejus rogo exstruendo ligni loco ipsius libri librorumque receptacula adhibita esse dicuntur; *ambustum* pro *combustum*, nisi poeta rem nimis auctam proprio vocis *amburere* usu paulum minuere voluit.

64. *Fuerit Lucilius*, etc. Sensus: Concedam, Lucilium poetam esse comem et urbanum, et limatiorem adeo

Digitized by Google

Comis et urbanus; fuerit limatior idem,
Quam rudis et Græcis intacti carminis auctor,
Quamque poetarum seniorum turba: sed ille,
Si foret hoc nostrum fato delatus in ævum,
Detereret sibi multa; recideret omne, quod ultra
Perfectum traheretur; et in versu faciendo
Sæpe caput scaberet, vivos et roderet ungues.
Sæpe stilum vertas, iterum, quæ digna legi sint,
Scripturus; neque, te ut miretur turba, labores,

Ennio, et aliis scriptoribus antiquioribus, sed Lucilius ipse si nostra ætate viveret, multa sibi detereret atque recideret, nec brevi temporis spatio multos versus temere effunderet, sed in versu faciendo sæpe caput scaberet, et vivos ungues roderet, h. e. summam curam et diligentiam in expoliendis versibus poneret.—*auctor* ad Satiræ inventorem, Lucilium, cum Heindorfio et aliis referri nequit; *auctor* jam est scriptor, et totus versus: « Quam rudis et Græcis intacti carminis auctor, » eleganter exprimit simplices voces: *Quam Ennius;* Ennius enim est scriptor carminis *rudis* (nondum elegantioribus numeris adstricti, nondum arte elaborati, et mollius fluentis) *et Græcis intacti* (quale non scripserunt poetæ Græci; scripsit enim Ennius Annales Romanorum fide historica); pro *rudis et* ingeniose tentabat Casaubonus de Rom. Sat. p. 255, *Rudius,* ut vocatur Ennius a Cicerone in Orat. pro Arch. c. 10, a patria *Rudiis,* oppido in Calabria. — *Detereret,* detraheret. Ed. — *recideret,* amputaret omnia supervacanea; quæ nimirum trahuntur et accedunt ad ea, quæ jam perfecta sunt, tanquam inania ornamenta, onerantia potius quam ornantia. Ed. — *caput scaberet,* fricaret, unguibus scalperet. Ed.—*vivos,* ad vivum usque. De poeta negligentius scribente Pers. I, 106: « Nec pluteum cædit, demorsos nec sapit ungues. » Scilicet auctori in poliendis scriptis curiose intento mos ille est, ut sibi caput cædat, et ungues mordeat. In Satir. 7 Bolæus: « J'ai beau frotter mon front, j'ai beau mordre mes doigts. » Ed.

72. *Sæpe stilum vertas,* sæpe, quæ scripsisti, deleas sive emendes: stili enim, quo literæ ceræ imprimebantur, pars superior fuit lata, sive plana, ita quidem, ut hac latiore inversi stili parte verba loco suo deleri et mutari possent. — *iterum, quæ,* etc. ut de integro lectu digniora scribas; repetit hoc aureum præceptum Horatius infr. Epist. II, 2, 109 sqq. « At qui legitimum cupiet fecisse poema, Cum tabulis animum Censoris sumet honesti; Audebit, quæcumque parum splendoris habebunt, Et sine pondere erunt, et honore indigna ferentur, Verba movere loco, quamvis invita recedant. » — *neque, te ut miretur turba, labores;* neu labores in hoc, ut

Digitized by Google

Contentus paucis lectoribus. An tua demens
Vilibus in ludis dictari carmina malis?
Non ego: nam satis est, equitem mihi plaudere, ut audax,
Contemtis aliis, explosa Arbuscula dixit.
Men' moveat cimex Pantilius? aut cruciet, quod
Vellicet absentem Demetrius? aut quod ineptus
Fannius Hermogenis lædat conviva Tigellî?
Plotius et Varius, Mæcenas Virgiliusque,
Valgius, et probet hæc Octavius optimus, atque
Fuscus; et hæc utinam Viscorum laudet uterque!

turbæ, plebis suffragia tibi concilies; majori scilicet numero, nulla inest literarum intelligentia, et ingenii opera fere semper male sunt judicanda; unde apud nos vox illa, satirica quidem, veritatis tamen ac judicii plena: « Combien faut-il de sots pour composer un public? » Ed.—*paucis contentus lectoribus*, paucis quidem, sed selectis. Ed.

75. *Vilibus in ludis*, in scholis plebis, h. e. quarum plausus viles, nulli pretii sunt, a pueris dati. Ed.—*dictari*, a ludimagistris prælegi vel recitari, et a plebeiis discipulis edisci. — *equitem*, homines nobiliores et egregii ingenii. Ed. — *explosa Arbuscula*, libertina et mima, tum admodum celebris, ut apparet e Cicerone in Epist. ad Att. IV, 15: « Quæris nunc de Arbuscula; valde placuit. » Aliquando tamen a plebe, ut videtur, explosa est, unde se nihil curare plebem dixit, modo homines cultiores ex ordine equestri sibi applaudant.

78. Jam Horatius nominatim quatuor adversarios, Pantilium, Demetrium, Fannium et Tigellium, ut homines ineptos et dignos, quos contemnat, producit. Oratio in his tribus versibus est paulo verbosior; junge: « Mene moveat, aut cruciet, aut lædat, quod cimex Pantilius, quod Demetrius, quod ineptus Fannius, Hermogenis Tigellii conviva, me absentem vellicet? »— *Pantilius* a *cimice* (une punaise), male olente, et dormientes præcipue vexante atque mordente, ut homo, quem quivis aversetur et fugiat, dignus designatur.—*Demetrius*, modulator, ut apparet e vers. 90 et 91; cf. v. 18, ad vocem *simius*. — *Fannius*. Cf. supr. I, 2, 3.

81. Jam Horatius appellat eos, quibus scripta sua placere cupit, viros nempe nobilitate poeseos et doctrinæ gloria conspicuos.—*Plotius*, cf. supr. ad I, 5, 40.—*Varius*, supr. ad Od. I, 6, 1, et Sat. I, 9, 23.—*Valgius*, cf. supr. ad Od. II, 9, 5.—*Octavius*, de hoc Horatii amico et viro docto nihil aliunde constat; *Octavianus*, quem nusquam Horatius appellavit *Octavium*, intelligi nequit, ut nihil dicam de loco, quem jam poeta nullo modo *Octaviano* inter *Valgium* et *Fuscum*

Digitized by Google

Ambitione relegata, te dicere possum,
Pollio; te, Messala, tuo cum fratre; simulque
Vos, Bibule et Servi; simul his te, candide Furni;
Complures alios, doctos ego quos et amicos
Prudens prætereo: quibus hæc, sunt qualiacumque,
Arridere velim, doliturus, si placeant spe
Deterius nostra. Demetri, teque, Tigelli,
Discipularum inter jubeo plorare cathedras.
I, puer, atque meo citus hæc subscribe libello.

assignaturus fuisset. — *Fuscus*, de *Aristio Fusco*, cf. supr. Od. I, 22, 4. — *Viscor. uterque*, cf. supr. Sat. I, 9, 22. — *ambitione relegata*, sine omni gloriæ per nomina vestra mihi captandæ studio; ait igitur Horatius, se Pollionem et ceteros, jam non ut viros nobiles, quorum patrocinium jactare possit, sed ut doctos et idoneos carminum suorum arbitros appellare. — *Messala* (cf. supr. ad v. 29), *tuo cum fratre*, Schol. Cruq. *Publicola.* — *Bibule et Servi. Bibulus* e gente Calpurnia, et *Servius* e gente Sulpicia; hi non nobilitate solum, sed etiam doctrinæ laude insignes fuisse videntur, ut ex hoc loco apparet. — *simul his*, pro: una cum his; ut infr. Epist. II, 2, 205, et sic passim. — *Furni.* Schol. Cruq. « *Furnius* historiarum fide et elegantia claruit. » — *si placeant spe Deterius nostra*, si minus, quam ego spero, placeant; si præter spem meam displiceant.

90. Postquam Horatius contra obtrectatores, præcipue contra eos, qui Lucilium male ab eo ut poetam vitiosum reprehensum esse clamabant, causam suam peroravit, jam finem carmini impositurus Demetrium et Tigellium, dum eos ut ridiculos obtrectatores missos facit, non, ut alias a nobis discedentes, *valere*, sed salsissime *inter discipularum cathedras plorare jubet; plorare* enim, ut apud Græcos οἰμώζειν et κλαίειν (exempla vide apud Heindorfium) de querelis, quas quis de misera sua sorte fundit, dicitur. Videntur autem Tigellius et Demetrius scholas habuisse, quibus intererant tantum puellæ, sedentes in *cathedris*, feminarum sedilibus commodioribus et mollioribus; Martial. III, 63, 7: « Inter femineas tota qui luce cathedras Desidet. » Ad discipulas Heindorfius referendos quoque censet in genere feminino *pueros molles et pathicos*. — *I, puer*, etc. Jubet puerum dictatæ Satiræ statim adjicere verba, quibus valedixit Tigellio atque Demetrio. Schol. Porph. « Eleganter, quasi hoc ex tempore dixerit, præcipit puero, ut in libellum sdum (in hanc suam Satiram) illud conferat, ne pereat tam opportunum et congruum in modulatores dictum. » — *subscribe libello*, Satiræ quartæ in Lucilium. Ed.

Digitized by Google

Analysis. In hac Satira tuetur ac confirmat judicium Horatius quod in quarta de Lucilio tulerat. Tot eo tempore Romæ erant, qui veterem hunc poetam admirarentur, ut Noster libere eum reprehendendo, multis displicuerit. Quibus ut respondeat, lucide explicat omnes dotes quæ in satirico carmine requirantur; brevitatem inprimis ac sententiarum rapiditatem, quæ sane in Lucilio, licet multum salis habeat, desiderantur. Lucilium etiam reprehendit, quod verba Græca latinis miscuerit. Deinde se ipsum excusat, quod multa in Lucilio vitiosa esse dixerit, quum quisque clarissimos poetas reprehendere non dubitet; ceterum præcipuum fuit hoc Lucilii vitium, quod citius ac negligentius scriberet. At Noster accurate scribendum ac sæpe scripta corrigenda esse suadet; qua sola ratione a selectis lectoribus lauderis. Finem facit poeta dicendo se, dummodo doctorum et nobilium virorum suffragia obtineat, nihil istam detrectatorum turbam curare; conversaque oratione ad Demetrium et Tigellium, tamquam ineptos et insulsos scriptores, qui mulierculis duntaxat placere studerent: « ite, inquit, molles et effeminati, pergite adolescentibus corruptis, vel etiam mulierculis amatoria carmina, flebiles elegias voce ad ploratum affectata recitare. »

In hac Satira occasionem sumsit Horatius, ut suam erga optimos hujus ætatis scriptores, quibus familiariter utebatur, publice æstimationem profiteretur. Quos tamen inter unus Virgilius magnam apud posteros famam obtinet; unde facile conjicies Nostri de ceteris judicio amicitiam, vel alias causas alienas non fuisse. Hoc autem vel amicitiæ, vel obsequii munus, quam decenter ac ingeniose obiit! Ed.

Digitized by Google

QUINTI
HORATII FLACCI
SERMONUM SIVE SATIRARUM
LIBER SECUNDUS.

SATIRA I.

Horatius Trebatium inducit de Satiris in posterum scribendis aut non scribendis disputantem. Hoc etiam carmen de genere satirico apologeticum est.

HORATIUS.

Sunt quibus in Satira videor nimis acer, et ultra
Legem tendere opus: sine nervis altera, quidquid
Composui, pars esse putat; similesque meorum
Mille die versus deduci posse. Trebati,
Quid faciam, præscribe.

1. *Acer*, similis fere acri cani, qui omnes allatrat mordetve.—*ultra Leg. tendere opus*, ultra modum extendere Satiras, vel modum in scribendis Satiris, sive in carpendis hominum vitiis excedere; *tendere*, simplex pro composito vel pro: *intendere* Statius Achill. I, 543: « Tende animum vigilem, facundumque erige pectus, » vel pro: *extendere*, ut infr. Epist. I, 8, 11.—*sine nervis altera*, etc. Altera pars, alii homines putant omnia opera mea sine nervis esse. Ed.—*sine nervis*, sine vi et gravitate, *sine pondere et arte*, ut loquitur Noster, infr. Epist. ad Pis. 320. — *deduci*, cf. supr. ad Sat. I, 10, 44. — *Trebati*; *Trebatius*, clarus jurisconsultus, a Cicerone (cujus ad eum scriptæ epistolæ exstant in Epist. ad Famil. lib. VII, inde ab Epist. 6 usque ad 23), Cæsari, Galliarum proconsuli, commendatur his verbis: « De quo tibi homine hæc spondeo.... probiorem hominem, meliorem virum, prudentiorem esse neminem. Accedit etiam, quod familiam ducit in jure civili, singularis memoria, summa scientia.»

Digitized by Google

TREBATIUS.

Quiescas.

HORATIUS.

Ne faciam, inquis, 5
Omnino versus?

TREBATIUS.

Aio.

HORATIUS.

Peream male, si non
Optimum erat; verum nequeo dormire.

TREBATIUS.

Ter uncti
Transnanto Tiberim, somno quibus est opus alto,
Irriguumque mero sub noctem corpus habento.

5. *Quiescas,* respondet Trebatius: auctor tibi sum ut abstineas penitus a scribendo. Ed. — *Aio,* ita censeo. — *Peream male,* ad proverbialem expressionem nostram redit: « Je veux mourir si, » etc. Ed. — *erat,* pro *esset.* — *nequeo dormire,* hanc unam artem habeo conciliandi mihi somni: vel quum dormire non possum, in versibus faciendis noctem pono. Aliam rationem somni conciliandi te docebo, inquit Trebatius, etc. Ed. Sed sunt, in quibus est Heindorfius, qui *dormire* pro: cessare, inertem esse, explicent, et Trebatium, hac jocosa dilogia deceptum, ad τὸ *dormire,* tanquam in propria significatione positum, respondere opinentur. Mihi quidem ejusmodi jocus indignus videtur Horatio. — *Ter,* pro simplici *sæpius.* Ed. — *uncti,* supr. Od. III, 12, 5: « Liparæi nitor Hebri, Simul unctos Tiberinis humeros lavit in undis. » Gymnasticæ, ut observant ad h. l. interpretes, exercitationes, quæ in campo Martio a juvenibus oleo unctis instituebantur, ad eorum corpora recreanda natatione finiri solebant. Sed fortasse ipsius natationis causa (ut in aliis laboribus, quibus vires et nervi maxime intendebantur), oleo ungi solebant corpora. Sic Cleobis et Biton, antequam ad jugum, matris in fanum vehendæ causa, accedebant, *veste posita oleo corpora perunxisse dicuntur.* Cic. Quæst. Tusc. I, c. 47.

8. *Transnanto,* lepide Trebatius, ut Jurisconsultus, legum formulis adsuetus, quid faciendum sit Horatio, in imperativo præscribit. — *Irriguumque mero corpus,* nam, qui vino madent, facile a somno opprimi solent.

Digitized by Google

Aut, si tantus amor scribendi te rapit, aude
Cæsaris invicti res dicere, multa laborum
Præmia laturus.

HORATIUS.

Cupidum, pater optime, vires
Deficiunt: neque enim quivis horrentia pilis
Agmina, nec fracta pereuntes cuspide Gallos,
Aut labentis equo describat vulnera Parthi.

TREBATIUS.

Attamen et justum poteras et scribere fortem,
Scipiadam ut sapiens Lucilius.

Ceterum hoc datum Horatio consilium bene respondet ingenio Trebatii, quem et natandi studiosissimum et bonum vini potorem fuisse ex Cic. Epist. VII, 10 et 22 discimus.

11. *Cæsaris*, sic Octavianus ab Horatio in Satiris, Epod. et libr. prim. Od. (ut observat ad h. l. *Heindorf.*) vocatur; nam Augusti nomen anno demum DCCXXVII assumsit Octavianus; Dio Cass. XIII, 16. — *Cupidum*, cupientem res Augusti dicere. Ed.—*pater optime*, Trebatium sic vocat, honoris causa, ut et seniorem et jurisconsultum. Ed. — *horrentia pilis agmina*, agmina rigentia pilis protensis, vel in altum erectis; sic passim *horrentia arma*, Virg. Æn. I, 4, 5: *horrentes hastæ* (Virg. Æn. X, 178).

14. *Fracta cusp.* Frangebatur enim emissi pili cuspis in corpore defixa; de forma pili, hastilis lignei trium cubitorum, et ferro ejusdem longitudinis muniti vid. Heindorf. ad h. l. Ceterum Horatius in hoc ipso loco, ubi se ad carmen epicum componendum viribus destitutum profitetur, versus aliquot fecit poeta epico dignissimos. Hic Horatius alludit ad plurimas de Gallis ab Augusto relatas victorias. Ed.—*labentis equo*, Parthi scilicet omnes equo pugnabant. Ed.—*vulnera Parthi*, aliquam attingit poeta Parthorum cladem, fortasse regis Pacori, a Ventidio occisi. Ed.

16. *Attamen*, etc. Esto, inquit Trebatius, non satis habeas nervorum ad res bellicas Augusti describendas: posses tamen illius justitiam, et animi magnitudinem laudare, ut sapiens Lucilius laudavit Scipiadam. Ed. — *fortem*, quæ recta et honesta sunt, strenue peragentem.— *Scipiadam* (græce, ut apud Virg. Georg. II, 170; Æn. VI, 844, pro: *Scipioniadem*) intelligo Scipionem Africanum minorem, cujus haud vulgarem cum Lælio amicitiam celebravit Cicero *in sermone de Amicitia.*— *sapiens Lucilius*, quia sapienter vitam Scipionis sibi describendam sumsit. Vet. Schol.

Digitized by Google

HORATIUS.

Haud mihi deero,
Quum res ipsa feret: nisi dextro tempore, Flacci
Verba per attentam non ibunt Cæsaris aurem:
Cui male si palpere, recalcitrat undique tutus.

TREBATIUS.

Quanto rectius hoc, quam tristi lædere versu
Pantolabum scurram, Nomentanumque nepotem,
Quum sibi quisque timet, quamquam est intactus, et odit.

« Lucilius Vitam Scipionis privatam descripsit, Ennius vero bella. » — *Haud mihi deero* (ut supr. I, 9, 56), id equidem faciam. Qui non negligit facere, quod pro viribus facere potest, is sibi non deest. — *Quum res ipsa feret*, quum ipsa hujus rei peragendæ se offeret opportunitas.

18. *Nisi dextro tempore*. Sensus: Nisi enim carmen a me compositum Augusto tradetur opportuno tempore, quo illud attento animo legere possit, is (*undique tutus*), ab omni parte contra aditum adulatorum munitus, carmen importuno tempore a me traditum rejiciet. Comparatur Augustus cum equo generoso, qui, a nemine sibi timens, si quis ei (*male*) importuno tempore blandiatur palpando vel mulcendo, recalcitrat. — Hanc comparationem Heindorfius duram et inhonestam appellat. At jam Augustus non in universum comparatur cum equo, sed cum ea tantum generosi equi indole, qua se non mulceri patitur importuno tempore. Sic apud Homerum Iliad. XI, 557. Ajax, e pugna, ubi cædi indulserat, lento gressu recedens, non in universum cum asino comparatur, sed egregie ad rem cum asini, e segete, cui depascendæ indulget, se ægre repelli patientis, tarditate. In plurimis enim comparationibus, ut jam supr. ad Od. IV, 4, 1, observavimus, ea tantum rei comparatæ pars, quam solam respexit quisque poeta, spectanda est. Ad quod si animum advertissent interpretes, rectius sæpe de comparationibus a poetis institutis judicaturi fuissent.

21. *Hoc*, nempe Cæsaris invicti res dicere. — *tristi* (contumelioso et proinde *tristes iras* supr. Od. I, 16, 9, excitante) *lædere versu*, ut fere infr. *atris versibus aliquem oblinere*, pro: sale satirico aliquem perfricare. — *Pantolabum scurr. Nomentan.* Cf. supr. Sat. I, 8, 11. — *intactus*, nondum tristi versu læsus. — *odit*, scilicet versus tristes tristiumque versuum auctores. Hinc Boloeus, in Satira septima: « Chacun dans ce miroir pense voir son visage; Et tel, en vous lisant, admire chaque trait, Qui dans le fond de l'ame et vous craint et vous hait. » Ed.

Digitized by Google

HORATIUS.

Quid faciam? saltat Milonius, ut semel icto
Accessit fervor capiti, numerusque lucernis.
Castor gaudet equis, ovo prognatus eodem
Pugnis; quot capitum vivunt, totidem studiorum
Millia. Me pedibus delectat claudere verba
Lucilî ritu, nostrum melioris utroque.

24. *Quid faciam?* quid ego aliud, quam versus, faciam? Quot enim sunt homines, totidem sua quisque sectantur studia. Milonius saltatione, Castor equorum domandorum studio, Pollux pugilatu gaudent; ego, ut Lucilius, delector scribendis satiris. — *Milonius.* Schol. Porph. « Milonius scurra illorum temporum, qui quum semel ebrius esset, statim saltare incipiebat. » — *ut semel,* simulac, postquam. — *icto,* vino, cujus vis caput quasi percutit, h. e. inebriat. Milonius igitur, verum esse, quod Cicero ait (pro Muren. c. 6), « neminem fere saltare sobrium, » exemplo suo comprobavit. — *numerusque lucernis,* quia ebrii geminum lucernarum numerum sibi videre videntur, suaviter lucernis numerus accedere dicitur. Juvenal. VI, 304 : « Quum bibitur concha, quum jam vertigine tectum Ambulat, et geminis exsurgit mensa lucernis; » et sic Ovidius in Art. Am. III, 764 : « bina videre. » — *Castor gaudet equis,* vid. supr. Od. I, 12, 25, 26 : « Dicam et Alciden, puerosque Ledæ, Hunc equis, illum superare pugnis, Nobilem. » — *ovo prognatus eodem;* adeo varia sunt hominum studia, ut Pollux, licet Castoris frater, licet eodem ovo natus, aliis oblectamentis indulgeat. Ed. — *quot capitum,* etc. Notum est illud Terentii, Phorm. II, 4, 14, « quot homines, tot sententiæ, suus cuique mos. »

28. *Pedibus claudere verba,* sic supr. Sat. I, 10, 39 : « pedibus senis claudere. » — *nostrum mel. utroque,* nobilioris utroque nostrum. Illud igitur Horatius vult dicere, Lucilium non puduit satiras scribere, cur me, qui homo sum ignobilis, nec, utrum Lucanus, an Appulus dicendus sim, satis scio, hujus rei pudeat? De Lucilii nobilitate Schol. Cruq. ad hunc locum observavit hæc : « qui melior fuit et me, et te, Trebati, censu (ipse Horatius infr. v. 75 : « se infra Lucilii censum » esse ait) et natalibus. Fuit enim vir bonus et valde nobilis, utpote Magni Pompeii avus. » Hanc Lucilii nobilitatem confirmat alius quoque Schol. infr. ad v. 75, sed is, docens Lucilii sororem aviam Pompeii fuisse, Lucilium non *avum,* sed *majorem avunculum* Pompeii fuisse ostendit; cf. Vellei. Pat. II, 29. Alii accipiunt hanc vocem *melioris,* pro : præstantioris poetæ; nisi autem ad nobilitatem referretur, cur infra Horatius de suo genere ac patria v. 344, loqueretur? « Lucanus an Appulus, anceps : nam Venusinus, » etc. Ed.

Digitized by Google

Ille velut fidis arcana sodalibus olim
Credebat libris, neque, si male cesserat, unquam
Decurrens alio, neque si bene: quo fit, ut omnis
Votiva pateat veluti descripta tabella
Vita senis. Sequor hunc, (Lucanus an Appulus, anceps:
Nam Venusinus arat finem sub utrumque colonus,
Missus ad hoc, pulsis, vetus est ut fama, Sabellis:
Quo ne per vacuum Romano incurreret hostis;
Sive quod Appula gens, seu quod Lucania bellum
Incuteret violenta.) Sed hic stilus haud petet ultro

30. *Ille velut fidis*, etc. Lucilius committebat arcana sua libris, quasi fidi sodales fuissent; amœnissima sane imago. Ed.— *neque, si male cesserat*, etc. Neque, sive quid male, sive quid bene ei cesserat, usquam alio, nisi ad fidos suos sodales, ad libros, quibus id mandaret, decurrebat. Lucilius scilicet tam læta, quam tristia, tam recte, quam minus recte facta, tam laudanda, quam carpenda, diligenter notabat, unde ejus vita tanquam in tabula votiva descripta dicitur. Pro *cesserat*, quod defendit optimorum Codd. apud Feam auctoritas, in plurimis librr. et editt. legitur *gesserat*; utraque lectio eodem redit: ad *cesserat* supplendum est, *ei quid*; ad *gesserat*: *quid*.—*Votiva tabella*. Schol. Cruq. « Votiva tabula est, quæ ex voto posita est in templo aut aliquo loco publico, in qua descripta h. e. depicta est fortuna alicujus. Ita solent naufragi suum naufragium in tabella depictum circumferre. » — *pateat*, conspiciendam præbeat, elegantius pro: *sit*.

34. *Sequor hunc*, hunc sequor ego, homo ignobilis, cujus patria utrum ad Lucaniam, an ad Appuliam referenda sit, in ambiguo est; nam colonus in patriam meam Venusiam deductus inter Lucaniam et Appuliam agrum colit (*ad hoc*) ideo (*Sabellis*), Samnitibus, ut vetus fama est, pulsis, eo missus (*Quo ne*) ne hostis per loca *vacua* (non obsessa, non defensa) in Romanum agrum incursionem faceret, sive ipsa Appulia, sive infesta Lucania aliquod bellum inferret. Horatius semper facetus et emunctæ naris, hac interpositione geographica imitatur et carpit acriter Lucilium, qui affectato scribendi genere sæpe aliena procul a proposito sectari solebat; quod inter alios non intellexit Clar. *Diderot*, tom. III, p. 186, qui pariter in explicando primo versu Od. 6, lib. III, lapsus, nihil aliud subtilioribus ratiunculis profecit, quam ut errorem gravissimum confirmaret, ibid. p. 148. Ed.

39. *Sed*, redit a diverticulo in viam. Ed. — *hic stilus*, hæc carminum ad Lucilii exemplum scribendorum ratio.— *animantem*, vivum: neminem nisi mortuum insectabor. Ed.

Digitized by Google

Quemquam animantem, et me veluti custodiet ensis
Vagina tectus; quem cur destringere coner
Tutus ab infestis latronibus? O pater, et rex
Jupiter, ut pereat positum robigine telum,
Nec quisquam noceat cupido mihi pacis! at ille,
Qui me commorit (melius non tangere, clamo),
Flebit, et insignis tota cantabitur urbe.

—*et me veluti custod. ensis Vagina tectus,* et neminem ultro petens meis mordacibus versibus, iis utar tanquam gladio vagina tecto, qui nunquam nisi ad me defendendum destringetur. Ed. Pro *destringere* legendum esse *distringere* præter rem ad h. l. contendunt plurimi.—*distringere* enim est: huc illuc vel in diversas partes trahere; unde aliquis *distringi* dicitur, qui uno eodemque tempore variis et pluribus negotiis *distinetur,* huc illuc trahitur. Sed *destringere* est: ex loco aliquo aliquid stringere vel trahere. Hinc recte nunc in Cicerone, Off. III, 31, legitur: « confestim gladium *destrinxit,* » et in Orat. Tog. Cand. « conantur in rempublicam sicas *destringere.* » In quam quidem rem Ernestius. in Clav. Cic. s. v. *destringere* notat hæc: « Hodie nemo dubitat in his literis paulo versatior, in omnibus, in quibus *detrahendi vis* exprimenda est, *destringere* rectum esse, non *distringere.* » Viros doctos, qui idem docuerunt, ibidem laudavit Ernestius. Itaque supra quoque Od. III, 1, 17, recte legitur: « *Destrictus* ensis, cui super impia Cervice pendet. » Similiter inter se differunt *deripere* et *diripere,* illud enim dicitur de rebus singulis, quæ ex loco aliquo detrahuntur et auferuntur, hinc supr. Od. III, 5, 21, « signa, Punicis adfixa delubris, derepta, » (non *direpta*) dicuntur; hoc de rebus pluribus, quæ a pluribus *in diversas partes* (hæc enim notio inest voculæ *di* vel *dis* in verbis compositis) rapiuntur et auferuntur, ut in bello urbes, loca, castra, etc. *diripi* solent a militibus. —*Tutus ab infestis latron.* Quum nihil periculi sit a latronibus. Ed.

42. *O pater, et rex Jupiter.* Tractum hoc, ut observat Vet. Schol. ex Græco, scilicet ex Callimachi Frag. p. 378 et 581, edit. *Ernesti*: « Ζεῦ πάτερ, ὡς Χαλύβων πᾶν ἀπόλοιτο γένος. » Quod expressit Catullus de Coma Berenices v. 48: « Jupiter, ut Chalybon omne genus pereat. »—*ut,* utinam.—*positum,* depositum, sepositum, vel tectum vagina.—*me commŏrit,* sc. ira, me iratum reddiderit, lacessiverit; nam poetæ, ut Horatius infr. Epist. II, 2, 102, ait, sunt *genus irritabile;* hinc passim apud Terentium, qui ira fervet, *commotus* dicitur. Supra similiter Epod. VI, 11: « in malos asperrimus, Parata tollo cornua. » Ed. — *melius non tangere clamo,* moneo illum et maturius denuntio, satius illi fore si me non tangat. Ed.—*Flebit,* plorabit, οἰμώξεται, h. e. gravi cum dolore pœnitebit eum hujus stultitiæ; *flere* pro: graviter

Digitized by Google

Cervius iratus leges minitatur et urnam;
Canidia, Albutî, quibus est inimica, venenum;
Grande malum Turius, si quid se judice certes.
Ut, quo quisque valet, suspectos terreat, utque
Imperet hoc Natura potens, sic collige mecum:
Dente lupus, cornu taurus petit: unde, nisi intus

dolere, supr. Epod. V, 74: « O multa fleturum caput. » — *insignis*, insigniter a me notatus.

47. Ad sententiam exprimendam: « sua quemque habere arma, quibus aut alios petat, aut ab aliis se defendat, » quatuor modis homines, nequitia, improbitate, fraude et malis artibus tanquam armis, quibus infesti reddantur aliis, instructos, in medium producit. — *Cervius*. Schol. Cruq. « Cervius, Ascanii libertus, calumniator, accusavit Cn. Calvinum lege de Sicariis. » — *urnam*, significanter pro: sententias judicum, sive quod judices, nominibus eorum in urnam conjectis, sortitione ad causam aliquam dijudicandam designabantur, sive potius quod tabellæ, in quibus perscriptæ erant sententiæ singulorum judicum, in urna condebantur, et inde depromebantur. Hinc apud Virg. Æn. VI, 432: « Quæsitor Minos urnam movere, » et apud Propert. IV, 11, 19: « Æacus posita urna judex sedere » dicitur. — *Canidia* (vide de ea in Argum. ad Epod. V) *minitatur venenum Albutî*, h. e. quali Albutius uxori suæ mortem parasse dicitur. Vet. Schol. « hic enim Albutius veneno uxorem suam peremisse dicitur. » — *Grande malum Turius*, etc. Turius, si in causa tua judex sedeat, *grande malum* (tristissimum causæ tuæ eventum) repete: minitatur. Schol. Cruq. « C. Marcium Turium significat judicem corruptissimum, qui, accepta pecunia, pro reis pronuntiare sit solitus. » — *rem aliquam* pro *de re aliqua certare*, ut infr. II, 5, 27: « Magna minorve foro si res certabitur olim. »

51. Sensus et nexus sequentis et paulo impeditioris loci inde a v. 50 usque ad 57, est fere hic: Quomodo unusquisque iis, quibus valet, viribus suspectos et sibi infestos terreat, et quomodo natura, cujus magna est vis et potentia, *hoc* (se defendere contra suspectos) imperet, de hac re ita mecum cogita: lupus dente et taurus cornu pro armis utitur; (*unde*) ex qua tandem causa alia, nisi quod interna naturæ vis lupum et taurum armis illis uti docuit? At Scæva armis a natura sibi datis, dextera scilicet, ad vim inferendam non utitur; crede enim isti homini nequam et prodigo matrem, diutius, quam optat, viventem, non *pia* (homini scelestissimo ironice *pia dextra* tribuitur) *dextra* scelus faciet, (mirum sane, quomodo aliter agunt animalia, dum neque lupus quemquam calce, sed dente, neque bos dente, sed cornu invadit,) sed veneno anum necabit. — Horatius non elevat scelus Scævæ, quod iste matrem veneno occidit, sed potius illud æque

Digitized by Google

Monstratum? Scævæ vivacem crede nepoti
Matrem : nil faciet sceleris pia dextera (mirum!
Ut neque calce lupus quemquam, neque dente petit bos;)
Sed mala tollet anum vitiato melle cicuta.
Ne longum faciam : seu me tranquilla senectus
Exspectat, seu Mors atris circumvolat alis;
Dives, inops; Romæ, seu, Fors ita jusserit, exsul;
Quisquis erit vitæ, scribam, color.

TREBATIUS.

O puer, ut sis

grave esse, ac si matrem impia dextra occidisset, ostendere vult.— Ceterum quod de naturæ potentia affert poeta, id in sequentibus ad se ipsum, sive ad satirarum scribendarum impetum, cui resistere nequeat, transfert. Per omnia autem exprimere voluit hoc : natura unumquemque, quibus se defendat, vel alios aggrediatur, armis instruxit; me satirarum, quibus in vitia hominum invehar, scribendarum facultate instruxit; ergo scribam. — *Scævæ*. Schol. Cruq. Scæva luxuriosus quidam fuit, qui matrem dato veneno necavit, propterea quod ei nimis diu viveret. » — *vivacem; vivax* jam in propria significatione de eo, cui vita longior contingit. Verba : *mirum* usque ad *petit bos* parentheseos signis distinxi. — *vitiato melle*, admixto melle, per cicutam vitiato.

57. *Seu me tranquilla senectus Exspectat*, seu diu adhuc sit mihi vivendum. Ed. — *Mors atris circumv. alis*. Morti, ut diis plurimis ad celeritatem, qua illi ubique adsunt, designandam tribuuntur alæ, et quidem Morti convenienter *atræ*. — *Dives*, etc. Seu dives sum, seu inops, seu vivo Romæ, seu, si fors ita jusserit, exsul sum : ad *jusserit* supplenda est omissa particula *si*.— *vitæ color*, vitæ conditio, status, fortuna. Infr. Epist. I, 17, 23 : « Omnis Aristippum decuit color, et status, et res.» — *scribam*, satiras faciam. Ad hujus loci imitationem Bolæus, Sat. 7 : « Ainsi, soit que bientôt, par une dure loi, La mort d'un vol affreux vienne fondre sur moi; Soit que le ciel me garde un cours long et tranquille, A Rome ou dans Paris, aux champs ou dans la ville.... Riche, gueux, triste ou gai, je veux faire des vers. » Ed.

60. *O puer, ut sis Vitalis, metuo;* Trebatius ut Horatium a satira deterreat, quid periculi in eo genere sit indicat, et se metuere ait, ne quis satiricis carminibus læsus poetæ perniciem minetur; pro quo posuit : met u cupio ut sis vitalis, ut vita longa fruaris; eorum instar qui ea exoptant quæ minime fieri posse credunt. Similiter Bolæus, Sat. 7 : « .... garde qu'un de ceux que tu penses blâmer,

Digitized by Google

Vitalis, metuo; et, majorum ne quis amicus
Frigore te feriat.

HORATIUS.

Quid? quum est Lucilius ausus
Primus in hunc operis componere carmina morem,
Detrahere et pellem, nitidus qua quisque per ora
Cederet, introrsum turpis; num Lælius, et qui
Duxit ab oppressa meritum Carthagine nomen,
Ingenio offensi, aut læso doluere Metello,
Famosisque Lupo cooperto versibus? Atqui

N'éteigne dans ton sang cette ardeur de rimer. » Ed. — *majorum ne quis amicus Frigore te feriat;* vulgo explicant: ne quis amicus potentium et nobilium hominum quos tu læseris, morte, quæ frigidum corpus facit, te feriat. Malo autem intelligere: metuo ne quis inter tuos nobiliores amicos erga te frigidus fiat, amicitiam deneget. Hic enim sensus sequentibus apprime respondet, scilicet Lucilium satiris nec Lælii, nec Scipionis gratiam amisisse; et præterea simili apud Persium loco I, 109 confirmatur: « vide sis ne majorum tibi forte Limina frigescant. » Ed.

62. *Quid? quum est Lucil. ausus,* exemplo Lucilii respondet Horatius, probatque se neque amicos, neque vitam amissurum. Ed. — *Primus;* Ennius et Pacuvius ante Lucilium satiras quidem scripserant; at non ita eleganter, et accurate, ut in aliqua æstimatione satirica eorum carmina forent. Ed. — *detrahere pellem,* tollere externam hominum speciem, aperta reddere, quæ occultantur. — *nitidus,* speciem pulchram et honestam præ se ferens, *speciosus pelle decora.* — *per ora,* in conspectu hominum. — *Cederet* pro incederet, ut probant exempla a Bentleio allata, Plaut. Casin. II, 8, 10, et Pseudol. IV, I, 45. — *introrsum turpis;* simillime infr. Epist. I, 16, 44: « Sed videt hunc omnis domus et vicinia tota Introrsus turpem, speciosum pelle decora. » — *Lælius,* Caius Lælius, quem Cicero loquentem facit in sermone de Amicitia. Ed. — *Duxit ab oppressa Carthagine nomen,* sc. Africani; sermo est de P. Scipione Africano minore, qui familiarissime vixit cum Lælio. — *Ingenio offensi,* sc. sunt, ut v. 74, *soliti* pro: soliti sunt. — *ingenio,* sale satirico Lucilii. — *læso Metello,* h. e. de Metello versibus famosis lacerato. Intelligendus autem est *Metellus Macedonicus,* a Scipione, Lucilii amico, in republica dissentiens. — *Lupo,* Heindorfius cogitat de L. Cornelio Lentulo Lupo, anno Urb. 597, consule cum Q. Martio Figulo; damnatus fuit repetundarum. — *cooperto,* ut *onerare aliquem maledictis* apud Plautum ac Terentium.

68. *Atqui,* jam vero non Me-

Digitized by Google

Primores populi arripuit, populumque tributim;
Scilicet uni æquus virtuti, atque ejus amicis.
Quin ubi se a vulgo et scena in secreta remôrant
Virtus Scipiadæ, et mitis sapientia Lælî;
Nugari cum illo, et discincti ludere, donec
Decoqueretur olus, soliti. Quidquid sum ego, quamvis
Infra Lucilî censum ingeniumque, tamen me
Cum magnis vixisse invita fatebitur usque
Invidia, et fragili quærens illidere dentem,

tellum tantum et Lupum, sed alios quoque *primores*. — *arripuit*, insectatus est, læsit; *arripere* est fere, quod in v. 77, *illidere dentem*. — *tributim*, per singulas tribus. — *æquus*, favens, placidus. — *ejus amicis*, virtutis amantibus. — *a scena*, a theatro quasi rerum publicarum, a luce publica, a frequentia hominum; *in secreta*, intra privatos parietes, ubi a frequentia hominum secreti vel sejuncti vivimus; intelligi potest villa. — *Scipiadæ*, vid. ad v. 17 : « virtus Scipiadæ, » fortis Scipio; ut supr. Od. III, 21, 11 : « virtus Catonis » pro ipso Catone virtutis studioso. — *sapientia Lælî*, sapiens Lælius. — *Nugari*, pueriles jocos miscere, pueriliter jocari, ut infr. Epist. I, 18, 60. — *discincti*, negligentius vestiti nullam zonam gerentes, vel laxiorem, ut solebant, qui ad res publicas gerendas e domo non prodibant. Ed. — *ludere*. Schol. Cruq. « Scipio Africanus et Lælius feruntur tam fuisse familiares et amici Lucilio, ut quodam tempore Lælio circum lectos triclinii fugienti Lucilius superveniens eum obtorta mappa quasi feriturus sequeretur. » Cic. de Orat. II, 6 : « sæpe ex socero meo audivi, quum is diceret socerum suum Lælium semper fere cum Scipione solitum rusticari, eosque incredibiliter repuerascere solitos, quum rus ex urbe, tanquam e vinculis evolavissent. Non audeo dicere de talibus viris; sed tamen ita solet narrare Scævola conchas eos et umbilicos ad Cajetam et ad Laurentum legere consuesse, et ad omnem animi remissionem ludumque descendere. » Ed. — *donec Decoqueretur olus*, donec pararetur cœna; ad significandum et quam familiariter Lælio et Scipione Lucilius uteretur, et quantæ temperantiæ essent isti nobiles viri, tam parco victu contenti. Ed. — *soliti*, sc. sunt, ut v. 67, *offensi*. — *Quidquid ego sum*, quantuluscumque sim. — *Infra Lucili censum* et *ingenium*, quamvis Lucilius me opibus et nobilitate et ingenio superaverit. Lucilius enim, ut jam ad v. 29 notavimus, nobili genere fuit. Ed. — *Cum magnis*, Augusto, Mæcenate et ceteris. Ed. — *fragili quærens*, etc. Et dum livor edax quærit dentem infigere in corpore facile lacerando, inveniet se nihil efficere posse in corpore *solido*, non facile perfringendo. Videtur hic Horatius respicere fabulam de serpente, qui, quum in officinam fabri

Digitized by Google

Offendet solido : nisi quid tu, docte Trebati,
Dissentis.

TREBATIUS.

Equidem nihil hinc diffindere possum;
Sed tamen, ut monitus caveas, ne forte negotî
Incutiat tibi quid sanctarum inscitia legum :
Si mala condiderit in quem quis carmina, jus est
Judiciumque.

HORATIUS.

Esto, si quis mala : sed bona si quis

ferrarii forte irrepsisset, compulsus fame, ibique irrodere limam vellet, dentes contrivit. Ed.—*nisi quid tu, docte Trebati, Dissentis;* hæc verba sunt hominis alienæ sententiæ obtemperare nolentis, suam autem pervicaciam, honoris causa, urbanis quibusdam verbis minus duram facere tentantis. Hoc fere redit ad nostra « sauf meilleur avis. » Ed.

79. *Nihil hinc diffindere possum,* mira in hoc loco est lectionis varietas; in vett. librr. enim et editt. pro *diffindere* teste Fea legitur vel *diffingere*, vel *diffundere*, vel *diffidere*, vel *defingere*, vel *defindere*, vel *diffigere*, vel *defringere*. — Bentleius et Heindorfius defendunt *diffingere*, ut sit : mutare, immutare; sed hoc parum respondet verbis præcedentibus : *Nisi quid tu... Dissentis.* Ego dedi *diffindere*, quod in eodem sensu, quo *secare* supr. Sat. I, 10, 15, et infr. Epist. I, 16, 42, pro : dirimere, positum existimo. Hoc sensu : fateor me tuis rationibus nil respondendum habere. Ed.—*Sed... ut monitus*, etc. Quum jam videat Trebatius poetam pertinaciter in sua sententia perstare, legum terrorem ipsi tentat injicere, quod sane jurisconsulti est. Qui ita fere loquitur : ut caveas ne quid tibi periculi vel damni afferat legum inscitia, te moneo satirica carmina legibus puniri. Ed. — *sanctar. legum;* respicit poeta legem duodecim tabularum, qua mortis supplicium in eos statuebatur, qui alicujus famam dictis vel verbis læderent. Legis verba sunt : « si quis occentassit malum carmen, sive condidisit, quod infamiam faxit flagitiumque alteri, capital esto. » Quam legem restituit Augustus jubendo in eos agi qui hanc violaverant. Suet. de Aug. c. 55 : « id modo censuit cognoscendum posthac de iis qui libellos aut carmina ad infamiam cujuspiam suo, vel alieno nomine edant. » Ed. — *sanctarum;* solemne hoc est legum epitheton, quum *sanctus* a *sancire* veniat, omnia autem legibus sanciantur. Ed.—*jus est Judiciumque*, lex, actio in jure constituta ac legibus permissa, et accusandi ante judices facultas. Ed.

83. *Sed bona si quis;* jam ludit Horatius in voce *mala*. Nam in lege significat *famosa, criminatoria;* poeta

Digitized by Google

Judice condiderit laudatur Cæsare: si quis
Opprobriis dignum latraverit, integer ipse: 85
Solventur risu tabulæ; tu missus abibis.

autem hanc accipit quasi significaret: non bene facta, dura et inculta; et sic facete respondet seriæ jurisconsulti objectioni. Ed. — *Judice condiderit laudatur Cæsare;* durior hic verborum transpositio; sic ordino: si quis condiderit bona carmina, laudatur judice Cæsare. Hic Augusto adulatur Horatius, quem boni carminis sagacem judicem affirmat. Ed. — *latraverit,* latrando petiverit, allatraverit; cf. supr. Epod. VI, ad v. 1–4; *latrare aliquem* pro *allatrare aliquem* dixit quoque Noster Epod. V, 58, et Epist. I, 2, 66. Ceterum locutio: *latrare* vel *allatrare aliquem* non tantum, ut putat Bentleius, de ignavis et timidis, qui vano latratu fortiores petant, sed in universum pro: maledicta alicui ingerere ponitur; conf. Livium a Gesnero laudatum XXXVIII, 54, ubi Cato Scipionis magnitudinem *allatrasse* dicitur. Eadem imagine, a canibus acrioribus translata, aliquis *opprobriis mordere* infr. Epist. I, 16, 38, et, qui *mordet* opprobriis, *mordax* dicitur, supr. Sat. I, 4, 93. — Pro *latraverit* in uno tantum codice apud Feam reperitur *laceraverit*, quod aperte speciem interpretationis τοῦ *latraverit* præ se fert. Nihilominus tamen lectionem *laceraverit* prætulerunt Bentleius et Heindorfius. — *integer ipse,* quum ipse probus sit. Ed. — *Solventur risu tabulæ.* Schol. Acr. « Aut, subsellia solventur, i. e. compago lignorum, aut ipsæ leges. » At ex qua tandem causa tanti cachinni extollendi erant, ut eorum sonitu et fragore subselliorum tabulæ solverentur? Quis tale quid Horatium nunc exprimere voluisse sibi persuadeat? Immo Horatius voluit hoc exprimere: Sane, si carmina, quæ compono, bona sunt, et ego ipse integer opprobriis tantum dignos perstringo, leges in tabulis perscriptæ *solventur* illa vi, quam in maledicos et calumniatores habent, *risu*, propter risum, dum ipsi judices ridebunt homines, quorum vitia tu deridenda propinasti; et sic *missus* (impune) ex judicio *abibis*. *Lege* aliquis *solvi* dicitur, in quem lex aliqua non exercenda esse judicatur; infr. Sat. 6, 69: « Solutus legibus insanis. » Liv. X, 13: « tribunique plebis... aiebant, se ad populum laturos, uti legibus solverentur. » — Jam ipsæ leges in tabulis perscriptæ *solvi* dicuntur, sc. vi, quam leges in eos tantum habent, qui vere contra eas peccant. At Horatius, qui, ipse integer, opprobriis tantum dignos sale satirico perfricuit, non peccavit contra leges, in homines malo animo aliorum bonæ famæ insidiantes latas; ergo, leges illas *solutum iri*, h. e. non in ipsum exercitum iri, ait. — *tu,* proquivis, quilibet poeta. Horatius, non Trebatius hæc ultima loquitur. Ed.

Analysis. Quum Horatius priorem Satirarum librum in lucem edidisset, adeo ab istis vel quos irriserat, vel qui, ne irriderentur timebant, acriter

Digitized by Google

vituperatus et reprehensus fuit, ut carmen quoddam apologeticum posteriori Satirarum libro præponi necessarium judicaverit. Trebatium igitur, peritissimum jurisconsultum, inducit de Satira disputantem, et varias causas proponentem, cur ab hoc genere omnino abstinere debeat poeta. At eorum more, qui ceteros de iis rebus consulunt, in quibus sibi quisque consilii auctor optimus est, omnes Trebatii objectiones refellit poeta, jam, antequam disputet, certus quid faciat. Cujus disputationis fere ordo hic est: Ut incommoda e Satirico genere defluentia vitet Horatius, hortatur eum Trebatius ad Augusti laudes suscipiendas; quod munus, viribus, ut ait, deficientibus, recusat poeta. Portendit autem ei Trebatius omnium civium odium: at Horatius se hinc excusat, quod, quum alii aliis studiis indulgeant, ipse versibus Satiricis delectetur; quod jam antea Lucilius Satiras fecerit; additque se carminibus usurum, non ut alios lacessat, sed ut iis, quasi gladio, se defendat, profiteturque se usque scripturum. Subjicit Trebatius timendum esse, ne, ob Satirica carmina, amicos, vel etiam vitam amittat. Ipsius autem Lucilii exemplo respondet Horatius, qui, licet Satirarum scriptor, semper Scipione et Lælio familiariter usus est. Denique legum terrorem, quod apprime jurisconsulti est, tentat Horatio injicere Trebatius; at ille postremam hanc objectionem facile ac lepide refellit. — De illo autem Trebatio passim videas in Ciceronis Epistolis ad familiares. Ed.

SATIRA II.

Eos, qui paucis contenti vitam instituere didicerunt, longe feliciores esse hominibus aut luxuriose viventibus, aut avaris, uberius poeta sub persona rustici cujusdam prudentioris, Ofelli, in hac Satira docet.

Quæ virtus, et quanta, boni, sit vivere parvo,
(Nec meus hic sermo est, sed quæ præcepit Ofellus

1. *Quæ virtus*, etc. Sensus: Quanta sit eorum, qui paucis contenti vivunt, virtus atque felicitas, id a sapiente rustico, Ofello, discite, et in hujus rei veritatem non inter lætas epulas, quibus animus facile in fraudem inducitur, sed impransi mecum inquirite.— *virtus*, de sapientia, qua quis ea, quæ ad vitæ felicitatem pertinent, sequitur; *boni* pro vulgari, *carissimi*: appellat poeta lectores vel amicos, quorum animi ejusmodi præceptis patent.—*Nec meus hic sermo*, ut suis præceptis auctoritatem conciliet poeta, hæc ab eo data fingit, qui ipse ea sequebatur. Ed.— *sed quæ*, sed verba sunt, quæ. Pro *quæ* alii, *quem*, quam lectionem tuetur Heind.

Digitized by Google

Rusticus, abnormis sapiens, crassaque Minerva)
Discite, non inter lances mensasque nitentes,
Quum stupet insanis acies fulgoribus, et quum
Adclinis falsis animus meliora recusat;
Verum hic impransi mecum disquirite. — Cur hoc?
— Dicam, si potero. Male verum examinat omnis
Corruptus judex. Leporem sectatus, equove
Lassus ab indomito; vel, si Romana fatigat

—*Ofellus;* vetus Scholiast. ait Ofellum bonis suis a Cæsare spoliatum eo reductum fuisse ut eos ipsos agros quos possederat, pro alio coleret. Ed. — *Rusticus*, rure degens. Ed. — *abnormis sapiens*, h. e. philosophus, qui nulli normæ, h. e. nulli philosophorum disciplinæ unice addictus, ipse, quæ vera sunt, investigat, αὐτοδίδακτος. — *crassaque Minerva*, non philosophica subtilitate, sed rustica simplicitate; non ex artis præceptis, sed sine arte. — *nitentes*, poculis, vasis argenteis, etc. — *insanis*, qui homines insanos facit, qui eorum animis insaniam injicit, vanamque cupiditatem. Ed. — *et quum Adclinis falsis animus*, h. e. animus qui falsis rebus indulget, qui iis contentus est, eas libentius accipit. *Falsa* dicuntur magnificentia ea, omnesque apparatus, qui animum fallaci specie decipiunt. Ed. — *meliora recusat*, sana temperantiæ præcepta audire renuit. Ed. — *impransi*, jejuni, ut qui saniori et liberiori mente sunt. Ed. — *Cur hoc?* cur non inter magnificas epulas? — *Dicam, si potero;* loci sequentis structura et verborum junctura videtur prima specie paulo molestior, sed si omnem sententiam recte junxeris et copulaveris, bene ei respondere verba omnia intelliges. Sententia est fere hæc: Causam, si potero, afferam: animus scilicet, ciborum copia et jucunditate captus, veluti judex auro corruptus, male veritatem perscrutatur. (Is tantum, qui sitit et esurit, non contemnit vulgares cibos.) Quodsi igitur aut venando, aut equitando, vel, si magis tibi placent pueriles Græcorum exercitationes, aut pilam, aut discum jaciendo, fastidia expuleris, tum sitiens esuriensque non spernes vilem cibum, non mulsum, non pisces appetes; sed panis cum sale bene tibi sapiet.

9. *Leporem sectatus equove*, venandi et equorum domandorum studium pertinet ad militiam Romanam, sive ad ea studia et exercitationes, quibus corpora ad labores in bello ferendos corroborarentur; hinc Horatius, supr. Od. III, 24, 54, de Romanis a prisca pueros educandi ratione degeneratis: « Nescit equo rudis Hærere ingenuus puer, Venarique timet. » Locus classicus de venationis apud Romanos laude atque honore est infr. Epist. I, 18, 49: « Romanis solemne viris opus, utile famæ, Vitæque et membris, » etc. — *si Romana fatigat*, etc.

Digitized by Google

Militia adsuetum græcari; seu pila velox,
Molliter austerum studio fallente laborem;
Seu te discus agit, pete cedentem aera disco;
Quum labor extuderit fastidia, siccus, inanis,
Sperne cibum vilem; nisi Hymettia mella Falerno
Ne biberis diluta: foris est promus, et atrum
Defendens pisces hiemat mare; cum sale panis

Si hæc militaris Romanorum vires exercendi ratio molesta est tibi, Græcorum popinis, aut exercitationibus assueto.—*græcari* (ἑλληνίζειν), Græcorum more pilæ et disci jactu exerceri; de *disco* vid. supr. ad Od. I, 8, 11.—*vel, si,* etc. *seu pila,* etc. Junge et explica: vel, (si mavis *græcari,* bibere,) sive pilæ lusus tibi magis placet, pila lude; sive magis te delectat discus, discum mitte: tum, quum hic labor fastidium e stomacho expulerit, sitiens esurienseque sperne, si potes, vilem cibum; h. e. non spernes, non bibere cupies mulsum: tum, si promus, qui cibum tibi suppeditet, non domi est, si piscium capturam in mari tempestas impedit, panis cum sale famem leniet.—*Molliter austerum,* etc. Versus elegantissimus! dum is, quem pilæ studium agitat, tam suaviter inter ludendum afficitur, ut ne sentiat quidem graviorem virium intentionem.—*pete cedent. aera disco,* h. e. mitte discum per aera, in altum. Ed.—*cedent. aera,* dum discus aera trajicit, aer ei cedit. Ed.

14. *Extuderit,* tundendo ejecerit, pepulerit; sed Bentleius, quia *extundere* ea, qua nunc positum est, significatione alibi non occurrat, pro *extuderit* unici Codicis auctoritate recepit: *expulerit,* quæ tamen lectio recta jam aliis interpretatio τοῦ *extuderit* visa est.—*fastidia,* ex inertia et satietate orta. Ed.—*siccus,* qui non bibit, sitiens. Ed.—*inanis;* vacuus stomacho, jejunus. Ed.—*Sperne,* ironia est. Ed.—*nisi Hymettia mella Falerno Ne biberis,* bibe tum nihil aliud, nisi *mulsum;* sic enim vocatur potus e vino et melle optimo confectus; sicut autem vinum, in agro Falerno sub monte Massico natum, ad vina præstantiora, ita mel ab apibus in monte Hymetto in Attica collectum (cf. supr. Od. II, 6, 14) ad mella optima referebatur. Laudant de *mulsi* confectione Macrob. Sat. VII, 12, p. 668, edit. Zeun. « unde est illud proverbium, quo gulones utuntur: Mulsum, quod probe temperes, miscendum esse novo Hymettio, et vetulo Falerno. » Cf. Colum. II, 41.

16. *Foris est promus,* etc. Immo adeo cibos delicatos non quæres, ut si foris est, domo exiit tuus promus (is dicitur qui cibos e penu promit); si mare procellosum tuetur pisces et piscationem impedit, frusto panis, nullo præter salem adhibito condimento, contentus futurus sis, et famem placaturus cum voluptate. Ed.

Digitized by Google

Latrantem stomachum bene leniet. Unde putas, aut
Quî partum? Non in caro nidore voluptas
Summa, sed in te ipso est. Tu pulmentaria quære
Sudando: pinguem vitiis albumque, neque ostrea
Nec scarus, aut poterit peregrina juvare lagois.
Vix tamen eripiam, posito pavone, velis quin

—*Defendens pisces*, quum tempestas sævit in mari, pisces capi nequeunt; tempestas igitur pisces defendit ab hominum insidiis.—*hiemat* (χειμάζει), tempestate agitatur; sic *hiems* (χειμών) tempestas. — *Latrantem*, jejunum, et adeo fame laborantem, ut quasi clamando cibos flagitet. Similiter Lucret. l. II, 17: « nil aliud sibi naturam latrare. » Et Ennius: « animus cum pectore latrat. » Ed.—*bene*, sine ullo fastidio.

18. *Unde putas, aut Quî partum?* (ut v. 7, *cur hoc?*) Unde, aut qua tandem re alia, nisi fame, hanc felicitatem, qua panis cum sale tibi bene sapit, partam esse putas? — *in caro nidore*, in multi pretii cibis, quorum odore nares cupedias appetentium *supinantur*, ut loquitur Noster infr. Sat. II, 7, 38.—*Tu*, de vi pronominis *tu* in formulis, quibus præcepta dantur, exempla ad hunc locum collegit Heindorfius. — *pulment. quære Sudando*, pro vulgari: labora et suda, ut esurias, suaviter Horatius dixit: sudando quære pulmentaria; nam cui stomachus post laborem bellum indicit, ei vilis cibus est pro pulmentariis, is pane sicco æque delectatur ac pulmentariis, et proinde per famem quærit sibi quodammodo pulmentaria. Sunt, qui in hoc loco Horatio obversatum esse dicant Socratem, qui, quum usque ad vesperam (sunt verba Ciceronis in Quæst. Tusc. V, 34) contentius ambularet, quæsitumque esset ex eo, quare id faceret, responderit, se, quo melius cœnaret, obsonare ambulando famem. Dicere solebat Socrates « cibi condimentum esse famem, potionis sitim. »— *pulmentaria*, de variis cibis, quibus prisca ætate præter pultem, et postea præter panem, fruebantur homines, et proinde de cibis lautioribus et jucundioribus. — *pinguem vitiis*, obesum ob vitam mollem, ignavam et luxuriosam.— *albumque*; hominum lautius et mollius viventium vultus et corpora pallidi coloris sunt. Hinc infr. v. 76: « vides, ut pallidus omnis Cœna desurgat dubia. » Sulpiciæ Sat. 36, « ingluvie albus. » Ed. — *ostrea*; hæc vox duabus syllabis, ut supr. Sat. I, 8, 45, *cerea*, pronuntianda. — *scarus*; vide supr. ad Epod. II, 50.—*peregrina lagois*. Schol. Porphyr. « avis leporini coloris. » Schol. Acr. « Lagois avis, quæ carnem leporis habere perhibetur: aut est genus piscis, quod in mari Italo non invenitur. » De pisce, qui apud Linn. dicitur *Cyclopterus Lumpus*, vix cogitari potest, quia ne esculenta quidem est ejus caro.

23. *Vix tamen eripiam*, etc. Nihilominus tamen, si pavo una cum gallina in mensa appositus sit, vix te retineri

Digitized by Google

Hoc potius, quam gallina tergere palatum,
Corruptus vanis rerum; quia veneat auro
Rara avis, et picta pandat spectacula cauda:
Tanquam ad rem adtineat quidquam! Num vesceris ista,
Quam laudas, pluma? cocto num adest honor idem?
Carne tamen quamvis distat nihil hac magis illa,

patieris, quin pavonis potius, quam gallinæ carne palatum permulcere cupias, deceptus scilicet vana ob externam rerum speciem opinione, quia rara avis magno pretio veneat, et quia pavo, quum caudam pulcherrimis coloribus distinctam pandit, jucundum spectaculum præbeat. — *Vix tamen eripiam*, etc. Scil. tibi, h. e. ex animo tuo evellam vanam illam opinionem, qua pavonis (quia carior est, et pulchrioribus coloribus distinctus) carnem gallinæ carni præferendam existimas. — *tergere palatum*, locutio apta gulosis. Ed. — *vanis rerum*, vanis rebus h. e. externæ rerum speciei vanitate; *vana rerum*, ut *vitia rerum*, *ficta rerum*, *abdita rerum*, *amara curarum*, *ardua montium*, *strata viarum* et similia. — *quia ven. auro*, quia magni pretii sit. Ed. — *picta pandat spectac. cauda*, eleganter pro vulgari: pictam caudam pandat spectaculo. — *Tanquam ad rem adtineat quidquam*, tanquam hæc pavonis raritas et pulchritudo quidquam (*ad rem*) ad saporem adtineat.

27. *Num vesc. ista Quam laudas pluma?* hac sana exquisitaque interrogandi ratione, quam insani sint illi qui tantum in pretio ac raritate ciborum præstantiam ponunt, manifeste demonstrat; probatque quam absurdum sit res ex eo quod inutile et supervacaneum est æstimare. Ed. — *pluma*, pavonis. — *cocto num ad. hon. idem?* quando coctus est pavo, num est idem color, eadem species pennarum, quæ vivo erat? neutiquam. Ed. — *num ad.* rarum exemplum, ubi litera *m* a sequentis vocis vocali non absorpta corripitur; exempla quædam ex Ennio et Lucretio attulit Lambinus. — *honor*, pictæ caudæ pulchritudo. — *Carne tamen*, etc. Hic versus mirum in modum vexavit omnes interpretes, et quisque suam interpunctionem, suamque constructionem huc attulit. Nos hunc versum cum seq. *imparibus formis deceptum te patet*, conjunctum, cum Juvencio sic intelligimus: Quamvis tamen hæc caro, pavonis scilicet, nihil magis, nihil admodum distet illa carne, id est, gallinæ, quamvis pavonis caro minime gallinam antecellat, tamen tu pavonem præfers; in qua re, patet te non ex ipsorum ciborum sapore ita judicare, sed disparibus avium formis decipi. Eodem fere redeunt varii ceterorum interpr. sensus, licet varium vocibus ordinem attribuant. Inter quos tamen Gesneri sententiam utpote simplicem satis et ingeniosam referemus qui, interpunctione minore post hæc verba *tamen* et *nihil*, majore autem post *illa* posita, *hac* pro hæc legit; suppletaque ex v. 17 voce *vesceris*, sic explicat:

Digitized by Google

Imparibus formis deceptum te patet. Esto! 30
Unde datum sentis, lupus hic Tiberinus, an alto
Captus hiet? pontesne inter jactatus, an amnis
Ostia sub Tusci? Laudas, insane, trilibrem
Mullum, in singula quem minuas pulmenta necesse est.

tamen vesceris magis, mavis vesci carne hac, sc. pavonis, quam illa, id est, carne gallinæ, quamvis prior sit posteriore longe pejor. In quo certe imparibus formis deceptus es. Ed. — *Imparibus formis*, diversa pavonis et gallinæ forma, h. e. externa specie.

30. *Esto!* sit ita. Sed ulterius progrediuntur lautarum epularum æstimatores, dum de interna quoque ciborum bonitate subtiliter judicant.— *Unde datum sentis*, etc. Unde, quæso, tibi datus est hic sapor subtilior, ut discernere possis lupum in Tiberi captum, ab eo qui in mari captus sit? Schol. Cruq. « unde nosti, quo sensu percipis, quod iste lupus potius est marinus, quam fluviatilis? At, qui palati subtilitate gloriantur, melioris saporis aiunt esse pisces illos, qui rapidiore unda exercentur, circumaguntur, quam qui languidiore torpescunt; idcirco dicuntur lupi esse meliores, qui inter duos pontes (pontem Milvium et Sublicium), ubi aqua concitatior est, quam qui in ostiis Tiberis. » Plin. lib. IX, c. 54 : « quando eadem aquatilium genera aliubi atque aliubi meliora : sicut lupi pisces in Tiberi amne inter duos pontes. » et Lucil. l. IV, Sat. frag. 4 : « illum sumina ducebant, atque altilium lanx, Hunc pontes Tiberinu' duo inter captu' catillo. » Ed. — *lupus*, nos : « *un loup marin.* » Ed. — *Captus hiet*, significantius pro : captus sit ; nam pisces, ut capti sunt, hiare et palpitare solent. Ed. — *jactatus*, exagitatus. — *amnis Tusci*; Tiberis Tuscus dicitur, quia e Tuscia profluit in mare Thyrrenum. Ed.

33. *Laudas, insane, trilibrem Mullum*, etc. Poeta transit ad aliud genus insaniæ, qua ab hominibus luxuriose et magnifice viventibus ciborum genera, quæ rarius proveniunt, rariusque inveniuntur, in magno pretio ponuntur ; at alia, licet ejusdem saporis, quia sunt vulgaria, ab iisdem contemnuntur ; sic *mullus* (qui piscis apud nos dicitur « mulet, surmulet ») cui natura modicum corpus tribuit, si ad eam usque magnitudinem accreverat, ut esset *trilibris*, immenso pretio a Romanis emi solebat (vid. Heindorf.), at *lupus*, qui natura sua est *procerus* (h. e. longior) et grandioris ponderis, ab iisdem vilipendebatur. Plinius ait mullum piscem fuisse exquisitissimum, nec rarum sane, ita autem qui fere nunquam duarum librarum pondus superaret, subjicit tamen olim in mari Rubro inventum fuisse mullum octilibrem, et quanto pretio, ait, constitisset, si in litore urbis proximo captus fuisset! Ed. — *insane*, Ofellus appellat aliquem insaniæ, de qua sermo est, consortem. — *singula pulmenta* explicat Heindorfius de singulis dissecti mulli partibus, sive frustis, quæ cuique con-

Digitized by Google

Ducit te species, video; quo pertinet ergo
Proceros odisse lupos? Quia scilicet illis
Majorem natura modum dedit, his breve pondus.
Jejunus raro stomachus vulgaria temnit.
« Porrectum magno magnum spectare catino
Vellem, » ait Harpyiis gula digna rapacibus. At vos
Præsentes, Austri, coquite horum obsonia! Quanquam

vivæ offerebantur; sed hanc explicationem non admittit vox *pulmentum*: nam per *pulmenta* intelliguntur obsonia, ex carne assa vel elixa, ex piscibus et aliis ciborum generibus confecta; cf. supr. ad v. 20. Potius intelligam mullum trilibrem in singulas offas a convivatore dividendum, quippe qui major sit qui in una contineatur. Ed. — *Ducit*, trahit, capit, inducit, decipit. — *species*, illius piscis magnitudo. Ed. — *quo pertinet... lupos?* quid igitur in causa est, quod nihil curas grandioris corporis lupos? *Ofellus* ipse respondet: *quia scilicet*, etc. quia natura *mullis* modicum tantum, *lupis* vero corpus grandius dedit; hæc scilicet est causa, cur stomachus ditiorum, qui *raro jejunus* fit (raro esurit), vulgaria contemnat. Heindorfius pro: *raro* vel *rare* malebat cum Schol. Acr. *rari*, scilicet, ut *jejunus rari* jam sit: cupidus rari, allato exemplo ex Justin. XXXVIII, 6: « animos divitiarum avidos ac jejunos habere; » modo hoc exemplum non ex scriptore serioris ætatis petitum esset; præterea hæc lectio ad sensum minus valet. — *vulgaria*, communes cibos, quales sunt vulgo a natura comparati, mulli scilicet parvi, lupi autem magni corporis. Ed.

39. *Porrectum magno*, etc. « Equidem ipse vellem oculis meis metiri posse mullum magnum in magno catino porrectum » dicere solet homo gulosus, monstrosis istis et rapacibus avibus, Harpyiis, æquiparandus. Nota hujus versus 39, spondæis constantis, lentum ac gravem incessum, quo apprime significatur piscis latam longamque staturam. Ed. — *gula*, homo gulosus, unus inter « proceres gulæ, » ut eos vocat Plinius. Ed. — *Harpyiis*, de fœda Harpyiarum forma, voracitate et rapacitate est locus classicus apud Virg. Æn. III, 219 seqq. ubi confer Excurs. Heynii VII. — *At vos præsentes, Austri*, etc. Poeta, in gulosos istos, cibis simplicibus nunquam contentos indignatus, ventos a meridie flantes invocat, precaturque ut insanis illis cupiditatibus obstent. At vos, ait, Austri, adeste, et vi vestra efficacissima horum hominum gulosorum obsonia putrefacite, corrumpite, vitiate. Austri scilicet, ut venti meridiani, aura æstuosa ac pestilente flant. Ed. — *coquite*, corrumpite. Eodem fere sensu Propert. lib. IV, carm. 8, v. 39: « vidi ego odorati victura rosaria Pæsti Sub matutino cocta jacere noto. » Ed. — *Præsentes*, meis precibus faventes. Ed. — *horum*, cum vitet indignatione dictum. Ed.

41. *Quanquam Putet*, festiva

Digitized by Google

Putet aper rhombusque recens, mala copia quando
Ægrum sollicitat stomachum, quum rapula plenus
Atque acidas mavult inulas. Necdum omnis abacta
Pauperies epulis regum: nam vilibus ovis
Nigrisque est oleis hodie locus. Haud ita pridem

correctio est prioris imprecationis. Quanquam quid opus est rogare Austros ut corrumpant obsonia, si quidem illa, licet recentia, tamen apud nos jam putent, fastidio sunt, propter illorum copiam, quæ nauseantem stomachum commovet, turbat impellitque ad optandos viles cibos, ut rapulas, inulas, ova, etc. Ed.—*Putet aper rhombusque recens*, quanquam vel recens aper rhombusque *putet*, non proprie quidem, sed, quasi *puteat*, nauseam creat; observa suave ὀξύμωρον in *recens* et *putet*. De *rhombo* (*un turbot*) cf. supr. Sat. I, 2, 116, et Epod. II, 50.

42. *Mala copia quando Ægrum sollic. stomachum. Quando* (quandoquidem, quia) *mala* (nimia, noxia) *copia* (sc. ciborum) *sollicitat* (commovet, turbat, torquet, tentat) *ægrum* (languentem, marcescentem) *stomachum*; an pro: *mala* Horatius fortasse scripsit *male? male sollicitat*, male afficit, male commovet, concitat. —*rapula* (gall. *des raves*), quæ ad excitandum edendi desiderium sumuntur.—*inulas*, herbam quamdam; nos: *de l'aulnée*. Inula quidem acris est, ideoque stomacho inimica; certo autem modo condiebatur, meliorque efficiebatur. Plin. l. XIX, c. 29: « inula, per se stomacho inimicissima: eadem dulcibus mixtis saluberrima. Pluribus modis austeritate victa, gratiam invenit. » Ed.—*Necd. omnis abacta Pauper. epulis regum*, suaviter pro vulgari: necdum omnes cibi, quibus pauperes vescuntur, exclusi sunt ab epulis *regum*, beatiorum, ditiorum, ut supr. Od. I, 4, 14, et Sat. I, 2, 86. —*vilibus*, parvi pretii. Notum est cœnas omnes ab ovis initium sumere, unde tritum illud effatum « ab ovo usque ad mala. » Ed. —*Nigrisque oleis*, nigri coloris oleas, ut observat Gesnerus, ad condiendum commendat Colum. XII, 48, 49, cf. Voss. ad Virg. Georg. II, 85.

46. *Haud ita pridem*, etc. Non ita pridem præco *Gallonius*, quod præter censum et disciplinam, tanquam esset homo dives et nobilior, magni pretii acipenserem in mensa apponi jusserat, notam sibi contraxit infamiæ. Schol. Cruq. « Gallonius præco primus (inter præcones) acipenserem piscem suæ mensæ apposuit, quare ejus mensa a Lucilio quoque taxatur.» Versus Lucilii servati sunt apud Cic. de Fin. II, 8: « O Publi! o gurges Galloni! es homo miser, inquit. Cœnasti in vita nunquam bene, quum omnia in ista Consumis squilla atque acipensere cum decumano. » *Piscis acipenser* (*esturgeon*) apud nos quidem non, ut olim, (vid. Heind. ad h. l.) ad lautiores epulas refertur. Plinius quoque in Nat. Hist. IX, 27, miratur, quod *piscium apud antiquos*

Digitized by Google

Gallonî præconis erat acipensere mensa
Infamis. Quid? tum rhombos minus æquor alebat?
Tutus erat rhombus, tutoque ciconia nido,
Donec vos auctor docuit prætorius. Ergo,
Si quis nunc mergos suaves edixerit assos,
Parebit pravi docilis Romana juventus.
Sordidus a tenui victu distabit, Ofello
Judice; nam frustra vitium vitaveris illud,

nobilissimus apud suæ ætatis homines in parvo sit pretio. Nec Horatius, sive Ofellus laudat *acipenserem*, sed potius de mutabili in hac re hominum ingenio agit; nam paulo post in v. 51, dicit: « Si quis nunc mergos suaves edixerit assos, Parebit pravi docilis Romana juventus. »

48. *Quid?* quomodo apponebatur et tanti fiebat acipenser? nonne in mari erant rhombi et in agris ciconiæ? profecto erant: sed nemo illis vescebatur, quia nondum erat iis in opinione pretium. Obsoniis scilicet non natura, sed opinione pretium ponitur. Ed. — *Tutus erat rhombus*, etc. Nemo rhombo, nemo ciconiæ pullis insidiabatur.—*vos auctor docuit*, auctor fuit, ut in conviviis rhombi et ciconiæ pulli apponerentur, suaves esse eos pronuntiavit, nomenque ac pretium iisdem addidit. Ed. —*prætorius*. Schol. Cruq. « Asinius Sempronius Rufus, prætorius, instituisse creditur, ut ciconiarum pulli manducarentur; quare, quum in prætura petenda repulsam tulisset, tale epigramma meruit: « *Ciconiarum Rufus iste conditor Hic est duobus elegantior Plancis; suffragiorum puncta non tulit septem. Ciconiarum populus ultus est mortem.* » Salse dicitur *prætorius*, in prætura petenda repulsus; *préteur manqué*. Ed.

50. *Ergo;* scilicet nemo ante Gallonium acipenserem, ante Sempronium Rufum rhombos et ciconiæ pullos, noverat; unde elicit poeta, ut si quis forte dicat mergos optimum esse cibum, omnes subito sint fidem adhibituri. Mergos (*des plongeons*) præsertim assos ponit Horatius, utpote aves ita duras siccasque, ut vix igne torreri queant. Ed.—*edixerit*, quasi imperio dixerit, edicto publicaverit, tanquam prætor vel homo prætorius, sicuti Asinius Sempronius Rufus, cum irrisione pro vulgari: docuerit assos mergos suaves esse.—*Parebit*, fidem adjunget, iisdem vescetur. Hæc vox apprime respondet voci *edixerit*. Ed. — *pravi docilis*, quæ cito prava discit, quæ facile ea sequitur, quæ jubet opinio. Ed.—*Sordidus a tenui*, etc. Ofellus, qui adhuc disputavit de hominibus gulosis et luxuriose viventibus, dum commendat victum tenuem, eum a victu sordido diligenter distinguendum esse monet; eum enim frustra vitare *vitium illud*, luxuriam puta, qui perverso animo ad vitium contrarium, ad sordidam avaritiam, trans-

Digitized by Google

Si te alio pravum detorseris. Avidienus,
Cui Canis, ex vero ductum, cognomen adhæret,
Quinquennes oleas est et silvestria corna;
Ac, nisi mutatum, parcit defundere vinum; et,
Cujus odorem olei nequeas perferre, (licebit
Ille repotia, natales, aliosve dierum
Festos albatus celebret) cornu ipse bilibri
Caulibus instillat, veteris non parcus aceti.
Quali igitur victu sapiens utetur, et horum

eat, supr. Sat. I, 2, 24 : « Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt. » — *te...pravum*, te, ut hominem prava et deteriora sequentem ; eodem redit lectio *pravus*, quam defendit Bentleius. — *alio*, ad aliud vitium.

55. *Avidienus*, nomen, ut videtur, fictum. — *ex vero*, a spurcitia scilicet et impudentia, dictum, indictum. Alii legunt *ductum*, tractum. Ed. — *Quinquennes*, annis quinque lectas et vetustate corruptas. Ed. — *est* (ἐσθίει), edit infr. Epist. I, 2, 39 : « si quid *est* animum. » — *corna*, fructus silvestres, e cerasorum genere, « *des cornouilles.* » Ed. — *Ac, nisi mutatum*, etc. Ac vinum, nisi est vitio corruptum et in acetum fere mutatum, « *du vin tourné*, » (cf. infr. Sat. II, 8, 50). — *parcit defundere*, non defundit, sc. ex dolio in amphoram, vel cadum ; *parcere* cum infinitivo eleganter pro : *non*, nolle, cunctari, a se impetrare non posse. Supra Od. III, 28, 7 : « Parcis deripere horreo Cessantem Bibuli Consulis amphoram, » ubi vide, quæ notavimus. — *defundere*, quod nos dicimus : *verser*. — *licebit*, pro : licet, quamvis, ut supr. Epod. XV, 19 : « Sic pecore et multa dives tellure licebit. » — *repotia* per *repotia* designari videtur *potationis repetitio*, sive die post nuptias proximo, sive septimo. Festus : « *Repotia* : postridie nuptias apud novum maritum cœnatur, quia quasi reficitur potatio. » Schol. Acr. « Repotia dicuntur septimus dies, quo nova solet nupta redire ad parentes suos. » — *natales*, nemo ignorat quanto apparatu ac hilaritate Romani suos suorumque natales dies celebrarent. Vid. Epod. XI. Ed.

61. *Albatus*, indutus alba veste, quam, qui solemnibus epulis intererant, gerere solebant. Cic. in Orat. in Vatin. c. 13 : « cum ipse epuli dominus, Q. Arrius, albatus esset. » — ad *instillat* elice ex antecedentibus *oleum*, verba enim jungenda sunt sic : et oleum, *cujus odorem perferre nequeas*, *ipse* sordidus convivator, non servus, *cornu bilibri* (ex gravioris ponderis amphora cornea ; elegantiora enim vascula non inveniri solent apud homines sordidos) *instillat caulibus*. — *instillat*, guttatim fundit. Ed. — *Caulibus*, oleribus parvi pretii. Ed. — *veteris non parcus aceti*, quia vetustate corrupto aceto ne avarus quidem facile parcit.

Digitized by Google

Utrum imitabitur? Hac urget lupus, hac canis angit.
Mundus erit, qui non offendat sordibus, atque
In neutram partem cultus miser. Hic neque servis,
Albutî senis exemplo, dum munia didit,

64. *Utrum horum*, utrum ex his duobus, quos descripsi, Galloniumne, qui splendide, an Avidienum, qui sordide vivit? — *Hac urget lupus, hac canis angit;* pro *angit*, nonnulli legunt: *aiunt;* quam lectionem si acceperis, haberi omnino hæc verba debent pro proverbio. Sed, ut nihil dicam, hujus proverbii apud nullum alium scriptorem exstare vestigium, ipse sensus, qui ei inesse debet, rei, de qua sermo est, plane non convenit. Nullus enim alius sensus ex hoc proverbio elici potest, nisi hic: Ego ab utraque parte premor et in angustias detrudor; inops igitur sum consilii, quid faciam. Sed *sapiens* (h. e. prudens), interrogatus, quali victu usurus, utrum luxuriosum, an avarum imitaturus sit, non inops erit consilii, quid faciat, sed statim, se neutrum imitaturum esse respondebit. Et hæc responsio expressa est verbis: « Hac urget lupus, hac canis angit; » comparatur scilicet homo luxuriosus (cujus gula in v. 40, dicitur « digna rapacibus Harpyiis ») cum lupi voracitate, et homo sordide avarus (Avidienus, cui Canis, ex vero ductum, cognomen adhæret) cum canis spurcitia et impudentia; sensus igitur: Neutrum imitabitur sapiens, luxuriosus enim lupo, et avarus cani est similis. — *urget*, imminet, infestus est, molestus est.

65. *Mundus erit*, etc. Transit ad laudes victus tenuis, quo sapiens utitur. Sensus: Sapiens eatenus recte dicetur *mundus*, quatenus convivas non offendat sordibus; idemque, quod ad externum convivii cultum spectat, in neutram partem (*miser erit*) nimius vel reprehendendus erit, h. e. neque in mundiore cultu modum excedet, neque sordibus convivium inquinari patietur; hic igitur neque in servos, dum sua cuique ministeria adsignat, ad Albutii exemplum, si quid peccaverint vel commaculaverint, sæviet, neque, sicut candidus et mitioris animi Nævius, indulgebit servis, si aquam impuram et sorde pollutam convivis præbuerint; hæc quoque indulgentia ad vitia pertinet. — *qui non;* pro: *qui*. Bentleius, secutus Schol. Acr. dedit *qua* (quatenus), sed eodem redit *qui* cum conjunctivo. — Heindorfius jungit *cultus* in genitivo cum *miser*, quod est durissimum; nam exempla, ab eo allata, huc non quadrant; ego *cultus* in genitivo ad *in neutram partem* refero, et *miser* pro: nimius, explico.

66. *Hic neq. servis*, etc. Hic homo sapiens medium tenebit; non imitabitur Albutium in convivii apparatu anxie et insane accuratum, neque Nævium nimis in eadem re incuriosum et negligentem. Ed. — *munia didit*, dum servis munera, officia dividit, quod agere quisque debeat distribuit. Ed. — *Sævus erit;* Albutius ille adeo in accipiendis convivis accuratus erat, ut si quid in lautitiis ejus-

Digitized by Google

Sævus erit; neque, sicut simplex Nævius, unctam
Convivis præbebit aquam: vitium hoc quoque magnum.
Accipe nunc, victus tenuis quæ quantaque secum
Afferat. In primis valeas bene: nam variæ res
Ut noceant homini, credas, memor illius escæ,
Quæ simplex olim tibi sederit; at simul assis
Miscueris elixa, simul conchylia turdis,
Dulcia se in bilem vertent, stomachoque tumultum

modi mensarum atque apparatu, a servulis peccaretur, in eos graviter sæviret. De quo Schol. Porph. « Hic est Albutius, qui elegans conviviorum apparator sævus est habitus in servos. » Schol. Cruq. asper in exigenda a singulis pensi ratione castigandoque, adeo, ut servos non nunquam castigaret prius, et cæderet, quam peccassent, dicens, vereri se, ne, quum peccassent, cædere tunc ei non vacaret. » Ed. — *simplex*, nimis incuriosus, negligens; qui aquam vel vino miscendam, vel affundendam manibus vel ad balnea, non puram et limpidam, ut fit, sed unctam, i. e. sorde inquinatam et pinguem præbebat. Hinc infr. de servis, Sat. II, 4, 78: « Magna movent stomacho fastidia, seu puer unctis Tractavit calicem manibus, dum furta ligurrit. » Vid. supr. Sat. IV, l. 2, 88. Ed. — *vitium hoc quoque magnum*, nimia negligentia non vitium minus est, quam nimia accuratio. Ed.

70. *Accipe nunc victus tenuis*, etc. Postquam multa attulit adversus luxuriosam vivendi rationem, jam transit poeta ad simplicis victus laudem, quod totius carminis propositum est, et ad primum versum apprime refertur. Ed. — *quæ quantaque*, sub. commoda. — *valeas bene*, hoc subjunctivum *valeas* cum præced. jungendum est subaud. ut: hoc commodum affert inprimis tenuis victus, ut bona valetudine fruaris. Ed. — *nam variæ res Ut noc. homini, credas*, persuasum habeas, varia ciborum genera homini nocere, memor illius escæ, etc. multa ciborum genera et difficilius concoqui et stomacho graviora esse quis nescit? ad quam rem confirmandam Horatius, quod quisque expertus est, testatur. Ed. — *escæ, Quæ simplex olim tibi sederit*, in stomachum demissa nihil ibi molestiæ et tædii excitaverit; tenuis enim et simplex victus quiete et sine molestia sedet in stomacho; *simplex*, non varia, sed unius modi. Plin. lib. XI, c. 117: « homini cibus utilissimus simplex; acervatio saporum pestifera, et condimento perniciosior. » Ed. — *at simul assis*, etc. At simul ac miscueris *elixa*, coctas carnes cum *assis*, carnibus tostis; simul ac miscueris *conchylia*, ostrea, pisces cum *turdis*, avibus, tum dulcia, etc. Ed. — In *miscueris* ultima syllaba per cæsuram producitur. — *in bilem*, bilis est humor siccus et calidus; *pituita* humor frigidus et humidus, unde in-

Digitized by Google

Lenta feret pituita. Vides, ut pallidus omnis
Cœna desurgat dubia? Quin corpus onustum
Hesternis vitiis animum quoque prægravat una,
Atque affigit humo divinæ particulam auræ.
Alter, ubi dicto citius curata sopori
Membra dedit, vegetus præscripta ad munia surgit.
Hic tamen ad melius poterit transcurrere quondam,
Sive diem festum rediens advexerit annus,
Seu recreare volet tenuatum corpus, ubique

ter se pugnant, et *tumultum*, id est, bellum intestinum stomacho afferunt. — *Lenta* dicitur pituita, quia frigida et viscosa est. Ed. — *pituita*, quatuor syllabis pronuntiandum, ut infr. Epist. I, 1 : « vers. ult. » Ed.

76. *Vides, ut,* etc. Poeta jam hominem variis cibis gravatum depingit. Ed. — *pallidus omnis*, quippe qui impeditus nimia ciborum copia, jam quasi morbo laborat. Ed. — *Cœna dubia*, ob magnam lautissimarum epularum copiam, ubi conviva, quid potissimum sumat, dubitet; locutio Terentiana Phorm. II, 2, 28 : « cœna dubia apponitur... quid istuc verbi est?... ubi tu dubites quid sumas potissimum. » Ed. — *desurgat*, h. e. surgat de cœna.—*Quin corpus onust. Hesternis vitiis*, etc. poeta jam de die nimiam convivationem sequenti loquitur; ciborum enim heri sumptorum copia non solum corpus onerat et impedit, sed simul animum prægravat. Hoc scilicet cuivis notum est, ægrotante corpore, ac inprimis impedito stomacho, animum nihil valere. Ed. — *vitiis*, suaviter de cibis, qui præter modum sumuntur. — *divinæ partic. auræ*, cælestis originis animum. Jam Pythagoras et post eum Stoici hominum animos divinæ mentis et animæ mundi σπέρματα quasi et ἀποσπάσματα esse statuebant. Virgil. Æn. VI, 730 : « Igneus est ollis vigor et cælestis origo Seminibus, » ubi vid. Heyn. et Lambin. ad h. l. — *Alter*, qui parcus et frugalis est; frugalem hominem opponit priori, qui nimium cibis indulget. Ed. — *dicto citius*, hæ voces non ad vocem *sopori*, sed ad *curata membra* referendæ sunt; sermo jam est de cœna frugali, quæ *cœnæ dubiæ* opponitur; post cœnam frugalem dicto citius peractam somnus et placida quies capitur.—*vegetus*, alacer ad præscriptas officio et negotiis suis vices surgit. Ed.

82. *Hic tamen*, etc. Verum enim vero hic, qui tenui victu contentus vivit, poterit (*quondam*) nonnunquam *transcurrere ad melius*; transire ad victum meliorem sive lautiorem, poterit nonnunquam lautius vivere. — *Sive diem festum*, etc. In diebus festis, qui certis quibusdam anni tempestatibus redeunt. Ed. — *tenuatum*, attenuatum laboribus et exhaustum viribus. Notum est illud Ovidii, de Art. Am. I, 735 : « Atte-

Digitized by Google

Accedent anni, et tractari mollius ætas
Imbecilla volet. Tibi quidnam accedet ad istam,
Quam puer et validus præsumis, mollitiem, seu
Dura valetudo inciderit, seu tarda senectus?
Rancidum aprum antiqui laudabant, non quia nasus
Illis nullus erat; sed, credo, hac mente, quod hospes
Tardius adveniens vitiatum commodius, quam
Integrum edax dominus consumeret. Hos utinam inter
Heroas natum Tellus me prima tulisset!
Das aliquid famæ, quæ carmine gratior aurem

nuant juvenum vigilatæ corpora noctes. » — *ubique Accedent anni*, et ubi senex eris. Ed. — *tractari moll. ætas Imbecilla volet*, corpus enim annis confectum, et variis senectutis incommodis debilitatum, lautiores cibos poscit. Ed.

86. *Tibi quidnam*, etc. Quomodo ad molliorem vitam, quam jam puer et ætate validior præcipis, nova tibi in morbo aliquo vel in senectute accedere potest jucunditas? nam jucunditas illa jam præcepta est. — *præsumis*, ante tempus sumis. Ed. — *Dura valetudo*, in qua corpus luculentioribus cibis reficiendum est. Ed.

89. *Rancidum apr. antiqui laudabant*; jam frugalitatem commendat ex majorum exemplo. Aliquod erat, ut videtur, Romæ vetus proverbium de rancido apro; aper rancidus, h. e. propter vetustatem jam aliquid putidi olens, laudabatur ut frugalitatis indicium: quia id erat signi hunc aprum sæpius mensæ appositum fuisse, et frustatim diuque comesum. Ed. — *non quia nasus Illis nullus erat*, non quia rancidi odore delectarentur, aut nullum ad eam percipiendam nasum haberent. Ed. — *hac mente*, etc. Rati scilicet commodius, opportunius esse hunc aprum licet *vitiosum*, vitio mali odoris corruptum, rancidum ab hospite tardius adveniente comedi, quam ab ipso domino *integrum*, recentem ac totum, consumi. Ed. — *edax*, gulosus, qui totum aprum, recentem, citissime, antequam vitiaretur, consumeret. Ed.

92. *Hos utinam inter Heroas nat. Tellus me prima tulisset!* Utinam vixissem ætate illa Heroica! Lepidissima optationis exclamatio, in qua Horatius heroas vocat majores, quod adeo luxum omnem in victu ignorabant, ut rancidum aprum laudarent. Ed. — *Tellus prima*, ætas antiqua. Nam in primis temporibus, tellus junior fuit. Ed. Supr. Sat. I, 3, 99: «Quum prorepserunt primis animalia terris. » Ubi cf. not.

94. *Das aliquid famæ*, post valetudinis curam, ad famam transit poeta: quod si das aliquid famæ, quodsi te tangit cura famæ tuæ, quæ omni cantilena gratior ad hominum

Digitized by Google

Occupat humanam? grandes rhombi patinæque
Grande ferunt una cum damno dedecus. Adde
Iratum patruum, vicinos, te tibi iniquum,
Et frustra mortis cupidum, quum deerit egenti
As, laquei pretium. « Jure, inquis, Thrasius istis
Jurgatur verbis; ego vectigalia magna
Divitiasque habeo tribus amplas regibus. » Ergo,
Quod superat, non est melius quo insumere possis?

aures accedat. Ed. — *quæ gratior Occupat;* non, *occupet.* Schol. Porph. « Hoc Antisthenes dixisse traditur. Is enim, quum vidisset adolescentem luxuriosum acroamatibus (hominibus convivas inter cœnam cantu dictisque exhilarantibus) deditum, ait, miserum te, adolescens, qui nunquam audisti summum acroama, laudem tuam. » Huc pertinet locus Ciceronis a Lambino allatus pro Arch. c. 9 : «Themistoclem dixisse aiunt, quum ex eo quæreretur, quod acroama, aut cujus vocem libentissime audiret: ejus, a quo sua virtus optime prædicaretur. » — *rhombi;* vid. supr. ad Epod. II, 50. — *cum damno,* cum rei familiaris jactura.

97. *Iratum patr. patruæ verbera linguæ,* ut Horat. supr. Od. III, 12, 3, de patruo, ut severo morum castigatore, loquitur; ubi cf. not. — *vicinos,* vicini irascuntur etiam tibi, te despiciunt, quia insaniam tuam aprime noverunt. Ed. — *te tibi iniq.* te tibi ipsi irascentem. — *frustra mortis cupidum,* amissa fortuna mortem cupies, at non poteris mori, quum æs ad emendum funem non habeas. Ed. — *laquei pretium,* ad emendum enim laqueum, quo gula frangatur, æs vel minimum sufficit. Comparant apposite Plaut. Pseudol. I, 1, 86 : « Ps. Sed quid de drachma facere vis? Ca. Restim volo Mihi emere. Ps. Quam ob rem? Ca. Qui me faciam pensilem. » Alii pro *æs,* legunt *as,* quod admisi, et eodem redit. Ed.

99. *Inquis,* alii volunt *inquit,* h. e. ait dives aliquis. Sensus et nexus : Hæc ad me non pertinent, inquit aliquis dives, qui luxuriose vivit; Thrasius istis verbis jure objurgatur, quo ego sum longe ditior; nam ego *vectigalia magna,* h. e. magnos reditus, etc. ut supra Od. III, 16, 40 : « parva vectigalia, » de modicis reditibus; ubi vid. notata. — *Thrasius,* de illo Thrasio nihil amplius notum. Ed. — *Jurgatur,* objurgatur, reprehenditur a te isto modo. Ed. — *tribus amplas regibus,* satis amplas tribus regibus, quæ tribus regibus sufficerent. Ed.

102. *Quod superat, non est melius,* etc. Non habes quomodo melius possis insumere quod tibi superfluum est? nonne est prudentior et rectior ratio insumendi hoc quod tibi superest? Ed. — *superat,* pro superest; frequentissime enim *superare* pro superesse. Ed. — *Cur eget indign.* etc.

Digitized by Google

Cur eget indignus quisquam te divite? quare
Templa ruunt antiqua deûm? cur, improbe, caræ
Non aliquid patriæ tanto emetiris acervo?
Uni nimirum tibi recte semper erunt res!
O magnus posthac inimicis risus! Uterne
Ad casus dubios fidet sibi certius? hic, qui
Pluribus adsuerit mentem corpusque superbum?
An qui, contentus parvo metuensque futuri,
In pace, ut sapiens, aptârit idonea bello?
Quo magis his credas, puer hunc ego parvus Ofellum
Integris opibus novi non latius usum,

Cur non potius tuarum divitiarum pars aliqua in pauperes effunditur. Ed.— *indignus,* immeritus, qui non debet egestate premi, qui divitiis dignus est. Ed. — *te divite,* dum dives es. Ed.— *Templa antiqua,* supr. Od. III, 6, 3, vocantur *ædes labentes deorum.*— *Non aliquid,* etc. Tune a te impetrare non potes, ut ex tantis divitiis conferas aliquid in publicum caræ patriæ commodum? suaviter dives, quasi modiis metiatur pecuniam, repræsentatur.— *caræ,* quæ tibi cara debet esse. Ed.

106. *Nimirum*, ut *scilicet, videlicet,* inservit irrisioni, ubi ejus, quod affirmatur, contrarium intelligendum est.— *tibi recte semper erunt res,* res semper tibi salvæ erunt, non mutabili fortunæ obnoxiæ erunt! — *posthac,* si expertus fueris fortunæ inconstantiam. — *magnus risus,* pro vulgari: magno risui eris. Similiter aliquis *ludus jocusque* esse dicitur. —*Uterne,* uter tandem; legitur etiam *uternam.* Ed.—*Ad casus dubios fidet sibi certius?* perfugium in rebus afflictis certius et paratius habebit, confidet se fortunæ casibus dubiis non evertendum; *casus dubii,* h. e. adversi, ut Od. IV, 9, 35: « .... et secundis Temporibus dubiisque rectus. » Ed.— *hic, qui pluribus,* etc. An hic certius in mala fortuna perfugium habebit, qui *pluribus rebus,* rerum abundantiæ se assuefecerit, se laute tractaverit. Ed. — *corpusque superbum,* lauto cultu victuque superbiens. Ed.— *An qui,* an is, qui in rebus secundis prudenter vitæ paucis contentæ assuefactus, ut sapiens, ad res adversas perferendas se præparaverit; suaviter paucis contentus comparatur cum eo, qui ad hostem, qui forte contra se exsurgat, repellendum jam in pace idoneis armis se instruit.

112. *His,* quæ præcepit Ofellus. Hactenus videtur locutus fuisse Ofellus, jam autem pro se loquitur Horatius, illiusque axiomata confirmat. Ed. — *novi* pro: cognovi, vidi. — *latius,* liberius, largius, profusius. Juvenal. XIV, 234: « adeo indulgent sibi latius ipsi. »— *Integris opi-*

Digitized by Google

Quam nunc accisis. Videas metato in agello
Cum pecore et gnatis fortem mercede colonum,
« Non ego, narrantem, temere edi luce profesta
Quidquam præter olus fumosæ cum pede pernæ.
Ac mihi, seu longum post tempus venerat hospes,
Sive operum vacuo gratus conviva per imbrem
Vicinus, bene erat, non piscibus urbe petitis,
Sed pullo atque hœdo; tum pensilis uva secundas
Et nux ornabat mensas cum duplice ficu.

bus, opibus quas integras tunc *possidebat*. Ed. — *nunc accisis*, imminutis. Ed. — *Videas*, videre tibi nunc eum licebit; *metato in agello*. Schol. Acr. « Iste Ofellus proscriptus est, quia erat in parte Cassii, et possessio ejus tradita est militibus Augusti, quam Ofellus postea ab iis conduxit. Hinc metato (passive, ut supr. Od. II, 15, 15, et apud Livium XLIV, 7) in agello (agri enim pertica metati, sive ad mensuram decempedarum veteranis tradebantur) nunc opus faciebat miser Ofellus, ab eo, cui cedere debuerat agrum suum, mercede conductus. » — *fortem*, gnavum et robustum, infr. Epist. II, 1, 139: « Agricolæ prisci, *fortes*, parvoque beati. » Tibull. II, 2, 14: « *Fortis* arat valido rusticus arva bove. » Vox autem illa *fortem*, hic non solum ad corporis et membrorum vim referenda mihi videtur, sed etiam ad animi robur, adversis rebus minime fracti. Ed. — *Non ego, narrantem, temere edi*, etc. Sic construe: videas illum fortem colonum narrantem hæc; ego nihil comedi temere in luce profesta nisi olus et solummodo pedem pernæ. Ed. — *temere*, facile, sine gravi causa. Ed. — *luce profesta*, dies *profesti* opponuntur diebus festis, ut infr. Sat. 3, 144: « Qui Veientanum *festis* potare diebus Campana solitus trulla, vappamque *profestis*, » et supr. Od. IV, 15, 25. — *pernæ*; πέρνα, πτέρνα: est petasonis pars carnosior (Athen. XIV, 75), pedibus porci tam anterioribus, quam posterioribus proxima, cum totis pedibus: *fumosa*, quia focis ad fumum suspensa siccabatur. Gall. *jambon fumé*. Ed.

118. *Longum post tempus*, etc. Nota hæc verba, non sine delectu posita, quibus indicatur colonos et ruricolas, suo labori intentos, raro itinera suscipere, raro suas domos linquere. Ed. — *operum vacuo*, mihi, cui ob imbrem rusticis laboribus operam dare non licebat. — *Vicinus*, diebus enim pluviosis vicini vicinos in agris invisere solent. — *bene erat, non piscibus*, etc. Genio indulgebamus, non quidem ad piscium urbe petitorum, sed ad hædi atque pulli ferculum; *bene esse aliqua re*, esse contentum alicujus rei fructu. — *pullo atque hœdo*, domesticis scilicet animalibus, et dapibus inemptis. Ed. — *pensilis uva*, uva suspensa et siccata;

Digitized by Google

Post hoc ludus erat culpa potare magistra;
Ac venerata Ceres, ita culmo surgeret alto,
Explicuit vino contractæ seria frontis. 125

uvæ, quas diutius integras servare volumus, nunc quoque filis suspendi solent in ædibus. — *secundas mensas*, in quibus bellaria et fructus apponebantur. Vid. Od. IV, 5, 31. Ed. — *cum duplice ficu*; plurimæ de hac voce interpretationes: alii scilicet intelligunt ficus bifidas; ficus enim in duas partes divisæ siccabantur, et tunc aridæ in mensa secunda apponebantur; vid. Pallad. de Re Rust. IV, 10, 35, et ibi Schneid. et Veget. I, 38, 6, et I, 56, 17. Alii autem explicant ficum duorum generum, h. e. albam et nigram. Alii denique accipiunt *duplice* pro latiore, ingentiore, ut Virg. Georg. III, 87: « duplex agitur per lumbos spina, » pro *spinalatior*; et multi alii pro *majore* posuerunt *duplex*. Aliam etiam dabimus interpretationem, ingeniosam sane ac minime contemnendam, quam, a nullo commentatore propositam, a Neapolitano adolescente, egregiæ spei, Caponio nomine, accepimus; ficum scilicet duplicem esse geminas ficus, exsiccatas, quarum altera alteri juncta est, ita ut in unam ambæ coierint; quod sane notioni verbi *duplicis* adprime convenit. Vide Excursum V, *de ficu*, pag. 496, t. VIII, edit. nostræ Plinianæ, ubi hanc J. Caponii luculentam dissertationem grato et bene memori animo retuli. Quas omnes interpretationes non satis nobis confirmatas videri fatebimur; lector quam volet, elegerit. Ed.

123. *Post hoc*, etc. Post illas agrestes epulas et inemptas, non alius nobis ludus magis arridebat, quam potitare ea lege, ut is, qui contra leges convivii magistras culpam aliquam sibi contraxisset, cyathorum numerum quemdam *pro pœna potare* cogeretur, et suam in ludendo culpam quasi magistram vini, qua bibere juberetur, haberet. Solebant enim Romani, ut jam multoties diximus, aliquem bibendi arbitrum, et convivii magistrum constituere, qui præscriberet, quot quisque cyathos biberet. Ita, in hoc ludo Ofelli, culpa cujusque erat velati magistri vini, quæ quoties biberetur, ediceret. Legunt alii *cupa*, vel *cuppa magistra*. Est autem cuppa vas vinarium; eritque hæc sententia: nullum alium potandi magistrum, quam ipsam cuppam adhibere, id est, libere quantum cuique videretur, quantum ipse cyathus ferret, hic nobis ludus erat. Nos, *boire à tire-larigot*: vel, ut Vet. Schol. potare sine Archipoesia, suo arbitratu; nullum præter ipsam culpam timere bibendi magistrum, qui modum potationis excedere prohibeat: ita Robert. Stephan. et Sanadon. Ed.

124. *Ac venerata Ceres, ita*, etc. *Venerata* (passive) sc. libatione, ut *ita* (sc. venerata) *culmo surgeret alto*, segetem alte excrescere juberet. — *Explicuit vino*, etc. Sensus est: pleni spe boni messis uberioris, quam nobis venerata Ceres facere videbatur, ad largius bibendum nos invitabamus, et curas ac negotia seria, quæ frontem

Digitized by Google

Sæviat atque novos moveat Fortuna tumultus:
Quantum hinc imminuet? quanto aut ego parcius, aut vos,
O pueri, nituistis, ut huc novus incola venit?
Nam propriæ telluris herum natura neque illum,
Nec me, nec quemquam statuit; nos expulit ille;
Illum aut nequities, aut vafri inscitia juris,
Postremo expellet certe vivacior heres.'
Nunc ager Umbreni sub nomine, nuper Ofelli
Dictus erat, nulli proprius; sed cedit in usum

contrahunt, discutiebamus vino; animos exhilarabamus. Ed. — *Sæviat atque novos*, etc. Jam parco victu contentus, et hilariter inter amicos degens, fortunæ ictus provocat et contemnit Ofellus. Ed.

126. *Quantum hinc;* ex his angustis opibus, quid mihi poterit auferre, qui parvo sum contentus. Alii: *eminuet*, vel *deminuet*. Ed. — *quanto ego parcius, aut vos*, etc. Sententia et ordo est: ut, postquam in agrum venit novus incola, postquam alius agro meo me spoliavit, quanto parcius, an ideo parcius, o servi, ego et vos viximus? Ed. — *nituistis*, suaviter pro: nutriti estis; nam bene nutriti, præcipue rustici, *nitent* vultu et corpore; Tibull. II, 1, 21: « Tunc *nitidus* plenis confisus rusticus agris, Ingeret ardenti grandia ligna foco. » Phædr. III, 7, 4: « unde sic nites? » — *ut*, postquam, ex quo tempore. — *novus incola*, advena, novus agelli nostri possessor, cujus nomen, ut ex versu 135 discimus, fuit Umbrenus; Virgil. Eclog. IX, 2, 3: « O Lycida, vivi pervenimus (sc. ad hanc tristem sortem), advena nostri (Quod nunquam veriti sumus) ut possessor agelli Diceret: hæc mea sunt, veteres migrate coloni. » Mire *incolam* vocat, quem Virgilius *possessorem*: neminem enim vere possessorem, vere perpetuum dominum putat. Ed.

129. *Propriæ*, ut propria cuique maneat et perpetua quasi possessio. Hinc v. 134: « ager nulli *proprius*. » — *nequities*, vita nefaria et flagitiosa, qua quis bona sua perdit. — *vafri*, refer ad vafritiem hominis, qui jus callida interpretatione in rem suam detorquet; hinc supr. Sat. I, 3, 130, jurisconsultus Alfenus, dicitur *vafer*. — *vivacior*, longius altero vivens; supr. Sat II, 1, 53: « vivax mater: » infra Epl. II, 2, 172, et seqq. ubi de *proprio* et *hæredibus* agitur. Ed.

133. *Nunc ager Umbr.* Ille ager, qui non ita pridem ager Ofelli dicebatur, qui nunc sub Umbreni nomine dicitur, etc. Ed. — *nulli proprius*, nulli perpetuus. Cicer. Parad. IV: « Nihil neque meum est, neque cujusquam, quod auferri, quod eripi, quod amitti potest. » Et Publius Syrus, Sentent. 466: « nil proprium ducas, quod mutarier potest. » Ed. — *sed ced. in us. Nunc mihi nunc alii*, ut viatoribus diversorium. Unde Cato: « com-

Digitized by Google

Nunc mihi, nunc alii. Quocirca vivite fortes, 135
Fortiaque adversis opponite pectora rebus. »

morandi nobis diversorium, non habitandi locum natura dedit. » Ed. — *Quocirca vivite fortes*, etc. Quum igitur ea sit rerum humanarum natura, ut continuo mutentur, minime vos dejiciant mutationes aut vicissitudines; et fortunæ ictus omnino despiciatis, ut ego facio. Ed. — *fortiaque*, etc. Festiva heroici carminis imitatio, qua serium risu diluat. Metaphora a natantibus flumine adverso. Ed.

Analysis. Dum in hac Satira Horatius frugalitatem commendat, luxuriosamque vitam insectatur, iis auditoribus verba fecisse nunc videtur, quos minime emendari posse ipse apprime sciebat, et ea præcepta dedisse, quæ profiteri et philosophice publicare bonum judicabat, exsequi autem et actu perficere minime ipse curabat. Ea enim ætate vivebat Horatius, qua Romani ad priscos veterum temporum mores nullo modo revocandi erant, et ipse poeta, licet effrænatæ in victu luxuriei alienus, vitæ tamen delicias, ac præsertim conviviorum voluptates non tantuli faciebat, ut Mæcenatis ceterorumque, quibus familiariter utebatur, divitum hominum mensas, simpliciori Ofelli victu libenter mutavisset. Unde, ne frugalitatem ipse commendans, lectionem potius a philosopho magistro in juventute acceptam recitare, quam veritatem aliquam usu probatam edocere videretur, a rustico quodam tradita esse hæc omnia fingit; cujus etiam præceptis, quidquid durius esset, detrahit, eaque, ut hominem urbanum, Mæcepatisque sodalem decebat, comiter temperat. Ea fere est sententiarum series: qui corpus exercet, ei viles cibi optimi videbuntur, quum fames optimum sit condimentum. Qui autem absque fame semper comedit, is ne luculentis quidem cibis delectabitur. Unde eo devenerunt homines, ut dapes, non jam sapore, sed externis dotibus, pretio, raritate, formæ pulchritudine, magnitudine æstiment; et sic non nisi in opinione cujusque cibi excellentia sita sit. Olim scilicet accipenser cibus pretiosissimus videbatur; nunc autem rhombi et ciconiæ pulli; ita ut mergi etiam, macilentæ aves, suavissimi videri possint, si quis hoc edixerit. Reprehensa nimia luxuria, non sordidum victum commendat Ofellus; sed ita vivendum est, ut vitium utrumque vitetur, mediumque teneatur. Multa autem secum commoda affert temperantia; ciborum enim varietas ac multitudo valetudini, nocet corpus onerat, et animum prægravat. Famæ etiam nonnihil detrahit nimia in victu luxuria; divitiis etiam sapientius utendum est, æque melius in indignos effundentur, quam in insanis sumptibus consumentur. Denique, qui parvo contentus esse assuerit, is nihil a mala fortuna timebit. Finem capit Satira directa Ofelli allocutione, in qua resumuntur omnia ipsius præcepta, exponiturque jucunda moderatæ vitæ imago. Ed.

Digitized by Google

SATIRA III.

Horatius hoc dialogo lepide excutit, paradoxum illud Stoicum: « omnes homines insanire; » atque ipsos Stoicos, qui hoc docent, sub personis Damasippi et Stertinii acute vellicat.

DAMASIPPUS.

Sic raro scribis, ut toto non quater anno
Membranam poscas, scriptorum quæque retexens,
Iratus tibi, quod vini somnique benignus
Nil dignum sermone canas. Quid fiet? Ab ipsis

1. *Sic raro*, raro, et quidem tam raro, *ut*, etc. *Scribis*, sc. carmina.— *ut toto non quater anno*, etc. H. e. ut per totum annum non amplius scribas, quam quod in quatuor membranis contineatur. Ligneis enim tabulis cera obductis utebantur Romani, si quid parum accurate scriptitarent, quia in eis tabulis, quod scriptum erat, facile cera complanata deleri posset; in chartis autem, ex intimo et tenuissimo papyri cortice factis, vel in membranis e pelle detracta membris animalium, describebant quod servatum vellent, aut editum in vulgus. Significat igitur Damasippus Horatium multa scribere emendanda et retexenda, pauca autem tam accurata ac perfecta ut jam in vulgus emittantur, quare raro membranis ille uteretur. Aliter vero erat de hoc Suffreno, de quo Catullus, Car. XXII, 5: « Puto ego illi millia, aut decem, aut plura Perscripta, nec sic, ut fit, in palimpsesto Relata; chartæ regiæ, novi libri, » etc. Ed.— *scriptorum quæque retex*. Omnia, quæ scripsisti, retractans, emendans, expoliens, et, quæ displicuerint, expungens; quod fiebat in palimpsesto, sive tabula cerata, unde scripta referebantur in *membranam*.— *retexere*, translatum sane est a tela texta, quæ resolvitur; num vero poeta de Penelope cogitaverit, nolim equidem contendere cum interpretibus. — *vini somnique benignus*, ad largiores vini haustus et ad vitam desidem propensus; *benignus* cum genitivo, ut *largus lacrimarum* apud Plaut. Asin. III, 1, 30. — *dignum sermone*, memoratu dignum (λόγου ἄξιον).

4. *Quid fiet?* quid igitur facies? scribesne tandem, necne?— *Ab ipsis Saturnalibus huc fugisti!* at videris certe ad scribendum appulisse animum, quia ab *ipsis Saturnalibus* ex strepitu urbis, ubi nunc omnes læti-

Digitized by Google

Saturnalibus huc fugisti! Sobrius ergo
Dic aliquid dignum promissis: incipe.... nil est!
Culpantur frustra calami, immeritusque laborat
Iratis natus paries dîs atque poetis.
Atqui vultus erat multa et præclara minantis,
Si vacuum tepido cepisset villula tecto.

tiæ genioque suo indulgent, (*huc*) in otiosam tuam villam Sabinam te recepisti. — De *Saturnalibus*, quæ in memoriam aureæ ætatis, ubi sub auspiciis Saturni communi libertate et æqualitate fruebantur homines, per aliquot dies inde a d. XIV, Calend. Januar. licentius fere et luxuriosius celebrari solebant, nota sunt omnia. —*Sobrius ergo*, ergo in villa tua, ubi ab urbana luxuria remotus nunc sobrie vivis. — *Dic aliquid dign. promissis*, cane carmen, quod respondeat excitatæ exspectationi; nam Horatius, se aliquid scribere velle, *si* (ut v. 10, dicitur) *vacuum tepido cepisset villula tecto*, promisisse quasi videtur, certe *vultum multa et præclara minantis* in villa sua præ se ferebat. — *incipe*, et mox, quasi aliquamdiu, sed frustra exspectasset, addit: *nil est*, nihil in medium profers. Alii intelligunt: nihil est excusationis. Quam lectionem libentius accipiam, ut sequentibus melius respondentem, scilicet: nihil est quo te excuses; non potes culpare calamos, etc. Ed.

7. *Culpantur frustra calami;* lepide fingit Damasippus Horatium pueriles illas excusationes præ se ferre, pigrorum instar, de quibus Persius Sat. III, vs. 12, sq. «Tum queritur crassus calamo quod pendeat humor, Nigra quod infusa vanescat sepia lympha; diffusas queritur geminet quod fistula guttas.... An tali studeam calamo? » Ed. — *immeritus paries laborat*, male se habet, male tractatur, sc. a poeta, qui, se nihil versuum proferre posse, indignans, *in parietem innocentem* iram effundit, eamque vel capite, vel pedibus, vel manibus petit pulsatque; *paries immeritus*, ut supr. Od. I, 17, 28, *vestis immerita* scindi dicitur. — *Iratis natus paries dîs atque poetis*, quod ad tristem sortem natum est, diis iratis natum esse dicitur; paries autem, qui irum poetarum experitur, non tantum *dîis iratis*, sed etiam, quod jocose additur, *poetis iratis* natus dicitur. Alii volunt poetas noctu scribentes carmina, habere ad lecti spondam, parietem cera obductum, eumque parietem diis et poetis iratis natum dici, quia nihil ab Horatio in eo scriberetur. Qui sensus longius quæsitus mihi videtur. Ed.

9. *Vultus erat minantis*, pro vulgari: videbaris minari, speciem minantis præ te ferebas; *minari* neque ad satiras minaces referendum, neque cum ironia de malis versibus dictum; sed simpliciter pro: meditari, promittere, moliri. Simillime infr. Epist. I, 7, 3: « Si quæret quid agam, dic multa et pulchra minantem Vivere nec recte, nec suaviter.» — *Si vacuum tepido cepisset villula tecto*, elegans

Digitized by Google

Quorsum pertinuit stipare Platona Menandro?
Eupolin, Archilochum, comites educere tantos?
Invidiam placare paras virtute relicta?
Contemnere, miser: vitanda est improba Siren,
Desidia: aut, quidquid vita meliore parasti,
Ponendum æquo animo.

HORATIUS.

Dî te, Damasippe, deæque,

est hujus versus structura et numerus; *vacuum* (pro: te) sc. rerum, quibus adhuc poeta in urbe distentus fuerat; in carmine precedente Ofellus, rusticus, *vacuus operum* dicebatur. — *tepido*. Schol. Cruq. « Amavit enim Horatius focum luculentiorem; idcirco sub hiemem solebat se transferre in villam propter lignorum copiam. » Sed nec in Urbe, puto, lignum deficiebat Horatium, qui villam suam ideo potius dixisse videtur *tectum tepidum*, h. e. gratum, jucundum, quia ibi in modico conclavi melius corpus fovere, et a frigore tueri poterat.

11. *Quorsum pertinuit* (spectavit) τὸ *stipare*, pro vulgari: in quem finem, quo consilio stipasti. — *stipare* jam est: arctius colligare, compingere et inter se jungere, quod fit, si libros quoquam portandos vel vehendos curamus. — *Menandro*, Atheniensi, comœdiæ novæ auctori, ad cujus exemplum Afranius (Epist. II, 1, 57) et Terentius se composuere. Ceterum hic locus memorabilis est, quum ex eo discamus, quorum præcipue scriptorum lectione Horatius animum pascere solitus sit. — *Eupolin*; cf. supr. ad Sat. I, 4, 1. — *Archilochum*, Parium, carminis iambici principem, cujus imitatorem se ipsum profitetur Horatius, infr. Epist. I, 19, 23. — *educere*, ex urbe tecum ducere, *tantos*, tantæ famæ.

13. *Invidiam.... virtute relicta*, tune, intermisso Satiras scribendi studio, invidiam, quam eo tibi conflasti, placare studes? Satiras scribendi studium vocatur *virtus*, quia illud in carpendis hominum vitiis, et proinde in virtute commendanda versatur. — *Contemnere*, qui prius tibi Satiras scribenti invidebant, jam te Satiras relinquentem contemnent. Ed. — *improba Siren*; Sirenes monstra marina erant, partim feminæ, partim pisces, quæ, supernæ formæ pulchritudine et cantus suavitate, prætereuntes nautas in scopulos pertraherent. Recte igitur desidia homines ad se alliciens, quos tandem quasi morte afficit, cum Sirene comparatur. Ed. — *quidquid*, sc. laudis, *vita meliore*, ubi non diffluebas ignavo otio, sed strenue tempus in deridendis hominum vitiis, vel universe in bonis artibus collocabas. — *Ponendum*, deponendum, dimittendum.

Digitized by Google

Verum ob consilium donent tonsore: sed unde
Tam bene me nôsti?

DAMASIPPUS.

Postquam omnis res mea Janum
Ad medium fracta est, aliena negotia curo,
Excussus propriis. Olim nam quærere amabam,

17. *Te... donent tonsore.* Horatius simulat, se nescire, Damasippum, tanquam philosophum, Stoicorum more, barbam pascere; (nam Damasippus causam, cur barbam alat, infra demum v. 35 aperit;) optat igitur Horatius, ut Damasippo tonsor contingat, qui ejus barbam, demetat. Et sic Horatius in gratiam ridicule severi consilii satis lepide ac salse cum Damasippo tanquam cum sene vultuoso agit, qui ex inopia philosophatur. Ed.—*Tam bene me nôsti?* Horat. ironice ait omnia vera de se a Damasippo dicta fuisse. Ed.

19. *Omnis res mea.... fracta est,* omnis res mea familiaris comminuta et fracta est, ut navis, quæ vi tempestatis in mari frangitur; hinc qui bona sua perdiderunt, dicuntur apud Ciceronem in Catilin. I, 12: *naufragi,* sic apud Græcos ναυαγεῖν et ναυαγός; vid. Jacobsii doctam notam ad Anthol. Græc. t. II, 1, p. 137 seqq.— *Ad Janum medium:* erat in foro Romano vicus Jani, a Jani bifrontis vel templo, vel signo, vel a tribus perviis transitionibus, *Janis* appellatis, ita dictus (de perviis transitionibus sive *Janis* vid. Interpretes in Sueton. Aug. 31); in cujus *media* parte (prima hujus vici pars *primus* seu *summus Janus,* media *medius Janus,* infima *infimus* vel *imus Janus* dicebatur, cf. infr. Epist. I, 1, 54), quæ fuisse videtur frequentissima, fœneratores, ad mensas vel tabernas argentarias sedentes, (Cic. de Offic. II, 25: « Sed toto hoc de genere, de quærenda, de collocanda pecunia, etiam de utenda, commodius a quibusdam optimis viris, fœneratoribus, *ad medium Janum* sedentibus, quam ab ullis philosophis ulla in schola disputatur. » Cf. Cic. Philipp. VI, 5) res suas agebant. Ibi igitur Damasippus in vasis antiquis, ut ipse paulo post narrat, et aliis rebus insano pretio coemendis nimius, versuram apud fœneratores faciendo bonorum naufragium passus est.— *aliena negotia,* quod aliis prosit, res aliorum.

20. *Excussus propriis,* perditis nimirum bonis, nihil, quod ad ipsum spectaret, curandum habebat Damasippus. — *quærere amabam, Quo ære,* pro vulgari: *quærere æs* (ærea vasa) *quo,* etc. Jam Damasippus, edisserens quomodo olim antiqua vasa conquisiverit, et sua cuique pretia statuerit, se elegantem veteris artis spectatorem jactat; *quærere* paulo latius jam patet; est enim non tantum, sibi aliquid acquirere, comparare, sed etiam in aliquid inquirere, aliquid examinare, dijudicare; Damasippus

Digitized by Google

Quo vafer ille pedes lavisset Sisyphus ære,
Quid sculptum infabre, quid fusum durius esset:
Callidus huic signo ponebam millia centum:
Hortos egregiasque domos mercarier unus
Cum lucro nôram: unde frequentia Mercuriali
Imposuere mihi cognomen compita.

HORATIUS.

Novi,
Et morbi miror purgatum te illius.

acquirere sibi olim studuerat æream pelvem, qua Sisyphus pedes lavisset; tum *quæsiverat*, inquisiverat et dijudicaverat: *Quid sculptum infabre, quid fusum durius esset.* Ceterum Damasippum veterum statuarum amatorem fuisse, discimus quoque ex Cicerone in Epist. ad Familiares VII, 23.—*Sisyphus*, filius Æoli, rex Ephyræ et Corinthi conditor, astutia inprimis notus, unde ille nunc *vafer*. Apud Homerum Iliad. VI, 53: « κέρδιστος ἀνδρῶν » vocatur. De pœna, ob latrocinia et alia dolose perpetrata facinora apud inferos ei perferenda, locus classicus est apud Homerum. Odyss. XI, 592 seqq.— *infabre*, haud ad artis fabrilis scientiam, inelegantер; contrarium est *affabre*. — *durius*, minus purgatum ab asperitate; contrarium est *mollius*. Virgil. Æn. VI, 847: « Excudent alii spirantia *mollius* æra. »

23. *Callidus*, ut homo veteris artis et veterum monumentorum recte æstimandorum bene peritus, subtilis judex, ut infr. Epist. I, 7, 101: « Subtilis veterum judex et *callidus* audis. » — *huic*, huic et illi, cuidam, ut v. 30: « Ut lethargicus hic, » aliquis, et sic passim *hic*. — *ponebam*, constituebam pro mea in his rebus scientia. — *millia centum*, sc. nummûm. — *Hortos. .. mercarier unus Cum lucro nôram*, hinc Cicero quoque a Damasippo hortos emere voluit. Epist. ad Attic. XII, 33: « Ego, ut heri ad te scripsi, si et Silius is fuerit, quem tu putas, nec Drusus facilem se præbuerit, Damasippum velim aggrediare. Is, opinor, ita parietes fecit in ripa nescio quotenorum jugerum, ut certa pretia constitueret. » Nota hæc: *cum lucro*; tantum enim lucrum fecit, ut rem omnem amiserit. Ed. — *frequentia compita*. Schol. Acr. « Auctiones fere in compitis fiunt, ex quibus se quædam emere solitum et vendere significat. Compita dicuntur viæ latæ, ad quas ex multis regionibus convenitur. » — *Mercur. Imp. mihi cognomen*, me vocarunt alterum Mercurium, mercaturæ præsidem; vel a Mercurio dilectum; Gall. *le favori de Mercure*. Ed.

26. *Novi*, subaud tuum hoc vitium. Ed.—*morbi ill.* insani illius emendi vendendique studii; *morbus*, ut νόσος apud Græcos, non raro de vitiis et cupiditatibus; *purgare*, Græce (ἀπο-

Digitized by Google

DAMASIPPUS.

Atqui
Emovit veterem mire novus, ut solet, in cor
Trajecto lateris miseri capitisve dolore;
Ut lethargicus hic, quum fit pugil, et medicum urget.

HORATIUS.

Dum ne quid simile huic, esto ut libet.

DAMASIPPUS.

O bone, ne te
Frustrere; insanis et tu, stultique prope omnes,
Si quid Stertinius veri crepat; unde ego mira

καθαίρω) cum genitivo, ut apud Livium XXXVII, 28: « Quibus pugnantibus civitatem *omnis facti dictique hostilis* adversus Romanos. »

28. *Novus*, novum studium, nempe philosophiæ Stoicæ: novum igitur insaniæ genus; nam Stoici quoque insaniunt. — *Trajecto.... dolore*, Damasippus vult dicere: postquam ex animo meo nimium omnia coemendi studium expuli, novæ rei, philosophiæ Stoicæ, studio me abripi passus sum; ut solet fieri, quum alicui ægroto lateris vel capitis dolor in stomachum trajicitur. Ed. — *miseri*, misere, h. e. valde, male affecti. — *Ut lethargicus hic*, etc. Sensus: Ut fere (*hic* vid. ad v. 23) aliquis, qui lethargia laborat, quum ex lethargico factus est phreneticus, pugilis instar, ruit in obstantes et impetum in medicum facere minatur. Vult igitur Damasippus hujusmodi ægroti comparatione ostendere, novum, quo nunc agitetur, studium longe illo vetere esse ferventius. Hanc Horatii comparationem imitatus est Boileau in Sat. IV: « Comme on voit qu'en un bois, que cent routes séparent, Les voyageurs sans guide assez souvent s'égarent, L'un à droit, l'autre à gauche, et courant vainement, La même erreur les fait errer diversement. » Vid. infr. vs. 50. Ed.

31. *Dum ne quid*: sis, per me licet, quicumque esse cupis, modo ne quid facias simile (*huic*) phrenetico pugili, h. e. modo ne te furor in me agat. Possis quoque *huic*, dum Horatius digitum in se intendit, pro *mihi* explicare. Sic supr. Sat. I, 9, 47: « Hunc hominem » pro: me. — *ne te Frustrere*, o amice, rides, et phrenesiam insaniamque mihi objicis; at ne te decipias, tu quoque insanus es. Ed. — *stultique prope omnes*, excepto sapiente. Aiebant enim Stoici stultos omnes esse, id est, aliqua vitiosa cupiditate implicatos laborare. Unde Sen. lib. II de Benef. « Insanire omnes stultos dicimus, nec tamen omnes curamus helleboro, his ipsis quos vocamus insanos, suffragium et jurisdictionem committimus. » Ed. — *Si quid Stertinius veri crepat*, si quid

Digitized by Google

Descripsi docilis præcepta hæc, tempore quo me
Solatus jussit sapientem pascere barbam,
Atque a Fabricio non tristem ponte reverti.
Nam male re gesta, quum vellem mittere operto
Me capite in flumen, dexter stetit, et: — « Cave faxis
Te quidquam indignum: pudor, inquit, te malus angit,
Insanos qui inter vereare insanus haberi.

veri profert Stertinius in maxima, quos de Stoicorum philosophia scripsit, librorum copia; nam, ut refert Scholiastes infr. ad Epist. I, 12, 20: « Stertinius philosophus ducentos et viginti libros Stoicorum latine scripsit. » *Crepare*, significanter de hominibus nimis verbosis et loquacibus. — *unde*, a quo, ex cujus ore; ut in Virgil. Æn. lib. I, 6: « ....genus unde Latinum: » — *me Solatus jussit sapientem pascere barbam*, me solatus, suasit mihi, jam futuro sapienti, ut barbam crescere sinerem; suasit mihi ut philosophus fierem; hoc enim philosophorum proprium erat, ut longam barbam, quasi in signum contemnendi corporis, haberent. Ed. — *a Fabricio non tristem ponte reverti*, et me, jam non tristem, jam solaminibus recreatum, a ponte reduxit. *Pons Fabricius*, ita dictus a Fabricio consule conditore, insulam Tiberinam jungit, ab ea parte, quæ meridiem, et montem Tarpeium respicit, altera vero parte quæ Janiculum spectat et Campum Martium, est pons Cestius. Pontem Fabricium vocant nunc Itali *Ponte di Quattro Capi*, a statuæ Jani in extremo ponte sitæ quatuor capitibus. Ed.

37. *Male re gesta*, perdita re familiari; qui rem familiarem male eam administrando et collocando perdunt, *rem male genere* dicuntur. — *mittere operto Me capite in flumen*, sic apud Livium IV, 12: « Multi ex plebe, spe amissa, potius quam ut cruciarentur trahendo animam, capitibus obvolutis, se in Tiberim præcipitaverunt. » Scilicet qui se morti offerebant, ex more antiquo caput velare vel obvolvere solebant; vid. Heind. ad h. l. — *dext. stetit*, tanquam deus aliquis, qui mihi faveret, adfuit, et sic locutus est, hinc ad 294. Ed.

38. *Cave* pertinet ad ea secundæ conjugationis verba, quorum ultima, præsertim in disyllabis in imperativo (ut in *vide, vale*), nonnunquam corripitur. — *Te quidquam indignum*, cave ne facias quid indignum te. Ed. — *pudor malus*, vitiosus ille pudor est, qui te urget, ob rem male gestam. Ed. — *Insanos qui inter vereare*, etc. Malus sane est pudor tuus, quum verearis insanus esse, ut ceteri omnes. Hic enim Stertinius non solatur Damasippum dicendo: tu minime insanus es; dicit vero, tu quidem insanis, at ceteri omnes tecum insaniunt; non alio, quo omnes homines, morbo laboras. Ed. — *hoc si erit in te Solo, nil verbi*, etc. Si tu solus insanires, non

Digitized by Google

Primum nam inquiram, quid sit furere; hoc si erit in te
Solo, nil verbi, pereas quin fortiter, addam.
Quem mala stultitia, et quæcunque inscitia veri
Cæcum agit, insanum Chrysippi porticus et grex
Autumat. Hæc populos, hæc magnos formula reges,
Excepto sapiente, tenet. Nunc accipe, quare
Desipiant omnes æque ac tu, qui tibi nomen
Insano posuere. Velut silvis, ubi passim
Palantes error certo de tramite pellit;
Ille sinistrorsum, hic dextrorsum abit; unus utrique
Error, sed variis illudit partibus: hoc te

te deterrere tentarem; mortem etiam suaderem. At quum ceteri, tui similes, non mortem appetant, cur tu hoc consilium inis? Ed.

43. *Quem mala stultitia,* etc. Jam explicat Stertinius quomodo omnes homines insaniant. Ille enim insanus a Stoicis dicitur, qui stultitia *mala*, perniciosa agitur, et qui veri ignorans, quavis veritatis ignorantia abreptus, cæcus est. Ed.

44. *Chrysippi porticus et grex.* Chrysippus (cf. supr. ad Sat. I, 3, 127) et alii omnes Stoici; *porticus*, στοά, ubi Zeno ejusque disciplinæ addicti docebant.— *Autumat,* habet, declarat.

45. *Hæc formula,* hæc insani hominis definitio; Cicero de Offic. III, 14: « Formulæ Aquillii de dolo malo, definitiones, quibus accurate constitutum erat, qui dolus dicendus esset *malus.*» Ibidem sequente capite pergit Cicero: « Quodsi Aquilliana *definitio* vera est. »—*populos,* civitates; *magnos reges,* potentissimos vel summos quosque, qui civitatibus præsunt. — *tenet,* complectitur.

46. *Nunc accipe, quare,* hæc etiam sunt verba Stertinii, loquentis a vs. 38, ad 294. Jam monstraturus Stertinius quomodo omnes homines ea, quam insani dedit definitione, contineantur. Ed.—*qui tibi nom. Insano posuere,* qui te insanum vocavere. Ed. —*Velut silvis,* etc. Sensus et nexus: Quemadmodum fieri solet in silvis, ubi non raro ibi palantes a recta via aberrant, hic sinistrorsum, ille dextrorsum; uterque errat, sed diverso modo; ita (*hoc modo*) te quoque crede insanum, quum is, qui te deridet, nihilo te sapientior sit, et proinde, pariter ac tu, ut insanus ab aliis derideatur. Apprime supra dictis congruit hæc comparatio, nam viator in silva ideo errat, quod iter rectum ignoret, et homines propter veri inscitiam insaniant. Ed. — *Palantes,* vagantes. — *certo tramite,* recto itinere. Ed.— *unus utriq. Error.* Uterque errat, quod non iter agnoscat; vid. sup. not. 28. Ed.

Digitized by Google

Crede modo insanum, nihilo ut sapientior ille,
Qui te deridet, caudam trahat. Est genus unum
Stultitiæ nihilum metuenda timentis, ut ignes,
Ut rupes, fluviosque in campo obstare queratur.
Alterum, et huic varium, et nihilo sapientius, ignes
Per medios fluviosque ruentis. Clamet amica
Mater, honesta soror, cum cognatis, pater, uxor:
« Hic fossa est ingens! hic rupes maxima! serva! »

53. *Caudam trahat*, antiquitus æque ac nunc pueri, ei, quem ludere et aliorum derisui exponere volebant, clanculum a tergo caudam animalis alicujus adfixisse videntur, unde is, qui ludibrio habetur, proverbiali fere locutione *caudam trahere* dicitur. Sic de hac locutione jam sensit Schol. Porph. qui notavit hæc: « ex consuetudine puerorum sumtum pro: *deridetur;* solent enim pueri deridentes nescientibus a tergo caudam suspendere, ut velut pecus caudam trahant. » Male, qui *superbe incedere*, et *longa veste terram verrere* interpretantur. Ed.

54. *Timentis*, junge: est unum genus stultitiæ eorum, qui ea timent qui minime metuenda sunt, ita ut semper doleant, querantur obstare sibi ignes, aut fluvios, in campo æquo; ubi nihil est obstaculi. De his hominibus loquitur poeta, quorum timidus animus sibi ipse struit impedimenta. Ed. — *Alterum, et huic varium*, etc. Alterum stultitiæ genus, ab illo diversum et non sapientius, eorum est qui ruunt per medios ignes et fluvios, qui non metuunt ea quæ sunt metuenda. Jam temeritatem et imprudentiam increpat Stertinius. Alii pro *varium*, legunt *varum*, quod translatum dicunt ab hominibus pedes in diversum flexos habentibus, et pro *dispar* positum volunt. Nescio cur in tam duræ explicationis necessitatem ultro Interpret. deveniant. Ed.

57. *Clamet amica*, etc. Is, licet amica mater, etc. clamet: Hic fossa est... cave tibi, tamen non magis audierit, quam olim ebrius Fufius, etc. — *serva!* vel supple: te a præsente periculo; vel accipe pro: observa, h. e. vide, quo ruas. Imago hominis, per præcipitia ruentis, nec ullam dehortantium vocem auscultantis, Stertinio in memoriam revocat facetam historiam de Fufio histrione, qui, quum ebrius in tragœdia Iliona personam matris dormientis ageret, tam alto in scena sopore oppressus est, ut ab histrione Catieno, qui umbram Polydori agens, dormientem Ilionam appellabat, ne intentissima quidem voce e somno excitari posset. Pacuvius scilicet ad exemplum Hecubæ Euripideæ tragœdiam, *Iliona* inscriptam, composuit; at quæ apud Euripidem *Hecuba* vocatur, ea apud Pacuvium erat *Iliona*. Secundum mythographos autem *Iliona* erat filia Priami, cum Polymnestore matrimonio juncta; cujus discrepantiæ expediendæ duplex

Digitized by Google

Non magis audierit, quam Fufius ebrius olim,
Quum Ilionam edormit, Catienis mille ducentis,
Mater te appello, clamantibus. Huic ego vulgus
Errori similem cunctum insanire docebo.
Insanit veteres statuas Damasippus emendo.
Integer est mentis Damasippi creditor? Esto.

ab interpretibus proponitur ratio: una, ut Hecuba etiam Iliona appellata fuerit: altera, ut Pacuvius aliam, quam Euripides secutus sit fabulam. Et haec quidem altera longe probabilior. Narrat enim Hyginus, ex vetere procul dubio, ut solet, tragoedia, Fab. CIX: « Priamo Polydorus filius ex Hecuba quum esset natus, Ilionae filiae suae dederunt eum educandum, quae Polymnestori, regi Thracum, erat nupta, quem illa pro filio suo educavit. Deiphilum autem, quem ex Polymnestore procreaverat, pro suo fratre educavit, ut, si alteri eorum quid foret, parentibus praestaret. Sed quum Achivi, Troja capta, prolem Priami extirpare vellent.... ad Polymnestorem legatos miserunt, qui ei Agamemnonis filiam, nomine Electram, polliceretur in conjugium, et auri magnam copiam, si Polydorum, Priami filium, interfecisset; Polymnestor legatorum dicta non repudiavit, Deiphilumque filium suum imprudens occidit, arbitrans, se Polydorum, filium Priami, interfecisse. » Itaque in tragoedia Pacuvii non Polydorus matrem Hecubam, ut est apud Euripidem, sed Deiphobus Ilionam per somnium compellabat. — *Ilion. edormit,* Ilionam dormientem agens vere dormiebat Fufius, ita ut Catienum histrionem sub umbra Deiphobi prodeuntem, et clamantem, *mater, te appello,* non audiret: tunc mille spectatores errorem intelligentes cum Catieno succlamarunt; neque Fufium excitare potuerunt. Ed. Versus Pacuvii, qui huc pertinent, servati leguntur apud Ciceronem Tusc. Quaest. I, 44: « Mater, te appello, quae curam somno suspensam levas, Neque te mei miseret: surge, et sopdi natum. »

62. *Huic ego vulgus Errori.... docebo,* junge: *Ego docebo cunctum vulgus* (omnes homines) errorem *insanire, similem huic,* de quo dixi, *errori,* sensus: Ego ostendam, omnes homines non certum modum tenere, sed eum excedere, similesque aut stulte timide, aut cum furore audaci homini alicui, se stultos insanosque probere; *insanire errorem,* ut infr. Epist. I, 1, 101: « insanire solemnia, » et Senec. de Vit. Beat. 12: « insanire insaniam hilarem. » Similiter dicitur *vivere vitam, dolere dolorem,* etc. Ed.

64. Verum esse, quod Stoici contendunt, *omnes homines insanire,* exemplis comprobare Stertinius pergit. Tu, ait, insanis, quod veteres statuas coemis; sed insanit quoque is, qui tibi pecuniam ad emenda ea, quibus delectaris, credit.

66. *Esto,* sit ita. — *Accipe, quod nunquam,* etc. Qui, quod sponte oblatum esset, hac conditione propo-

Digitized by Google

Accipe, quod nunquam reddas mihi, si tibi dicam,
Tune insanus eris, si acceperis? an magis excors
Rejecta præda, quam præsens Mercurius fert?
—Scribe decem a Nerio.—Non est satis; adde Cicutæ
Nodosi tabulas centum; mille adde catenas:
Effugiet tamen hæc sceleratus vincula Proteus.
Quum rapies in jus malis ridentem alienis,
Fiet aper, modo avis, modo saxum, et, quum volet, arbor.

sita, ut nunquam reddatur, repudiaret, pro insano haberetur. Insanient igitur fœneratores, qui pecuniam in fœnore ponunt apud homines malæ fidei; ab his enim illi, quamvis summa circumspectione per scriptas tabulas sibi cavent, circumveniuntur. Insanit is, qui immensis usuris fœnori dat pecuniam, quam debitor reddere nequit.—*quam præsens Mercur. fert?* quam tibi nunc offert Mercurii favor, h. e. præsens lucrandi occasio.—*præda;* nos: *une bonne aubaine.* Ed.

69. *Scribe decem a Nerio*, etc. Perillium intelligo Damasippo tradentem et mutuo credentem sestertiorum *decem millia*, eique dictantem: « *scribe* te hæc e meis nummis accepisse per manus Nerii, argentarii mei; et in illius commentariis tunm nomen *inscribe* debitor. » Stertinius addit: « hanc syngrapha simplicior non sufficit; Nerius non satis est callidus ad rectondam recte Damasippum; *adde centum tabulas* fœneratoris *Cicutæ nodosi* (verborum laqueis quasi nodisque debitoris fidem constringentis;) *mille adde catenas*, mille cautionum genera, quibus, tanquam catenis, creditori obstringitur debitor. » Ed. In versu 71 malæ fidei debitor comparatur cum *Proteo*, quia sicut ille, falleudi causa omnes formas induit; hunc Plautus vocat *versipellem*.

72. *Quum rapies in jus*, quum illum solvere nolentem, in jus rapere voles. Ed.—*malis ridentem alienis*; locutio *malis alienis ridere* multum negotii facessivit interpretibus, nec quisquam eorum commodam ejus explicationem attulit. Omnes comparant γναθμοῖς γελᾶν ἀλλοτρίοις apud Homerum, Odyss. XX, 347. Sed apud Homerum sermo est de risu invito, simulato, Sardonico; sic non ridet malus debitor. Rectam hujus locutionis explicationem mihi suppeditare videtur versus tum præcedens, quam subsequens; malus debitor in versu præcedente vocatur *Proteus*, quia, sicut Proteus, modo hanc, modo illam formam assumit; nonnullæ autem formæ, in quas mutari solet Proteus (cf. Hom. Odyss. IV, 456 seqq.) in versu subsequente commemorantur; quodsi igitur malus debitor, Protei more, in alienam formam mutatus ridet, non suis genis, non suo ore, sed genis vel ore alienæ formæ, quam induit, ridet; bene igitur Horatius locutionem *malis alienis ridere* accommodavit tum præcedenti, quam proxi-

Digitized by Google

Si male rem gerere, insani est; contra bene, sani;
Putidius multo cerebrum est (mihi crede) Perillî,
Dictantis, quod tu nunquam rescribere possis.
Audire, atque togam jubeo componere, quisquis
Ambitione mala, aut argenti pallet amore,
Quisquis luxuria tristive superstitione,
Aut alio mentis morbo calet; huc propius me,

mo versu! ; imagine enim sive comparatione mali debitoris cum Proteo sublata, *malis ridentem alienis* erit: modo hoc, modo illo callide invento, modo hac, modo illa dolosa arte eludentem. Ceterum Wielandus, qui non raro Bentleios, Gesneros et alios alto supercilio damnat, in hoc quoque loco, ut in pluribus aliis, haud leve commisit vitium; ex metri enim ignorantia *mala* a *malum* non distinxit; uti alibi ex *heros* fecit *herus*. Dacerius hujus loci explicationem facetissimam sane dedit, dum vult *alienis maxillis, alieno ore ridere*, jam esse quod nos « rire à gorge déployée; » qui enim, adjicit ille, alieno ore ridet, non metuet, ne nimio risu os suum dissolvatur: sed nimis argute. Ed.

74. *Si male*, etc. Pergit ostendere creditores stultiores esse debitoribus. Nam inquit, si stultus est qui rem domesticam male administrat, qui sua inscitia, negligentia rem perdit; contra vero si sapit ille qui rem facit; certe multo insanior est Perillius creditor tuus, qui tibi pecuniam mutuam dat, jubetque te scribere in argentarii tabulis te accepisse summam quam tu nunquam solvere possis; est, inquam, ille multo insanior quam tu, qui pecuniam accipis. Ed. — *Perillî. Perillius*, fœnerator fuit avarissimus, qui pro nummis in fœnore positis usuras omnem modum superantes exigebat, vel, quod supr. Sat. I, 2, 14, dicitur: « quinas mercedes capiti exsecabat. » — *Dictantis*, pecuniam mutuo sumentem scribere in syngrapha jubentis; ut supr. *scribe decem a Nerio*. Ed. — *rescribere* (quod oppositum est τῷ *scribere*, h. e. scripta syngrapha se debitorem profiteri) est: solvere, reddere debitum; vid. Bentleium ad Epist. II, 1, 105.

77. Omnia adhuc Stertinii præcepta ad ipsius, qui ea audit, Damasippi insaniam pertinent; nunc Stertinius quasi diceret, *paulo majora canamus*, transit ad ea, quæ ad omnes homines spectant; itaque omnes attente se audire, et, toga modeste collecta, sibi dicenti adsidere jubet. — *togam componere*. Schol. Acr. « Nam qui male composita toga sedet, videtur negligenter audire. » — *Ambitione mala*; ambitione pudenda ac vitiosa; alia enim est ambitio non damnanda, vel potius æmulatio, quæ omissa invidia, omissis fraudibus non nisi virtute nititur. Ed. — *pallet*, eleganter pro: agitatur; avari enim, qui habendi cupiditate curisque de iis, quæ possident, cruciantur, *pallere* solent. — *calet*, æstuat, ut fere febri correpti, eleganter pro vulgari: laborat. — *huc*

Digitized by Google

Dum doceo insanire omnes, vos ordine adite.
Danda est hellebori multo pars maxima avaris:
Nescio an Anticyram ratio illis destinet omnem.
Hæredes Staberî summam incidere sepulcro:
Ni sic fecissent, gladiatorum dare centum
Damnati populo paria, atque epulum, arbitrio Arrî;
Frumenti, quantum metit Africa. « Sive ego prave,

propius me... ordine adite, adite me propius ut vos quosque appellabo. Ed.

82. *Hellebori. Helleborum* (*hellébore*), cujus inprimis ferax fuit insula Anticyra, ad sinum Corinthiacum sita, cerebro purgando adhibebatur.

83. *Nescio an Antic. ratio illis dest. omnem*, pro: sine dubio ratio illis destinat omn. Ant. — De locutione *nescio*, vel *haud scio an*, qua non sine modestia aliqua, nonnunquam etiam cum aliqua irrisione dubitanter loquimur de rebus, quas nullo modo in dubitationem vocamus, erudite egit in peculiari libello G. Ph. Schuppius Progr. Schol. Hanov. 1820. — *ratio*, gravioris morbi, quo avari laborant, scientia sive cognitio. — *Anticyram omnem*, quidquid hellebori in tota insula Anticyra nascitur.

84. Stertinius insaniam eorum, qui in magnarum divitiarum possessione et splendore summam felicitatem ponunt, divitis cujusdam *Staberii* exemplo probat; cui opponit *Aristippum*, quem ut hominem in pecuniæ contemtu nimium pariter ad insipientes refert. — Staberius scilicet, ut divitiarum, quas moriens reliquerat, magnitudo hominum sermonibus celebraretur, hæredes in testamento earum summam sepulchro incidendam curare jussit, hac adjecta conditione, ut, nisi hoc fieret, hæredes Arrii cujusdam, hominis luxuriosi, arbitrio, centum paria gladiatorum, epulum et ingentem frumenti copiam populo dare tenerentur. Suavior fit hæc narratiuncula ipsius Staberii interposito sermone. — *summam*, scil. hæreditatis. — *Damnati*, obstricti. Hæc verba solemnia erant in legatis: hæres meus damnas esto; hoc legatum dicebatur *per damnationem*. Ed. — *paria*, par gladiatorum, duo gladiatores inter se ad pugnandum compositi. — *epulum*, hoc in funeribus observatum, ut in ædibus mortui, aut publice convivium præberetur. Ed. — *Arrî*. Arrius, homo luxuriosus, Epulo notus, sive unus ex duobus fratribus, quorum mentio fit infr. v. 243, sive pater Q. Arrius. — *Frumenti quantum metit Africa*; supr. Od. I, 1, 10: « Quidquid de Lybicis verritur areis. »

87. *Sive ego prave*, etc. Hoc ego sive male, sive bene volui, ne sis hujus voluntatis meæ severus censor. Loquitur nempe ipse Staberius, sed verba, quibus utitur, sapere mihi videntur antiquam formulam, quam fortasse testamentorum conditores ad monendos hæredes, ut omnia, quæ

Digitized by Google

Seu recte hoc volui, ne sis patruus mihi. » Credo
Hoc Staberî prudentem animum vidisse.—Quid ergo
Sensit, quum summam patrimonî insculpere saxo
Hæredes voluit?—Quoad vixit, credidit ingens
Pauperiem vitium, et cavit nihil acrius; ut, si
Forte minus locuples uno quadrante perîsset,
Ipse videretur sibi nequior. Omnis enim res,
Virtus, fama, decus, divina humanaque pulchris
Divitiis parent; quas qui construxerit, ille
Clarus erit, fortis, justus, sapiens etiam, et rex,
Et quidquid volet. Hoc, velutî virtute paratum,
Speravit magnæ laudi fore. Quid simile isti

jussa essent, sine ulla recusatione exsequerentur, testamentis adjicere solebant.—*patruus*, objurgator, vituperator; vid. supr. ad Sat. II, 2, 97, et Od. III, 12, 3.

89. *Credo Hoc Staberî prudent. animum vidisse*, erraverunt multi Interpp. in hoc loco, quem sic intelligam : Credo Staberium vidisse prudenti animo hoc, illud jussisse eo consilio, scilicet quod postea subjicit; hic fingitur Damasippus Stertinium interpellans interrogansque quid viderit Staberius, quo consilio voluerit summam hæreditatis tumulo inscribi? nempe, addit Stertinius, ne post mortem paupertate laborasse videretur. Nam quoad vixit, credidit pauperiem, etc. Ed. — *Quoad* una syllaba pronuntiandum. — *ingens Pauperiem vitium* supr. Od. III, 24, 42 : « Magnum pauperies opprobrium. » — *cavit nihil acrius*, nullam rem attentius vitavit. — *uno quadrante*, quadrans est quarta pars assis, minimi pretii moneta.—*videretur*, pro vulgari : visus esset; vid. Bentl. ad h. l.

94. *Omnis enim res*, etc. Locus classicus de divitiarum potentia; Lambinus præter alia comparat Theogn. 319. Ad hunc locum referemus illos Boïæi versus, Sat. VIII : « Quiconque est riche est tout; sans sagesse, il est sage; Sans rien savoir, il a la science en partage. Il a l'esprit, le cœur, le mérite, le rang, La vertu, la valeur, la dignité, le sang. » etc. Ed. — *sapiens etiam*; alii legunt *sapiensne?* quasi Damasippus interrogaret his verbis. Ed.— *Hoc, vel. laude parat.* etc. Hæc referas ad præced. *ipse videretur sibi nequior*; scilicet Staberius putavit has divitias sibi magnæ laudi futuras esse, quasi eas virtute comparavisset. Ed.

99. Post insignem avaritiæ exemplum, proponit contra nimium opum contemptum. Ed.— *Quid sim. isti Græc. Aristippus*, quid fecit Aristippus, quod simile sit isti Staberio, vel Sta-

Digitized by Google

Græcus Aristippus, qui servos projicere aurum
In media jussit Libya, quia tardius irent
Propter onus segnes? Uter est insanior horum?
—Nil agit exemplum, litem quod lite resolvit.
—Si quis emat citharas, emtas comportet in unum,
Nec studio citharæ, nec Musæ deditus ulli;
Si scalpra et formas, non sutor; nautica vela,
Aversus mercaturis: delirus et amens
Undique dicatur merito. Quid discrepat istis,

berii istius facto? pro vulgari: quam dissimilis est Aristippus Staberio! Damasippus scilicet *frontibus adversis* (ut supr. Sat. I, 1, 103, Horatius loquitur) *secum pugnantia* componit. — *Aristippus*, Cyrenæus, Socratis discipulus, Cyrenaicæ disciplinæ auctor. Cyrene urbs in Lybia erat, a Græcis autem condita; erat igitur Aristippus Afer patria, Græcus origine. Ed.—*Uter est insanior horum?* uter, Staberius, an Aristippus, etc. Ed.—*Nil agit exemplum, litem quod lite resolvit. Litem*, rem in litem vocatam, *lite*, alia re pariter in litem vocata, *resolvit*, dissolutum, diremptum it. Sensus: Ad rem aliquam reprehendendam nihil valet alius rei pariter reprehendendæ exemplum. *Staberii* nimius divitiarum amor non carpi debet *Aristippi*, nimium pecuniam contemnentis, exemplo. Argumentis igitur clarioribus nec in litem vocandis utar. Ad hujus loci sententiam Boileau, Sat. IV, 60: «Un avare idolâtre et fou de son argent, Rencontrant la disette au sein de l'abondance, Appelle sa folie une rare prudence, Et met toute sa gloire et son souverain bien A grossir son trésor, qui ne lui sert de rien. Plus il le voit accru, moins il en fait usage. Sans mentir, l'avarice est une étrange rage, Dira cet autre fou, non moins privé de sens, Qui jette furieux son bien à tous venans..... Qui des deux, en effet, est le plus aveuglé?» Ed.

104. *Si quis emat citharas:* jam novis rationibus quam stulti sint avari monstrat Stertinius. Ed. — *comportet in unum*, et in unum locum transferat quascumque emere potuerit. Ed. — *nec Musæ deditus ulli*, nec ulli arti musicæ vel canendi generi deditus; designatur homo ab artis musicæ studio plane alienus, ἄμουσος. — *scalpra*, gladioli sunt sutorii, quibus corium scinditur: nos: *des tranchets*. Ed.—*formas*, ligneæ sunt formæ quibus sutores in calceos conficiendos inducunt et immittunt: nos: *des formes*. Ed.—*Aversus mercaturis*, abhorrens a mercatura facienda et navigatione. Ed. — *Undique*, ab omni hominum, quibuscum vivit, parte, ab omnibus.

108. *Quid discrepat istis*, locus communis de avaro opibus suis non

Digitized by Google

Qui nummos aurumque recondit, nescius uti
Compositis, metuensque velut contingere sacrum?
Si quis ad ingentem frumenti semper acervum
Porrectus vigilet cum longo fuste; neque illinc
Audeat esuriens dominus contingere granum,
Ac potius foliis parcus vescatur amaris:
Si, positis intus Chii veterisque Falerni
Mille cadis, nihil est, ter centum millibus, acre
Potet acetum: age, si et stramentis incubet unde-
Octoginta annos natus, cui stragula vestis,
Blattarum ac tinearum epulæ, putrescat in arca:

utente. Ed. — *Compositis*, comparatis, partis, collectis; Virg. Æn. VIII, 317: « nec jungere tauros, Aut componere opes norant, aut parcere parto. » Tibull. I, 1, 77: « Ferte et opes; ego composito securus acervo, Despiciam dites, despiciamque famem. » — *velut contingere sacrum?* Cf. supr. Sat. I, 1, 70: « ...congestis undique saccis Indormis inhians, et tanquam parcere sacris Cogeris, aut pictis tanquam gaudere tabellis. » Ed.

101. Jam variis exemplis avarorum stultitiam manifestiorem facit. Ed. — *Si quis ad ingentem*, etc. Suavissima avari opes suas non tangentis, cum homine ad frumentum vigilantis comparatio. Ed. — *semper*, ad significandum continuos avari metus. Ed. — *Porrectus*, supinus, non autem dormiens, ita ut vel minimo strepitu surgat. Ed. — *cum longo fuste*, ad amovendas bestiolas. Ed. — *esuriens dominus*, quamvis et dominus sit frumenti, et fame crucietur. Ed. — *foliis*, leguminibus. — *amaris*, h. e. in agro, non in horto natis, vilioribus et minoris pretii, vel sine condimento. Ed.

115. *Si, positis intus*, h. e. in cella vinaria. Ed. — *Chii veterisque Falerni*, vini optimi. Ed. — *nihil est*, ut v. 17: « non est satis, » in correctionibus pro: immo; quid dico *mille*, immo *ter centum millibus*. — *acre Potet acetum*, vinum corruptum. Ed. *age*, audi porro. — *stramentis*, palea textili. — *unde Octoginta*, per tmesin poeta distinxit. Hic indicatur senectus, ad rem amplificandam, quum senioribus et lautiori cibo et molliori lecto opus sit. Ed. — *stragula vestis*, omnia quæque lecto insternuntur. — *Blattarum ac tinearum*, vermiculorum vestes arrodentium. — Fontanius noster vividissime etiam ac lepidissime avari stultitiam adumbravit in fabula 20, lib. IV, cui titulus: *l'Avare qui a perdu son trésor*, in ea scilicet avarum amissam pecuniam deflentem sic alloquitur quidam: « ...dites-moi... pourquoi vous vous affligez tant? Puisque vous ne touchiez jamais à cet ar-

Digitized by Google

Nimirum insanus paucis videatur, eo quod
Maxima pars hominum morbo jactatur eodem.
Filius, aut etiam hæc libertus ut ebibat hæres,
Dîs inimice senex, custodis? ne tibi desit?
Quantulum enim summæ curtabit quisque dierum,
Ungere si caules oleo meliore, caputque
Cœperis impexa fœdum porrigine? Quare,
Si quidvis satis est, perjuras, surripis, aufers
Undique? tun' sanus? Populum si cædere saxis
Incipias, servosve tuos, quos ære parâris,
Insanum te omnes pueri clamentque puellæ:
Quum laqueo uxorem interimis, matremque veneno,

gent, *Mettez une pierre à la place, Elle vous vaudra tout autant.* » Ed.— *Nimirum*, per ironiam, ubi contrarium intelligendum est; cf. supr. ad Sat. II, 2, 106. — *jactatur*, de vi morbi, qui ægrotum circumagit, nec eum quiescere sinit; comparatur *morbus* cum tempestate; sic apud Græcos νόσοις χειμάζεσθαι.

122. *Filius, aut etiam hæc*, etc. Ordo est: O senex, dis inimice, an custodis hæc, ut a prodigo filio, aut liberto consumantur? an ea mente id facis, ne aliquando egeas, etc. Ed. — *libertus ut ebibat hæres*, supr. Od. II, 14, 25: « Absumet hæres Cæcuba dignior Servata centum clavibus. » — *Dîs inimice*, quasi ipsi dii irascantur avaro, exsecrabilis. — *custodis*, significanter pro: servas; nam avari tanquam custodes summa vigilantia bonis suis assident, vel incubant; cf. v. 81. — *ne tibi desit?* eoque consilio, ne quid in posterum ad vitam sustentandam tibi desit? bono sis animo! nihil tibi deerit; quam pauxillum *enim* divitiarum summæ quotidie decurtabitur, si cœperis ungere caules meliore oleo; ergo non rancido et male olente, quale, in Satira præcedente, v. 59, Avidienus caulibus instillasse dicitur. — *porrigine*, porrigo est morbus quidam capitis, quum inter pilos nascuntur squamulæ quædam, quod impexis fere accidit. — *impexa*, sc. crinibus, qui propter porriginem pecti nequeunt.

127. *Si quidvis satis est*, si res tenuis et modica ad vitam sustentandam sufficit. — *perjuras, surripis, aufers*, en avari descriptionem gravissime tribus verbis expressam! Cur avari tot scelera ad parandas divitias admittunt? Ed. — *tun' sanus*: jam evolvit ad quæ et quanta scelera patranda, impelli possit avarus. Ed. — *quos ære parâris?* quos emeris, non sane ut eos cædas. Ed. — *omnes pueri et puellæ*, pro: omnes et singuli, ad unum omnes, ut supr. Sat. I, 1, 88.

131. *Matremque*, malim: *matremve*, ut modo v. 129: « populum

Digitized by Google

Incolumi capite es? Quid enim? Neque tu hoc facis Argis,
Nec ferro, ut demens genitricem occidit Orestes.
An tu reris eum occisa insanisse parente,
Ac non ante malis dementem actum Furiis, quam
In matris jugulo ferrum tepefecit acutum?
Quin ex quo est habitus male tutæ mentis Orestes,
Nil sane fecit quod tu reprehendere possis:
Non Pyladen ferro violare aususve sororem
Electram; tantum maledicit utrique, vocando

servosve; » non enim dixisse videtur Horatius *uxorem* et simul, vel eodem tempore *matrem*, sed *uxorem* vel *matrem*; de his agitur qui parentes occidunt, ut hæreditate fruantur, inter quos Scæva ille de quo supr. huj. lib. Sat. I, v. 53: « ....Scævæ vivacem crede nepoti matrem.... mala tollet anum vitiato melle cicuta. » Ed.— *Incolumi capite es?* Annon multo dementior es? annon multo graviore morbo laboras, quam qui populum in viis saxis cæderet? Ed.

132. *Quid enim?* cur enim non sis incolumi capite, vel sana mente? Stertinius scilicet simulat, se causam matricidæ agere velle, et sic cum irrisione per *quid enim?* concedit, quod pro maximo scelere habet. Pro: *Quid enim?* dedit Bentleius ex nonnullorum Codd. auctoritate *Quidni?* sed hanc lectionem pro interpretatione τοῦ *Quid enim* habuerim. — *neque tu hoc*, etc. Dices te dementem non esse, quia non imitaris Orestem, qui genitricem Argis gladio occidit, contendisque tuam mentem sanam semper esse licet a scelere non abstineas. At non is tantum insanus est qui scelus commisit, sed ille potius qui scelus meditatur, et cui ex ipsa dementia scelus nascitur. Num putas enim Orestem tunc tantummodo insanisse, quum matrem occidit, nec prius furiis actum fuisse? Ed.—*Argis*, ubi Orestes, ad patris Agamemnonis cædem ulciscendam, matrem suam Clytemnestram occidit.—Pro *occidit*, alii *occidis*; utraque lectio eodem redit. — *tepefecit*, epica sublimitate pro: defixit, sic hasta *tepefacta trajecto cerebro hærere* dicitur apud Virg. Æn. IX, 419.

137. *Quin ex quo*, continuatur idearum nexus: quin immo, ex quo cædem patravit, et furiis agitatus fuisse dicitur (nam aiunt mythologi a furiis actum fuisse, matre occisa, Orestes), jam nihil scelerati fecit, nihil egit quod possis reprehendere, unde patet, non ex scelere insaniam, sed ex insania scelus nasci. Ed.— *ex quo est habitus*; alii delent *est*, neglecta elisione. Ed. — *male tutæ*, male sanæ; vid. Bentl. — *Pyladen*, amicitia, quæ ei cum Oreste intercedebat, nobilissimum.— *tantum maled. utrique*, dum ante istam, quam dicunt, dementiam, matrem occideret, jam nunc demens nihil amplius facit, quam convicia jacere. Ed.—*Hanc Furiam*;

Digitized by Google

Hanc Furiam, hunc aliud, jussit quod splendida bilis.
Pauper Opimius argenti positi intus et auri,
Qui Veientanum festis potare diebus
Campana solitus trulla, vappamque profestis,
Quondam lethargo grandi est oppressus; ut hæres
Jam circum loculos et claves lætus ovansque
Curreret. Hunc medicus multum celer atque fidelis

cf. Euripid. Orest. v. 259. — *hunc aliud, jussit quod splendida bilis*, hunc vocando aliud quidpiam, h. e. in hunc jaciendo aliud convicii genus, quod suppeditavit animi furor. — *splendida bilis*, alii intelligunt *iram honestiorem*, generosioremque; huc referentes Od. III, 11, 35, ubi Hypermnestra dicitur « splendide mendax, » h. e. pulchre ac generose mendax. Non video autem quid honesti, quid generosi in Orestis furore sit, neque unde in amicum et sororem convicia laudanda sint. Alii accipiunt *splendida*, pro *flava*, quamdam distinctionem necessariam judicantes, quum flava bilis furorem excitet, atra autem melancholiam moveat. Hoc autem nimis argutum et ad medicorum artem magis, quam ad poeticam rationem accommodatum videtur. Nos igitur potius intelligendam putabimus aut bilem commotam, agitatam, ut splendeat; aut iram ferocem, sese tragicis verbis effundentem. Ed.

142. *Opimius*, jam historiunculam narraturus est poeta avari cujusdam, non jam ita scelerati ut parentes occidat, sed adeo insani ut se potius perire sinat, quam vel minimam summam e divitiis detrahat. Ed. — *Pauper*, homo avarus, *argenti et auri intus positi* (in arca reconditi) dicitur *pauper*, quia is, qui pecuniam, tanquam rem sacram, contingere metuit, et proinde nullum inde usum capit *magnas inter opes*, ut Noster loquitur supr. Od. III, 16, 28, *inops* est. Hinc Auct. ad Herenn. IV, 17: « *Egens* æque is, qui non satis habet, et is, cui nihil satis esse potest. » — *Veientanum*. Schol. Porphyr. « pessimum vinum in Veiento (Veientano agro) nascitur. » Martial. I, 104, 9, pariter de homine avaro: « Et Veientani bibitur fæx crassa rubelli. » — *trulla Campana*, non vas ex auro et argento, sed e terra Campana, h. e. *fictili*, ut supr. Sat. I, 6, 118: « Campana supellex. » — *trulla* est vas, vino hauriendo et poculo infundendo inserviens; vid. Ernest. in Clav. Cic. s. v. *trulla*. — *trulla* igitur *potare* est potare vinum, quod e fictili trulla infunditur. — *profestis*, vid. supr. ad Sat. II, 2, 116. — *lethargo*, veterno, morbo, scilicet quo qui laborant somno gravi et perpetuo obruuntur. — *ut hæres*, ita ut hæres, eum mortuum ratus jam, lætitia plenus, nummos et claves arcarum quæreret, et rapere festinaret. Ed.

147. *Multum celer*, sc. in consilio capiendo, vel remedio aliquo excogi-

Digitized by Google

Excitat hoc pacto : mensam poni jubet, atque
Effundi saccos nummorum; accedere plures
Ad numerandum : hominem sic erigit : addit et illud :
« Ni tua custodis, avidus jam hæc auferet hæres. » —
Men' vivo?—Ut vivas igitur, vigila : hoc age.— Quid vis?
— Deficient inopem venæ te, ni cibus atque
Ingens accedit stomacho fultura ruenti.
Tu cessas? Agedum, sume hoc ptisanarium oryzæ.—

tando, hinc *celere consilium* apud Terent. Phorm. I, 4, 1. — *fidelis*, assiduus, sedulus, qui suam curam pollicitus, nihil omnino ad sanationem negligit. Infidus enim medicus, hæredi potius quam ægrotanti inserviens, hunc a lethargo erigere non tentasset. Ed. — *hoc pacto*, hac ratione. — *mensam poni jubet*, etc. Lepidissime et ad ægrotantis indolem accommodatissime fingitur a medico nullum aliud ad excitandum avari animum remedium inveniri potuisse, quam si amittendæ pecuniæ metus injiceretur. Ed. — *hominem sic erigit*, hac re efficit, ut homo, e lethargo excitatus, caput e lecto exserat. — *addit et illud*, quum jam eum e lethargo excitatum videt, sic alloquitur. Ed. — *Ni tua custodis*, nisi expergisceris, nisi animum intendas et veternum repellas, ad custodiendas opes tuas, avidus hæres has rapiet. Ed.

152. *Men' vivo?* verba sunt Opimii, e lethargo surgentis, nesciique, an adhuc vita fruatur, aut, si malis, irascentis, interrogantisque : mene adhuc vivente ac superstite, meos mihi nummos hæres auferet? Ed. — *Ut vivas igitur, vigila*, respondet medicus : sed in eo, quo nunc es statu, lethargo scilicet oppressus, vix vivere videris; *ut vivas igitur*, ut morbo libereris, *vigila*, somnum excute. — *hoc age*, hoc tibi vel maxime sit curæ, sc. ut vivas; possis quoque sic explicare : medicus accedit ad lethargicum, et medicamen, quod commemoratur in v. 155, ei porrigens, dicit : *hoc age*, hoc sume; favent certe huic explicationi sequentia. — *Quid vis*, quid me facere jubes? Quid tibi vis cum medicamine?

153. *Deficient inopem venæ te*, vires te miserum et opis egentem deficient, ni, etc. Egregie sane poeta expressit sermonem, quo medici apud ægrotos uti solent. — *Ingens fult.* de eo, quod stomachum fulcit, sustentat, corroborat. Alii, *instans, præsens*, sed non placet. Ed. Commode Bentleius comparat Lucret. II, 1147 : « Et fulcire cibis atque omnia sustentare, » et IV, 865 : « Propterea cupitur *cibus*, ut *suffulciat* artus. » Colum. VI, 24 : « Vinum quoque potentissime reficit et *fulcit venas deficientes*. » — *ruenti*, sc. ad interitum, in miserum statum, pro : deficienti, infirmo, accommodate ad vocem *fultura*. Silius Ital. XI, 234 : « Solusne *ruentem Fulcire* et revocare paras a funere

Digitized by Google

Quanti emtæ?—Parvo.—Quanti ergo?—Octussibus.—Eheu!
Quid refert, morbo, an furtis pereamque rapinis?
—Quisnam igitur sanus?—Qui non stultus.—Quid avarus?
—Stultus et insanus.—Quid? si quis non sit avarus,
Continuo sanus?—Minime.—Cur, Stoice?—Dicam.
Non est cardiacus, Craterum dixisse putato,
Hic æger.—Recte est igitur, surgetque?—Negabit;
Quod latus aut renes morbo tententur acuto.
Non est perjurus, neque sordidus; immolet æquis

Romam?»—*hoc ptisanar. oryzæ*, intellige sorbitionem ex oryza (nos: *riz*) confectam. Plin. Hist. Nat. XVIII, 13: « Maxime oryza gaudent (Indi), ex qua ptisanam conficiunt, quam reliqui mortales ex hordeo. » — Ex *ptisana* Horatius fecit diminutivum *ptisanarium*, apposite sane ad morem medicorum, mollioribus verbis omnia apud ægrotos elevantium. — *Quanti emtæ?* petit hoc Opimius. Ed.—*Parvo*, respondet medicus. — *Quanti ergo?* iterata interrogatio avari est, cui ne minimam quidem nummi partem negligenti non satis definita videtur prior medici responsio. Ed.—*Eheu!* etc. Quid refert, inquit Opimius, de grandiore medicinæ pretio graviter querens, an, remedium tuum repudians, morbo isto meo peream, aut morbum meum tuo remedio curans, peream furtis et rapinis medicorum et pharmacopolarum qui octo asses pro una ptisana rapiunt! Alii legunt *pereamne*, explicantes: quid refert an peream morbo, tot sumptibus curando, an furtis hæredum, ille autem sensus minus vividus, minus ad sententiam omnem accommodatus, mihi videtur. Ed.

158. *Quisnam igitur sanus?* loquitur Damasippus cum Stertinio: quis igitur sanus est? is, inquit Stertinius, qui non stultus, et aliqua mala cupidine irretitus. Quid porro avarus? ait Damasippus, qualis est? Stultus ille est, refert Stertinius, et insanus, quod stulto gravius est. Quid? si quis non sit avarus, est ne, inquit Damasippus, sanus et sapiens? minime, inquit Stertinius. Cur, o Stertini, Stoice philosophe? dicam. Finge tibi medicum insignem, qualis est Craterus (de quo Schol. Acr. « Craterus fuisse dicitur illis temporibus opinatissimus medicus. »), dicere de aliquo ægrotante: non est cardiacus, id est, non laborat cordis, seu stomachi dolore, et aliquem continuo subjicere: bene habet, valet, surgetque e lecto; negabit Craterus hominem valere et surgere posse, quia, si cordis dolore caret, acuto lateris, aut renum dolore laborat afflictus. Ed.

164. *Non est perjurus*, similiter de animi ac de corporis morbis est; nam qui aliquo vitio caret, alio laborat. Aliquis scilicet nec perjurus est, nec sordidus, h. e. avarus, porcum immolet, h. e. gratias agat diis Lari-

Digitized by Google

Hic porcum Laribus : verum ambitiosus et audax;
Naviget Anticyram : quid enim differt, barathrone
Dones, quicquid habes, an nunquam utare paratis?
Servius Oppidius Canusî duo prædia dives
Antiquo censu, natis divîsse duobus
Fertur, et hæc moriens pueris dixisse vocatis
Ad lectum : « Postquam te talos, Aule, nucesque
Ferre sinu laxo, donare et ludere vidi;
Te, Tiberi, numerare, cavis abscondere tristem,

bus quos propitios expertus est, per quos hoc insaniæ genere liberatus est. Putabantur homines ab insania liberari deorum Larium beneficio et eorum matris, Deæ Maniæ : vox enim μανία apud Græcos *insaniam* sonat; hæc dea, quam alii Larum dicebant, vel Larundam, communi cum Laribus cultu colebatur. Laribus autem porcus immolabatur, quia hæc pecus ad escam tantum utilis est, ac proinde alendæ familiæ maxime inservit, cui præsunt Lares. Vid. Od. III, 23, 4. Ed.— *Verum ambitiosus et audax*, sed quum nec perjurus, nec avarus sis, non tamen omni vitio cares; ambitione laboras et audacia, quæ ambitionem sequitur. Ed.—*Naviget Anticyram*, illi Anticyram eundum est, ut elleboro curetur; id est, hunc insanum esse pronuntio. Cf. ad v. 85. Ed. — *barathrone Dones, quidquid habes*, utrum opes tuas, ambitionis et gratiæ captandæ causa, dones populo, qui immensæ voragini omnia absorbenti est similis, an, etc. i. e. utrum prodigalitate, an avaritia pecces. Alii male, *balatrone*, vel *balatroni*. Ed.

168. *Canusî*, urbis in Apulia, hodie Canosa.—*dives Antiquo censu*, avitis opibus pollens. — *divisse*, divisisse, distribuisse. Ed.

171. *Talos*, quod de iis, quæ ad talorum et tesserarum ludum spectant, scire opus est, breviter et accurate exposuit Ernest. in Clav. Cic. s. voce *talus*.— *postquam te talos*. Sicut hodie, ita olim quoque pueri talis, *nucibus* pro præmio *positis*, *ludere* solebant. Hinc sponsi die nuptiali *spargebant nuces* (Virg. Eclog. VIII, 30 : « sparge, marite, nuces, »), se puerilia nunc deponere velle, significantes. — *Oppidii* alter filius, *Aulus*, paulo levior et ad liberalitatem propensior, aperte in togæ *sinu laxo* (latius extenso) portabat nuces, quas vel obviis sodalibus donabat, vel iis ludebat, ita quidem, ut brevi tempore nihil ei restaret de nucibus; alter, *Tiberius*, paulo ad rem attentior et ad avaritiam proclivior, sæpius numerabat nuces, easque *tristis* (severo et sollicito animo) in latebrosis locis abscondebat; hinc extimescebat pater, ne Aulus aliquando prodigus, Tiberius avarus exstiturus esset. — *cavis*, de locis excavatis, sive latebris, ut infr. Sat. II, 6, 81, et Epist. I, 7,

Digitized by Google

Extimui, ne vos ageret vesania discors;
Tu Nomentanum, tu ne sequerere Cicutam.
Quare per divos oratus uterque penates,
Tu cave, ne minuas; tu, ne majus facias id,
Quod satis esse putat pater, et natura coercet.
Prætera, ne vos titillet gloria, jure-
Jurando obstringam ambo: uter ædilis, fueritve
Vestrûm prætor, is intestabilis et sacer esto.
In cicere atque faba bona tu perdasque lupinis,
Latus ut in circo spatiere, et aheneus ut stes,

55. — *vesania discors*, aliter enim insanit *prodigus*, aliter *avarus*.

175. *Nomentanum*, vappam et nebulonem. Sat. I, 1, 102 et 104, nepotem Sat. II, 1, 22. — *Cicutam*, v. 69, et Sat. II, 6, 6. — *majus facias*, auctius facere et amplificare studeas. — *et natura coercet*, et naturæ legibus, immodica quæque coercentis et cohibentis, consentaneum est.

178. *Jurejurando obstring. ambo*, nihil potentius sacramentis eo modo præstitis. Ed. — *intestabilis*, interprete Unterholznero apud Heindorfium, dicitur, qui neque testamentum facere, neque ex facto aliquo testamento bona accipere, neque faciendo testamento testis adesse poterat; fuit igitur homo omnium contemptui expositus, homo nefarius et detestabilis; hinc apud Tacitum Annal. XV, 55, *intestabilis* et *conscelerātus*, et Histor. IV, 42, *intestabilior* et *sævior* junguntur. — *sacer*, exsecrabilis, cui diras imprecamur.

182. *In cicere*, etc. Jam pater primum alloquitur Aulum in hunc fere sensum: Nonne tu insanis, Aule, quod ad populi gratiam captandam bona tua perdis largitionibus, ut superbe in Circo incedens digitis a populo monstreris, vel ut in liberalitatis tuæ memoriam statua collocetur, dum hac vanitate nudaris omni tuo patrimonio? tum se convertit ad Tiberium: Nonne tu quoque, Tiberi, insanis, quod, ut tibi pariter atque Ædili Agrippæ applaudatur, sicuti astuta vulpes, quæ ingenuum leonem imitatur, congestam pecuniam in ea, quibus populus delectatur, impendendo pusillus homo magnum et generosioris animi Agrippam imitaris? — *In cicere, faba, lupinis*, Schol. Cruq. « Antiquis temporibus, ubi pauperiores erant Romani, hæc dabantur et spargebantur in vulgus ab his, qui ludos Florales exhibebant, ad plausum et favorem populi captandum. » Posuit largitionis quoddam genus, quamvis antiquius, pro omnibus aliis. — *Latus ut in circo spatiere*, per *latus* lepide hominis superbi et simulatam dignitatem præ se ferentis incessus describitur. Sic supra Epod. IV, 5: « superbus quidam ambulare et viam Sacram cum bis trium ulna-

Digitized by Google

Nudus agris, nudus nummis, insane, paternis?
Scilicet, ut plausus, quos fert Agrippa, feras tu,
Astuta ingenuum vulpes imitata leonem?
Ne quis humâsse velit Ajacem, Atrida, vetas cur?
—Rex sum.—Nil ultra quæro plebeius.—Et æquam
Rem imperito: ac si cui videor non justus, inulto

rum toga emetiri » dicitur.—*Nudus agris*, etc. Nota oppositionem: hominem scilicet illum superbe in circo ambulantem ænea statua decoratum, nihil autem jam possidentem et ad miserrimam paupertatem adductum. Ed.—*Scilicet*, ut *nimirum, videlicet*, cum irrisione.—*plausus*, propter ludorum, quibus ædilis præerat, magnificentiam. Ed. — *Agrippa. M. Vipsanius Agrippa*, quum U. C. 721, sponte ædilis factus, tam ludis Circensibus et spectaculis magnificentissime apparatis, quam publicis ædificiis pulcherrime exstructis, et pluribus aliis operibus omnes alios ædiles longe superasset, a toto populo Romano, ubicumque in ejus conspectum venerat, ingenti plausu exceptus est; vid. Dio Cass. XLIX, 43; Plin. H. N. XXXVI, 15. — Ad *astuta vulpes* supple particulam comparationis veluti, sæpius ab Horatio omissam; vid. infr. ad Epist. I, 2, 42. Apud Pindarum quoque, Od. X, 20, generosioris animi leo astutæ vulpi opponitur.—*leonem*, recte de Agrippa, cujus facta magnifice laudavit poeta, Od. I, 6. Ed.

187. *Ne quis humâsse*, etc. Jam Stertinius, Oppidium, qui de duplice insaniæ genere duobus filiis cautum ivit, excipiens, transit ad aliud genus insaniæ; ad insaniam scilicet, qua Agamemnon filiam suam, Iphigeniam, pro vitula Dianæ hostiam oblaturus erat in Aulide; sed ita transit, ut, sicut poeta aliquis in Dramate spectatores, ita auditorem in mediam rem rapiat. Fingit igitur se cum Agamemnone colloqui, et postquam Agamemnon, interrogatus cur Ajaci sepulturam denegaverit, responderat: « justam iræ suæ in Ajacem causam esse furorem, quo ille correptus mille ovium morti dederit; et se Ulyssem, Menelaum et Agamemnonem occidere clamaverit, » ipsum Agamemnonem tum, quum filiam suam, Iphigeniam, Dianæ immolandam destinasset, multo Ajace se insaniorem præbuisse, probatum it. Hac de Agamemnone narratione ostendit poeta, potentes etiam viros insania laborare, in confirmationem hujus in v. 45 sententia: « hæc magnos formula reges, Excepto sapiente, tenet. » Ed.—*Rex sum*, ego pro regia mea potestate id fieri jussi, nec cuiquam de iis, quæ fieri jubeo, reddenda mihi est ratio; satis superbe et regie hoc dictum! Respondet Stertinius modeste et breviter: *Nil ultra quæro, plebeius*; ne indigneris mihi de eo, quod ex te quæsivi; scio me esse plebeium, et ego nil ultra sortem meam quæro; sive: ego non pergo ulterius quærere. — *ac, si cui videor*, alii legunt *at si cui videor*, quæ par-

Digitized by Google

Dicere, quæ sentit, permitto. — Maxime regum,
Dî tibi dent capta classem reducere Troja!
Ergo consulere, et mox respondere licebit?
— Consule. — Cur Ajax heros ab Achille secundus
Putrescit, toties servatis clarus Achivis?
Gaudeat ut populus Priami Priamusque inhumato,
Per quem tot juvenes patrio caruere sepulcro?
— Mille ovium insanus morti dedit, inclytum Ulyssem
Et Menelaum una mecum se occidere clamans.

ticula rectius, quum posterior sententia priori opponatur, aut sane priorem corrigat, posita mihi videtur. Ed. — *inulto*, impune.

190. *Maxime regum, Dî tibi dent*, etc. Nota illas obsequii formulas, rerumque faustarum exoptationes, ad hominem plebeium Agamemnona interrogaturum accommodatos, nec non facetissime initio positas colloquii, quod maximum illum regum insanum esse probatum it. Ed. — Exoptatio illa ab Homero sumpta est Iliad. I, 18: « Ὑμῖν μὲν θεοὶ δοῖεν Ὀλύμπια δώματ' ἔχοντες, Ἐκπέρσαι Πριάμοιο πόλιν, εὖ δ' οἴκαδ' ἱκέσθαι. » Pro : *reducere*, sunt, qui metri suffulciendi causa scribant : *redducere*, ut *relligio* pro *religio*, et i similibus, sed recte jam diu missa est hæc scribendi ratio, quum syllaba *re* modo producatur, modo corripiatur. — *Ergo consulere*, etc. Ergo licebit, me te consulere, et me tibi respondere ; *consulere*, quærere de jure, ex quo aliquid fit, vel fieri debet. — *respondere*, sc. ad id quod mihi ipse responderis ; h. e. tecum colloqui. — *Consule*, interrogandi et respondendi licentiam dat Agamemnon. Ed.

193. *Heros ab Achille secundus*, uno Achille inferior. Multa de ejus fortitudine tradidit Homerus, ac solus Græcorum de armis Achillis cum Ulysse contendit. Ed. — *Putrescit*, insepultus jacet. Alii legunt *putescit*, quod fere eodem redit. Ed. — *toties servatis clarus Achivis*, vide de Ajacis rebus clare gestis, quam ipse habet orationem, apud Ovid. Metam. XIII. Notum inprimis quomodo Hectori Græcorum navibus ignem inferenti, solus Ajax obstiterit. Ed. — *Gaudeat ut populus Priami*, Homer. Iliad. I, 255 : « Ἦ κεν γηθήσαι Πρίαμος, Πριάμιό τε παῖδες. » — *Per quem tot juvenes*, qui tot Trojugenas interfecit, et insepultos putrescere coegit. Ed.

197. *Mille ovium insanus*, etc. Ajax, quum arma Achillis, quæ jure suo se postulare posse putabat, ab Agamemnone, vel potius, secundum Homerum, a Trojanis judicibus, Ulyssi adjudicata essent, furere et insanire cœpit. In hoc furore in armenta et greges, tanquam Ulyssem, Agamemnonem et Menelaum occisurus (Sophocl. Ajax, v. 235), ense ruit, donec, ense ipsius manu per pectus adacto, periit. Sophocl. Ajax, v. 925 ; Ovid.

Digitized by Google

—Tu quum pro vitula statuis dulcem Aulide natam
Ante aras, spargisque mola caput, improbe, salsa,
Rectum animi servas?—Quorsum?—Insanus quid enim Ajax
Fecit, quum stravit ferro pecus? Abstinuit vim
Uxore et gnato, mala multa precatus Atridis.
Non ille aut Teucrum, aut ipsum violavit Ulyssem.
—Verum ego, ut hærentes adverso in litore naves

Met. XIII, 391 : « Dixit, et in pectus.... lethalem condidit ensem. Ed.

199. *Tu quum pro vitula*, etc. Si, refert Stertinius, oves pro te et Menelao occidens, insaniebat Ajax, non multo dementior es tu ipse, qui natam occidis pro vitula. Ed. — *statuis ante aras*, ad aram adducis. Nota omnibus Iphigeniæ in Aulide mactatio. Ed. — *spargisque mola caput*, far, sive hordeum tostum mixtumque sale, victimæ capiti inspergebatur. Ed. — *improbe*, lenius pro : impie, sceleste.—*Rectum animi servas?* animi integritatem tueris? sanæne mentis es? idem quod v. 213 : « Stas animo? » et v. 220 : « integer est animi? »

201. *Quorsum?* quorsum hæc? inquit Agamemnon, ut in Cicerone sæpius : « quorsum (in quem finem) hæc disputo? »—*Insanus quid enim Ajax Fecit*, demonstrat Stertinius multo minus insanisse Ajacem, quam Agamemnona. Quid scilicet Ajax ille, quem tu, Agamemnon, insanum (v. supr. 197) vocas, fecit, dum pecudes ferro stravit? quid sceleris commisit? oves interfecit; sed ab uxore et filio manus violentas abstinuit; non in suos, ut tu ipse, sæviit. Ed.—*Uxore*. *Uxor*, ut passim *conjux*, de femina, quæ uxoris loco habetur. *Tecmessa* enim, ex qua Ajax *Eurysacem* procreavit, non sensu proprio ejus uxor fuit.—*mala multa precatus Atridis*, tibi quidem et Menelao mala multa precatus, diras imprecatus est, et non ultra progressus est, nihil gravius fecit. Ed.

204. *Non aut; aut* pro : neque... neque. — *Teucrum*, eodem patre, *Telamone*, cum Ajace usum.—*ipsum*, inimicissimum, cujus causa Ajax furebat.

205. *Hærentes naves*, naves enim ob iram Dianæ, quæ, ut cervam ipsi sacram ab Agamemnone, percussam ulcisceretur, omnem ventorum flatum comprimendum curaverat, Aulide *hærebant*, h. e. solvi non poterant. Aliam etiam Iphigeniæ mactandæ causam ab antiquis proponi constat ex his Cicer. Offic. l. III : « quid Agamemnon, quum devovisset Dianæ quod in suo regno pulcherrimum natum esset, illo anno, immolavit Iphigeniam, qua nihil erat eo quidem anno natum pulchrius. » Ed. — *adverso litore*. Schol. Cruq. « inimico, unde navigare non poterant; » perperam Heindorfius exponit. hærebant naves *litore*, quod Troadis litori, quo tendebant Græci, *adversum*, h. e. ex adverso, e regione, situm fuit; immo

Digitized by Google

Eriperem, prudens placavi sanguine divos.
— Nempe tuo, furiose. — Meo, sed non furiosus.
— Qui species alias veri scelerisque tumultu
Permistas capiet, commotus habebitur; atque,
Stultitiane erret, nihilum distabit, an ira.
Ajax, quum immeritos occidit, desipit, agnos:
Quum prudens scelus ob titulos admittis inanes,
Stas animo? et purum est vitio tibi, quum tumidumest, cor?

Aulidi non Troadis litus, sed litus Eubœæ adversum est. — *Eriperem*, solverem. — *prudens placavi sanguine divos*, ut factum suum excuset, id quod in eo erat laudandum præbet Agamemnon, aitque sibi laudi potius quam sceleri vertendum esse, quod sanguine deos placarit, non vero adjiciens, natæ sanguinem se effudisse. Ed.— *divos*, præter Dianam intelligo deos, qui in gratiam Dianæ, quæ rogati ab ea fuerant, faciebant.

207. *Meo, sed non furiosus*, meum quidem sanguinem effudi, sed minime tunc furiosus eram. Ed.— *Qui species*, etc. Jam non Stertinius sinit Agamemnona se non insanisse probare, et argumenta quæ prudentiæ suæ Agamemnon jam præ se fert, scilicet se sua publicis commoda postposuisse, minime ignorans, sciensque Agamemnona ambitione tantum impulsum esse, quam ea sola ratio esset qua ad capiendam Trojam iter aperiretur, ea argumenta Agamemnonis ante occupat ac refellit. Ed.—Sensus: Qui diversas rerum species (ideas, imagines, cogitationes,) *alias veri* (rei æquæ atque rectæ) alias *sceleris* (rei scelestæ) *tumultu* (affectuum vi et impetu) inter se *permistas, capiet* (animo concipiet), is *commotus* (affectuum vi correptus et perturbatus, sive insanus) *habebitur* (dicetur); atque unum idemque erit, utrum aliquis stultitiâ, an ira peccet; scelera enim commissa manent scelera.—*Tumultus* de vehementiore mentis perturbatione; sic supr. Od. II, 16, 9: « miseri mentis tumultus; » refer omnem rem ad Agamemnonem, qui rem bonam et simul scelestam animo conceperat.

211. *Ajax, quum immeritos*, etc. Ajacem, ob agnorum cædem, insaniæ arguis, et te, natæ interfectorem, non insanisse contendis? Ed.— *ob titulos inanes*, jam veram mactandæ Iphigeniæ causam tangit Stertinius, ambitionem scilicet, et gloriolam Agamemnonis, qui natam mactare non dubitavit, ut *titulos inanes* adipisceretur, sc. rex regum, Trojanorum victor, etc. vocaretur. Ed. — *prudens*, apprime sciens, consulto. Ed.— *Stas animo?* integer animi es? Ed.— *scelus admittere* est: scelus in animum admissum, h. e. animo conceptum committere hinc sæpe *admittere* pro: *committere*. —*et purum est*, etc. Et, quum animus *tumidus est*, (inflatur, impellitur, concitatur, sc. inanibus titulis, vana

Digitized by Google

Si quis lectica nitidam gestare amet agnam,
Huic vestem ut gnatæ paret, ancillas paret, aurum,
Pusam aut Pusillam appellet, fortique marito
Destinet uxorem; interdicto huic omne adimat jus
Prætor, et ad sanos abeat tutela propinquos.
Quid? si quis gnatam pro muta devovet agna,
Integer est animi? ne dixeris! Ergo, ubi prava
Stultitia, hic est summa insania: qui sceleratus,

gloria, affectionum vi,) eum vitii (insaniæ) expertem esse putas?

214. *Si quis lect.* etc. Ut levius insaniæ genus distinguat a graviore, sive a scelere, narrat rem, ad ridicula potius insaniæ genera, quam ad scelera pertinentem; apposite autem agna in lectica gestata opponitur filiæ Agamemnonis, pro agna aræ admotæ. — *gestare amet*, animi delectandi causa gestet. — *paret*, emat. — *aurum*, sc. factum; intellige armillas, fibulas, acus, annulos, etc. ex auro conflatos. — *Pusam aut Pusillam appellet*, h. e. blandis nominibus vocet. Mirum in modum in his nominibus variant vett. librr. alii *Rufam* et *Posillam*; alii, *Rufam* et *Rufillam*; alii *Pupam* aut *Pupillam*, etc. Sed quis in examinandis et constituendis ejusmodi nominibus, blandiendi causa fictis, operam perdat? De appellationibus mollioribus et blandioribus est locus supr. Sat. I, 3, 45 sqq. — *fortique marito Destinet uxorem*, si illam in matrimonium collocare meditetur. Nota *fortem* hunc *maritum* agnæ destinatum. Ed. — *huic* (sic insanienti) *prætor omne jus* (omnem liberum bonorum usum) *adimat interdicto*. — *Interdictum* jam est decretum, certis formulis conceptum, quo prætor aliquid fieri vel jubet, vel vetat; vid. Ernest. in Clav. Cic. s. v. *interdictum*. — *et ad sanos abeat tutela propinquos*; Horatius hic posuit tutelam pro curatione. *Tutela* enim proprie est vis ac potestas in capite libero, jure civili data, ad tuendum eum qui se, per ætatem, defendere non potest. *Curatio* vero, est munus eorum qui puberibus, prodigis, mente captis ac furiosis, aliisque, quod res suas gerere non possent, administratores dabantur ex lege, hique proprie *curatores* dicebantur, alii vero tutores, Inst. l. I, tit. 23, § 3: « furiosi quoque et prodigi, licet majores quinque et viginti annis sint, tamen in curatione sunt agnatorum, ex lege XII tabularum. » Lex autem duod. tab. « si furiosus, aut prodigus exista', ast ei custos nec escit, agnatorum gentiliumque in eo pecuniaque ejus potestas esto. » Ed.

219. *Pro muta*, bruta, rationis experte; cf. supr. Sat. I, 3, 100. — *Ergo, ubi*, etc. Ergo qui stulte sectatur prava, rectissime insanus; qui perpetrat scelera, non solum sceleratus, sed etiam *furiosus* appellabitur; qui virtutis bellicæ gloria exsplen-

Digitized by Google

Et furiosus erit; quem cepit vitrea fama,
Hunc circumtonuit gaudens Bellona cruentis.
Nunc age, luxuriam et Nomentanum arripe mecum.
Vincit enim stultos ratio insanire nepotes.
Hic simul accepit patrimonî mille talenta,
Edicit, piscator uti, pomarius, auceps,
Unguentarius, ac Tusci turba impia vici,
Cum scurris fartor, cum Velabro omne macellum,
Mane domum veniant. Quid tum? Venere frequentes,

descere cupit, cum Bellona *gaudens* (χαιρέκακος) rebus cruentis, furore, vel (ut loquitur de Bellonæ Juvenal. IV, 123) œstro percutit.

222. *Et furiosus. Et* pro: etiam, adeo.—*vitrea*, splendida et fragilis; ut Od. I, 17, 20. — *circumtonuit*, circumtonare solet, et attonitum insanumque facit; tonitru enim fragore turbat ac stupefacit. Ed.—*cruentis*, sc. rebus, vel spectaculis.

224. *Nunc age*, jam *Stertinius*, ambitionem insaniam esse professus, Agamemnona relinquit, et ad luxuriam transiens, nepotes et prodigos quoque insanire docturus, redit ad Nomentanum, quem jam v. 175 produxit. — *arripe*, ad sententiam a nobis judicibus audiendam tanquam prehensum reum adesse jube; cf. Sat. II, 1, 69. — *Vincit*, evincit, argumentis probat. Cic. pro Cluent. 44: « Vince virum bonum fuisse Oppianicum. » — *insanire nepotes*, sic etiam legumlatoribus visum, quum prodigis etiam, ut et furiosis curatores dari jusserint. Vid. supr. ad v. 218. Ed. — *Edicit*, palam denuntiat, moneri jubet, ut adsint postridie mane apud se piscatores, etc. Ed. — *pomarius*, pomorum venditor. — *auceps*, viscator. Hi omnes Romæ viles erant; unde Cicero in Off. lib. I: « Minimeque artes hæ probandæ, quæ ministræ sunt voluptatum: cetarii, lanii, coqui, fartores, ut ait Terentius. » Ed. — *Unguentarius*, pharmacopola. De hoc hominum genere vid. supr. ad lib. I, Sat. II, v. 1. Ed. — *Tusci turba impia vici*. Schol. Cruq. « Tusci aliquando ab Aricinis pulsi contulere se Romam et vicum.... insederunt, cui nomen suum dederunt; » cf. Liv. II, 14, 8. fin. — *impia turba*. Plaut. Curcul. IV, 1, 21: « In Tusco vico sunt homines, qui ipsi sese venditant, » h. e. quæstum corpore faciunt. — *fartor*, vel farciminum confector, vel avium saginandarum curator. — *cum Velabro*, cum omnibus, qui in vico Velabro (ubi olim paludes erant, per quas ex urbis partibus Capitolio subjacentibus in montem Aventinum ituri navicula vehebantur, vel, ut Propertius, IV, 9, 6, de Velabro loquitur *velificabant*,) varia escarum genera venalia habebant. — *macellum*, locus ubi carnes, pisces, etc. vendebantur. Ed.

230. *Quid tum?* Quid tum factum

Digitized by Google

Verba facit leno: « Quidquid mihi, quidquid et horum
Cuique domi est, id crede tuum; et vel nunc pete, vel cras. »
Accipe, quid contra juvenis responderit æquus:
« Tu nive Lucana dormis ocreatus, ut aprum
Cœnem ego; tu pisces hiberno ex æquore verris; 235
Segnis ego, indignus qui tantum possideam: aufer,
Sume tibi decies; tibi tantundem; tibi triplex,
Unde uxor media currit de nocte vocata. »

est? Paruerunt edicto, et, quod exspectari poterat, *Venere frequentes*. Vividiore igitur oratione pro vulgari: Et hi quidem frequentes venerunt. Commemoranda tamen est elegans lectio, quam Bentleius in textum recepit: *qui quum venere frequentes, Verba facit leno*. Hanc lectionem secutus quoque est vir acutissimus Vossius. — Lenoni non sine causa facundi oratoris, qui et suas, et omnium, qui aderant, merces officiosissime commendaret, partes demandatæ sunt. — *Quidquid mihi*, etc. Quidquid ego, quidquid et hi, quos tibi adesse vides, domi venale servant, *id crede tuum*. — *Accipe, quid*. Respondet Nomentanus, primum ad venatorem, deinde ad piscatorem, denique ad lenonem conversus. — *æquus*, alii volunt ironice dictum de hoc juvene prodigo; alii accipiunt pro clementi, largo, benigno. Ego vero: qui æque, cum æquitate rependit pecuniam pro cujusque labore, ut in v. 236, sq. dicitur. Ed.

234. *Tu nive Lucana*, in Lucania enim capiebantur apri præstantiores; hinc infr. Sat. II, 8, 6: « Inprimis Lucanus aper. » Nomentanus singulos separatim alloquitur. — *ocreatus*, ad augendam laboris notionem, qui enim in nive dormit, vestes exuere non potest. Ed. — *Tu pisces... verris; pisces verrere*, pisces capere reti, quo mare quasi *verritur*; hinc retia quoque piscatoria dicuntur: *verricula, everricula*. — *hiberno ex æquore*, ubi non sine magna opera pisces capi possunt; hinc supr. Sat. II, 2, 17, *mare*, quum *hiemat, pisces* a captura *defendere* dicitur. — *Segnis ego*, ego interea otior et desidiæ indulgeo. — *indignus*, qui meo labore non meritus sum, ut tantas ac tam pretiosas res possideam, ac indignus, nisi vobis pretium solvam. Ed. — *aufer*, superbe et cum pecuniæ contemtu. — *tibi decies*. Nomentanus decies centum millia sestertium venatori, tantumdem piscatori, lenoni autem, primas partes apud se agenti, triplicem summam destinat. — *Unde*, e cujus (lenonis) domo. — *uxor*, vel proprie uxor lenonis, eam pretio vendere non dubitantis, vel simpliciter femina quæ mihi uxor, pro uxore futura est. Uxorem pro ea femina quæ loco uxoris est, usurpari jam ad v. 203 notavimus. Ed. — *currit*, gressus geminat præ quæstus faciendi cupiditate. — *media de nocte*; opportunum tempus illud, quo quis scortum ad se arcessat. Ed.

Digitized by Google

Filius Æsopi detractam ex aure Metellæ,
Scilicet ut decies solidum absorberet, aceto
Diluit insignem baccam; quî sanior, ac si
Illud idem in rapidum flumen, jaceretve cloacam?
Quinti progenies Arrî, par nobile fratrum,
Nequitia et nugis, pravorum et amore gemellum,
Luscinias soliti impenso prandere coemtas,

239. *Filius Æsopi*, etc. Jam transit ad alterum prodigentiæ exemplum. Plin. in Hist. Nat. IX, 59, post narrationem de insania, qua Cleopatra, ut ostenderet, ingentem pecuniæ summam brevissimo temporis spatio in ventrem demitti posse, immensi pretii margaritam, aceto dilutam, (h. e. maceratam, liquefactam,) sorbuisse dicitur, agit quoque de re, quæ ad hunc locum Horatii spectat: « Prior (ante Cleopatram) id fecerat Romæ in unionibus magnæ taxationis Clodius, tragœdi Æsopi filius, relictus ab eo in amplis opibus hæres.... ut experiretur in gloria palati, quid saperent margaritæ; atque, ut mire placuere, ne solus hoc sciret, singulos uniones convivis quoque absorbendos dedit. » Ed. — *Metellæ*. Schol. Acr. « Hic (Clodius) Metellæ, quæ eum deperibat, ablatum unionem et aceto dilutum sorbuit. » *Metellam* mulierem admodum divitem fuisse, ex hac ipsa de illa narratione satis apparet. Sed, quum plures hujus nominis fuerint mulieres vel matronæ, quam potissimum jam designaverit poeta, manet in ambiguo. Sunt, qui de *Metella* (cujus mentio fit apud Cic. Epist. ad Attic. XI, 23) Dolabellæ et Æsopi pellice, cogitent. — *solidum*, totum, integrum, non in partes quasdam divisum, sed in unum conjunctum; ergo integram decies centenorum millium HS summam uno haustu absumsit. — *quî sanior*, quomodo, quum hoc decies solidum absorberet, sanior fuit, ac si idem in rapidum flumen cloacamve jaceret?

243. *Quinti progenies Arrî*. Ordo est: Q. Arrii progenies, nobile par fratrum, id est, fratres duo famosi; gemellum, h. e. similes ob nequitiam et puerilia studia, et rerum pravarum amorem, qui erant soliti prandere luscinias magno pretio emtas; quorsum, cur abeant, prætermittantur tanquam sani? an non insanis adscribendi sunt? de Arrio cf. supr. ad v. 86. Ed. — *Nequitia*, luxurie. — *nugis*, dementia, insipientia. — *gemellum*, similimum. — *Luscinias*, aves cantus pulchritudine insignes; ea erat luxuries in conviviis apud Romanos, ut sæpe aves cantuum suavitate præstantissimæ, aut etiam voces pronuntiandas edoctæ, magno pretio coemerentur, et in unam patinam collectæ in mensa apponerentur. Ed. — *soliti*, non raro, et in quibusdam lautissimis conviviis, sed frequentissime. Ed. — *impenso*, h. e. immenso pretio. — *prandere*, comedere, ut infr. Epist. I, 17, 13: « prandere

Digitized by Google

Quorsum abeant sani? Creta, an carbone notandi?
Ædificare casas, plaustello adjungere mures,
Ludere par impar, equitare in arundine longâ,
Si quem delectet barbatum, amentia verset.
Si puerilius his ratio esse evincet amare,
Nec quidquam differre, utrumne in pulvere, trimus
Quale prius, ludas opus, an meretricis amore

olus. » — *Quorsum abeant sani?* cur illos nepotes ut sanos prætermitterem? — *Creta, an carbone,* etc. Cretane ut sani, an carbone ut insani notandi sunt? fausta *albo,* infausta nigro colore notantur; hinc nota illa locutio : « diem faustum *albo,* infaustum *nigro lapillo insignire.* » Hoc jam ad homines aut bonæ, aut malæ notæ transfertur. Horatium imitatus est Persius, V, 108 : « Quæque sequenda forent, quæque evitanda vicissim, Illa prius creta, mox hæc carbone notasti? »

248. *Ædificare casas,* casulas lapillulis construere, quod puerorum est. Ed. — *plaustello,* parvo plaustro. — *adjungere mures,* equorum loco. Ed. — *Ludere par impar,* nos : *jouer à pair ou non.* Nucibus ludunt pueri; ille autem ludus etiam hominibus usurpabatur apud Romanos : Augustus enim ad filiam Juliam scripsit : « misi tibi denarios ducentos quinquaginta, quos singulis convivis dederam, si vellent inter se inter cœnam, vel talis, vel par impar ludere. » Ed. — *equitare in arundine longa,* hoc puerulis gratissimum, ut arundine equi loco utantur. Sic Socrates cum filiis suis. Ed. — *amentia verset,* sc. barbatum, hunc amentia vexari dicas.

250. Stertinius transit ad insaniam eorum, qui delicias faciunt in amoribus. — Sententia, quam pulchre exornavit et amplicavit poeta, est fere hæc : si ratio evincit esse amorem aliquid magis puerile quam has puerorum occupationes, nempe casas ædificare, etc. nec differre quidquam, utrum ludum aliquem qualem prius memoravi, ludes trimus, id est tres annos natus, an plores captus turpi amore, id, inquam, si ratio ostendat; quæro num idem sis facturus, quod olim Polemon, postquam insaniam ejusmodi olim deposuit : an relicturus sis, ut ille, morbi, h. e. luxuriæ insignia, nempe tænias, focalia, etc. certe vereor ut facias. Ed. — Locus inprimis de vario et mutabili animo eorum, qui amant, comparato cum puerorum mutabilitate et inconstantia, est longe suavissimus. — *amare,* amandi, sive meretrices sectandi studium.

251. *Utrumne,* pro simplice *utrum,* ut supr. Epod. I, 7, et infr. Sat. II, 6, 73, et passim alibi. — *in pulvere,* ut ludunt vulgo pueri, dum nuces aut globulos volvunt, aut turbines agitant, aut etiam scrobes effodiunt, casulasve ædificant. Ed. — *trimus Quale prius,* quale olim lusisti trium annorum puerulus. — *Mutatus Polemon?* Schol.

Digitized by Google

Sollicitus plores: quæro, faciasne, quod olim
Mutatus Polemon? ponas insignia morbi,
Fasciolas, cubital, focalia, potus ut ille
Dicitur ex collo furtim carpsisse coronas,
Postquam est impransi correptus voce magistri?
Porrigis irato puero quum poma, recusat:
—Sume, catelle!—Negat. Si non des, optat. Amator

Cruq. « Polemon, vel Polemo juvenis fuit Atheniensis perditæ luxuriæ. Is quum ebrius incederet per urbem, fertur audisse Xenocratis vocem disputantis; deinde introiisse coronatus et unguentatus ad eum deridendum. Senex autem perseveravit, et invectus in luxuriam coegit Polemonem pœnitere sui et coronas abjicere: qui postea tantus in philosophia (Academica) exstitit, ut dignus existimatus sit, qui Xenocrati succederet. » Cf. Diog. Laert. IV, 16; Lucian. Bis Accus. 17; Val. Max. VI, 9, 1.—*Mutatus,* factus ex homine luxurioso probus et temperans.

254. *Ponas insignia morbi,* deponas et abjicias externa signa mollioris vitæ, ut infr. Epist. I, 1, 35: « magnam partem morbi deponere. » *Morbus* sæpe, ut νόσος apud Græcos, de vitiis, cf. supr. V, 27; jam est insanus, quo quis, tanquam morbo, laborat, amor.—*Fasciolas, cubital, focalia,* hominum molliorum et mulierum ornamenta. *Fasciolæ,* vincula et ligamina, quæ placendi studio a delicatis adolescentibus brachiis vel pedum cruribus circumvolvebantur. Sic *purpureæ fasciolæ,* ut muliebria ornamenta, apud Ciceron. Harusp. 21, Clodio exprobrantur.—*cubital,* pulvillus cubito cœnantium suppositus; hinc in Sat. seq. v. 39: « convivæ in cubitum se reponere » dicuntur. Alii intelligunt brachiorum ornamenta et involucra. Ed.—*focalia,* colli tegumenta. Schol. Cruq. « Collaria, a collis dependentia, ad fovendum collum et fauces contra frigus muniendas. »—*ex collo,* in lætioribus conviviis, vel comissationibus convivæ duas coronas gestabant, alteram in capite, alteram in collo. Cic. in Verr. III, 27: « coronam habebat unam in capite, alteram in collo. »—*furtim;* scilicet Polemon sermone Xenocratis de temperantia victus paulatim, adeo erubuit, ut coronas sibi detrahere furtim cœperit. Ed.—*impransi,* sobrii.

258. *Porrigis irato,* etc. Redit ad pueros, quibuscum amore insanientes contenduntur.—*irato puero,* ea est puerorum ira, quæ, levissimis de causis excitata, eos ad res gratissimas repudiandas impellat. Ed.—*Catelle,* canicule: vox blandientis. Apud nos etiam a pullis animalium ad pueros nomina tranferuntur. Ed.—*Amator Exclusus,* etc. Perfectissimum misere amantis exemplum proposuit Terentius, Phædriam scilicet in *Eunucho,* act. I, sc. 1. In Phædria enim (uti fere in Alexi apud Virgilium in

Digitized by Google

Exclusus quî distat? agit ubi secum, eat, an non,
Quo rediturus erat non arcessitus, et hæret
Invisis foribus? Nec nunc, quum me vocat ultro,
Accedam : an potius mediter finire dolores?
Exclusit, revocat : redeam? non, si obsecret. Ecce
Servus, non paulo sapientior : — O here, quæ res
Nec modum habet, neque consilium, ratione modoque
Tractari non vult. In amore hæc sunt mala : bellum;
Pax rursum. Hæc si quis tempestatis prope ritu
Mobilia, et cæca fluitantia sorte, laboret
Reddere certa sibi, nihilo plus explicet, ac si

Ecloga secunda) egregie expressa est summa vis et summus animi impetus, quo huc illuc agitentur et ad insaniam pæne adigantur perdite amantes. Hunc igitur locum Terentianum (qui, quod ad descriptionem hominis *cum ratione* in amore, ut ait Parmeno apud Terentium, *insanientis* attinet, ad consummatissima antiquitatis loca referendus videtur,) Horatius dignum habuit, quem pæne totum in hexametros transferret. Comparent hunc locum tirones cum Terentio, animumque ad artem, qua numeri in ejusmodi locis mutari possint, advertant. Ceterum Horatium imitatus est Pers. V, 161 seqq. — *agit secum*, etc. Dum secum deliberat, reputat, an eat ad illam, an non eat, quo, id est, cujus in domum rediturus fuisset, si non fuisset accersitus; at quia accersitus est, hæret in ipso limine. Ed. — *hæret Invisis foribus*, apud fores, quas invisas sibi esse videri vult, tanquam terræ adfixus stat. Hoc etiam e Terentii comœdia sumtum, in qua Phædria ab amatæ domo amoveri non poterat, in quam tamen se nunquam ingressurum profitebatur. Unde apprime Publius Syrus : « In amore semper mendax iracundia est. » Ed. — *Nec nunc*, ego non accedam, ne nunc quidem quum me ultro accersit. Ed. — *dolores*, significanter pro : amores cum doloribus conjunctos; nam, ut canit Ovidius, Art. Am. II, 519 : « Litore quot conchæ, tot sunt in amore dolores. » — *non, si obsecr.* non redeam, etiamsi obsecret. Ed.

265. *Non paulo sapientior*, multo sapientior quam herus. Sex sequentes versus verba sunt a Parmenone ad dominum Phædriam apud Terentium jacta. Ed. — *quæ res Nec modum habet*, etc. Amor quæ res est, natura sua, modi et consilii impatiens, quæ se prudentia regi non patitur, non tractandus est ratione. Ed. — *In amore hæc sunt mala;* hæc omnia quæ pateris, omnia illa quibus torqueris, injuriæ scilicet, suspiciones, etc. sunt

Digitized by Google

Insanire paret certa ratione modoque.
Quid? quum Picenis excerpens semina pomis,
Gaudes, si cameram percusti forte, penes te es?
Quid? quum balba feris annoso verba palato,
Ædificante casas quî sanior? Adde cruorem

propria amoris vitia; citissime bellum in amore pacem excipit. Ed. — *Hæc si quis*, etc. Si quis hæc natura sua in amore tempestatis prope more mutabilia, incerta, et cæcæ sorti obnoxia, ad certam rationem regere et compescere laboret, *is nihilo plus explicet*, expediat, proficiat, *ac si*, etc. — *Insanire paret certa ratione*, hoc redit ad id, ut amor insania sit. Ed.

272. *Quid? quum Picenis*, etc. Pergit Stertinius ad aliud in amore insaniæ genus, scilicet ad superstitionem, qua, qui amant, se aut faustum, aut infaustum amoris sui eventum exquirere posse opinantur. Huc refert morem, ex quo amantes pomorum semina, vel nucleos duorum primorum digitorum compressione et impulsu ideo in altum agebant, ut inde, si semina illa ad conclavis laquear usque exsiluissent illudque percussissent, faustum amoris sui augurium caperent. Rem narrat Pollux, Onom. IX, 128. Ad hoc superstitionis genus referendum etiam puerile illud ex florum foliis amoris experimentum. Ed. —*Picenis*, epitheton ornans, quia in agro Piceno præstantiora poma nascebantur.—*penes te es?* sanæne mentis es? *penes se esse*, ut apud Terent. V, I, 47, « apud se esse, » mentis suæ esse compotem.

274. *Quum balba feris ann. verba palato*, inversa constructio (cujus multa, præcipue apud Virgilium, exempla reperiuntur,) pro vulgari: *verbis balbis annosum palatum feris*; non palato enim verba feriuntur, sed verba, quum pronuntiantur, *feriunt*, percutiunt, *palatum*. Sensus est: quum tu senex, ut mulieris gratiam captes, instar pueri balbutiente voce blanditias loqueris. Apposite cum Horatio comparant Tibull. I, 2, 93: « Et sibi blanditias tremula componere voce, Et manibus canas fingere velle comas. » Ed.—*quî sanior?* (ut v. 241) quomodo is sanior puero, qui casas ædificat?

275. *Adde cruor. Stultitiæ*, adde, quod illa stultitia interdum ad cædem rapit. Jam docet Stertinius amorem non tantummodo insaniam, sed furorem esse. Ed. — *atque ignem gladio scrutare*, malum malo cumula; proverbium græcum est; Μαχαίρᾳ πῦρ μὴ σκαλεύειν, ignem gladio ne fodito; id est, hominem furentem ne stimula, hominem jam aliqua abreptum cupiditate, ne in aliam vehementiorem injicias. Nos simili ratione: *jeter de l'huile sur le feu*. Nonnulli intelligunt per *ignem* amatam, quod confirmant hoc Terentiano *accede* ad *ignem hunc*, pro ad Thaidem; et explicant: percute ense, transfige hunc ignem tuum, hanc tuam amatam. Hoc autem fere absurdum, ut longissime quæsitum mihi videtur. Ed.

Digitized by Google

Stultitiæ, atque ignem gladio scrutare. Modo, inquam,
Hellade percussa Marius quum præcipitat se,
Cerritus fuit? an commotæ crimine mentis
Absolves hominem, et sceleris damnabis eumdem,
Ex more imponens cognata vocabula rebus?
Libertinus erat, qui circum compita siccus
Lautis mane senex manibus currebat: et, Unum,
(Quid tam magnum? addens,) unum me surpite morti,
Diis etenim facile est, orabat; sanus utrisque
Auribus atque oculis; mentem, nisi litigiosus,

277. *Modo,* nuper. Jam scilicet de facto loquitur poeta adhuc recente. Ed. — *Hellade percussa Marius.* Schol. Acr. « Marius quidam ob amorem Helladem quamdam puellam occidit, quum ab ea contemneretur, et se postea præcipitavit. » — *Cerritus,* id est, percussus a Cerere, quæ hominibus insaniam immittere credebatur. Ed. — *an commotæ crimine mentis,* etc. Sensus est: an non confiteris hunc hominem insanum esse? vel ut neges eum stultum esse, ut absolvas eum crimine mentis commotæ furentis, eum sceleratum dices, imponens, etc. Nam, ut v. 210 dicitur, « Stultitiane erret, nihilum distabit, an ira. » Ed. — *cognata vocabula,* cognationem aliquam inter se habentia. Schol. Acr. « diversa quidem, sed non multum distantia. »

281. Stertinius denique hominum insaniam per ea, quæ præter sortem suam appetunt, et per vota, quæ animo concipiunt, exemplis probat. — *circum compita,* ubi dii domestici publice colebantur. Schol. Acr. « Jusserat Augustus in compitis deos Penates constitui, ut studiosius colerentur. » — *siccus,* sobrius, qui mane nihildum cibi potusve sumsit. Supr. Od. IV, 5, 39: « Dicimus integro sicci mane die. » — *Lautis manibus.* Schol. Cruq. « quia solebant precaturi deos manus et pedes abluere. » Interpretes in hanc rem laudant Hesiod. Op. et D. 724; Hom. Iliad. I, 449; VI, 266; Odyss. III, 440.

282. *Et, Unum,* etc. Sensus est: orabat isto modo: « O dii, unum me ex omnibus civibus morti surripite, addens; quid tam magnum, quid in ea re tam operosum est vobis, o superi? tantillam rem mihi non negabitis. » Ille sanus erat auribus et oculis; mente non item; ac si servus iterum e libertino factus fuisset, venditusque, debuisset dominus excipere mentem, id est, emptorem admonere, illum cetero corpore sanum esse, præterquam capite et mente. Ed. — *surpite,* pro surripite. Ed. — *mentem, nisi litigiosus, Exciperet dominus quum venderet;* dominus, nisi is est litium amans et fraudulentus, quum ejusmodi hominem venderet, *mentem*

Digitized by Google

Exciperet dominus quum venderet. Hoc quoque vulgus
Chrysippus ponit fœcunda in gente Menenî.
Jupiter, ingentes qui das adimisque dolores,
Mater ait pueri menses jam quinque cubantis,
Frigida si puerum quartana reliquerit, illo
Mane die, quo tu indicis jejunia, nudus
In Tiberi stabit: casus medicusve levarit
Ægrum ex præcipiti, mater delira necabit
In gelida fixum ripa, febrimque reducet.

exciperet, h. e. libere, eum non sanæ mentis esse, diceret. Schol. Porph. « Qui vendunt mancipia, solent hoc adjicere: *Sanus corpore et animo.* » Cic. de Offic. III, 17: « In mancipiorum venditione venditoris fraus omnis excipitur. » — *hoc quoque vulg. Chrysipp.... Menenî*, hos quoque, qualis libertinus ille erat, e vulgo homines ad fœcundam Menenii gentem Chrysippus refert; vixit enim tum temporis tam stultæ mentis homo, *Menenius*, ut stultorum esset quasi paterfamilias, vel stultæ stirpis princeps. Alii legunt: *hos quoque vulgus Chrysippi*, etc. h. e. vulgus Chrisippi, scilicet Stoici, ponunt hos homines, homines hujus generis, etc.

288. *Jupiter*, etc. Jam ad aliud superstitionis genus transit Stertinius. Ed. — *cubantis*, ægrotantis; cf. supr. ad Sat. I, 9, 18. — *quartana*, febris quarto quoque die recurrens. Ed. — *illo Mane die, quo*. Schol. Porphyr. « die Jovis; » hic dies enim sacer fuit deo, a quo nomen accepit. — *tu indicis jejunia*, te jubente indicuntur jejunia; apud Livium XXXVI, 37: *jejunia*, Cereri instituenda, ex libris Sibyllinis a Decemviris indicuntur. De *jejuniis apud veteres* copiose disputavit Spanhemius ad Callim. H. in Cer. v. 6. *De jejuniis die Jovis a Judæis institutis* laudat Gesnerus Selden. de I. N. III, 15. Obiter fortasse Horatius jam risit stultitiam eorum, qui Judæorum ritus imitarentur. — *In Tiberi stabit*, expiationis causa immersus. Heindorfius, qui hunc expiandi ritum orientalis originis esse ait, comparat Juven. VI, 522.

292. *Casus medic. lev. Ægrum*. Si forte levaverit ægrotum *casus;* casum, quem ponere videtur in naturæ viribus, præponit *medicis; ex præcipiti*, ex vitæ periculo; Celsus quoque, II, 6, gravi morbo laborantem in *præcipiti esse* dicit. — *necabit*, vix in sensu proprio accipi potest; sequitur enim *febrimque reducet;* erit igitur: *pæne necabit*, dum corpus pueri, qui modo convaluerat, tam graviter gelida aqua afficietur, ut fixus in ripa pedem inde promovere nequeat; *febrimque* simul *reducet*. Sic *occidere* passim pro: *pæne occidere;* supr. Epod. XIV, 5, infr. Epist. II, 2, 138. Si *necabit* in sensu proprio accipiendum sit, tum (nisi hysteron proteron esse statuas) pro: *febrimque* legendum

Digitized by Google

Quone malo mentem concussa? timore deorum. »
Hæc mihi Stertinius sapientum octavus amico
Arma dedit, posthac ne compellarer inultus.
Dixerit insanum qui me, totidem audiet; atque
Respicere ignoto discet pendentia tergo.

HORATIUS.

Stoice, post damnum sic vendas omnia pluris!
Qua me stultitia (quoniam non est genus unum)
Insanire putas? ego nam videor mihi sanus.

mihi videtur: *febrimve;* mater puerum necabit, aut certe febrim reducet. — *concussa*, insania, quæ mentem concuteret, abrepta; sensus: Quidnam fuit illud, quod matrem ad hanc insaniam adigeret? Respondetur: *timor deorum*, h. e. votum stulta mente susceptum, quod mater commota *timore*, ne, re, quam promiserat, intermissa, deorum iram moveret, nunc exsolvendum putabat. Stoicus igitur de hac quoque re ridet hominum insaniam.

296. *Hæc mihi Stertinius*, etc. Damasippus, postquam præcepta stoica ex ore Stertinii sublecta et descripta (v. 34) enarravit, nunc sermonem cum Horatio inchoatum continuat. — *Arma dedit*, per *arma* intellige præcepta stoica, quibus Damasippus ad se defendendum ab illis, qui se impugnaturi, h. e. insanum compellaturi (carpturi, vid. Ernest. in Clav. Cic. s. v. *compellare*) sint, se tanquam armis uti velle ait. Stoici enim docent, omnes insanire, ideoque eos ipsos insanire, qui alios insanire dicant. Hinc pergit Damasippus: *Dixerit insanum qui me, totidem audiet*, h. e. qui me insanum dixerit, is, quoties id dicet, toties idem a me audiet, h. e. toties vicissim eum insanum compellabo. — *atque Respicere ignoto discet pendentia tergo*, atque discet respicere ad ea, quæ in ipsius tergo pendere ignorat; *tergum ignotum*, sc. ei, qui, quod in tergo suo gerat, non videt. Supr. Sat. I, 3, 22: « Heus tu, Quidam ait, ignoras te? an ut ignotum dare nobis Verba putas? » Catull. XXII, 21: « Suus cuique attributus est error: sed non videmus manticæ quod in tergo est. » Nota est fabula Æsopi de duabus peris, quam tractavit Phædr. IV, 9; cf. Pers. IV, 24.

300. *Stoice*, etc. Sensus: Dic mihi, quæso, Stoice, quo stultitiæ genere tu me insanire putas? (*sic*) quod si mihi dixeris, optabo, ut post bona tua olim perdita omnia in posterum majore pretio vendas. — *post damnum*, Damasippus enim olim mercator res suas male gesserat, ut ipse profitetur supr. v. 19: « Postquam omnis res mea Janum Ad medium fracta est: » De particula *sic*, sive de hac optandi formula cum conditione, cf. supr. ad Od. I, 3, 1.

Digitized by Google

DAMASIPPUS.

Quid? caput abscissum demens quum portat Agave
Guati infelicis, sibi tum furiosa videtur?

HORATIUS.

Stultum me fateor (liceat concedere veris)
Atque etiam insanum; tantum hoc edissere, quo me
Ægrotare putes animi vitio?

DAMASIPPUS.

Accipe. Primum
Ædificas, hoc est, longos imitaris, ab imo
Ad summum totus moduli bipedalis: et idem
Corpore majorem rides Turbonis in armis
Spiritum et incessum: quî ridiculus minus illo?
An quodcunque facit Mæcenas, te quoque verum est,

303. Damasippus respondet: Nec Agave furiosa sibi videtur, quum, concitata furore, a Baccho sibi injecto, filio Pentheo, quem pro leone habebat, caput abscinderet. Cf. Euripid. Bacch. 1236; vid. Ovid. Met. III, 712 sqq. Hygin. Fab. 184. Hoc novo exemplo docet Damasippus suam nemini insaniam apparere posse. Ed.— Pro: *abscissum demens* nonnulli volunt cum Fea *abscissum manibus*.

305. *Stult. me fateor*, etc. Horat. jam fatetur se stultum esse, sed quo genere stultitiæ laboret, rogat. Ed. — *Accipe*, audi, jam explicabo. Ed. — *Ædificas*, videtur tum Horatius in villa sua amplificanda occupatus fuisse.— *longos*, ditiores et beatiores, ad quos præcipue pertinebat Mæcenas; jocose Damasippus *longos*, Horatium vero, pauperem et in re tenui natum, (vid. infr. Epist. I, 20, 20) *bipedalis corporis* hominem appellat. Et vere fuit Horatius *exigui corporis* homo, ut ipse profitetur loc. laud. v. 24. Ceterum hoc notasse videtur Horatius quod nonnulli Mæcenatis imitationem ei exprobrarent. Ed.— *ab imo Ad summum*, a capite ad calcem. Ed.

309. *Et idem Corpore majorem*, etc. Tu idem tamen rides spiritum, id est, audaciam et vanitatem atque incessum Turbonis armati, majorem corpore: rides Turbonem gladiatorem ingentes animos angusto in corpore versantem. Ed.—Schol. Porph. «Turbo, gladiator, fuit parvo corpore, sed animosus pugna.» — *qui ridiculus minus illo?* Si Turbo est ridiculus, num tu minus es?

312. *Te quoque* (facere) *verum*

Digitized by Google

Tanto dissimilem, et tanto certare minorem?
Absentis ranæ pullis vituli pede pressis,
Unus ubi effugit, matri denarrat, ut ingens
Bellua cognatos eliserit: illa rogare,
Quantane? num tandem, se inflans, sic magna fuisset?
—Major dimidio.—Num tanto?—Quum magis atque
Se magis inflaret;—non, si te ruperis, inquit;
Par eris.... Hæc a te non multum abludit imago.
Adde poemata nunc (hoc est, oleum adde camino)
Quæ si quis sanus fecit, sanus facis et tu.
Non dico horrendam rabiem;

HORATIUS.

Jam desine....

DAMASIPPUS.

Cultum
Majorem censu;

est, æquum et rectum est; sic *verum* infr. Epist. I, 7, vers. ult. et I, 12, 23: « Nil Grœphus nisi *verum* orabit et *æquum*, » et sic *verum* sæpissime apud Livium, ubi hæc vox ab iis interpretibus, qui ejus notionem ignorarent, perperam in *æquum* mutata est; vid. ad Liv. II, 48; § III, 40; § 11, et ad XXIII, 11, § 12.— *tanto minorem*, inferiorem, tam imparem, *certare*, quod attinet ad *certare cum Mæcenate* pro: in certamine; infr. Epist. I, 10, 35: « donec *minor* in certamine longo. »—*Absentis ranæ*, etc. Nota omnibus ranæ fabula; quæ bovem magnitudinem æquare volens disrumpitur. Hanc fabulam videas apud Phædrum et nostrum Fontanium expressam videas. Ed. — *cognatos*, jam pro: una secum natos, suaviter pro: ceteros pullos. — *num tandem, se inflans*, etc. Alii volunt: num *tantum, sufflans se*, magna fuisset? non autem fert latinitas *tantum magna*. Ed. — *inquit*, sc. pullus. Ed.

320. *Abludit*, discrepat. — *Adde poemata*, ad hanc insaniam adjunge aliam: fac versus, hoc est: igni oleum adde (insaniæ nova alimenta præbe).

322. *Quæ si quis sanus*, etc. Nam, ut Horatius infra dicit in Epist. ad Pisones v. 290: « excludit *sanos* Helicone *poetas* Democritus. » — *Non dico* (prætereo) *horrendam rabiem*; ipse Horatius vim rabidi furoris, quo ad scribendos criminosos iambos se abripi passus sit, gravissime descripsit

Digitized by Google

HORATIUS.

Teneas, Damasippe, tuis te....

DAMASIPPUS.

Mille puellarum, puerorum mille furores. 325

HORATIUS.

O major tandem parcas, insane, minori.

supr. Od. I, 16.— *Cultum majorem censu*, non dico sumptus, quos ultra rei tuæ familiaris modulum in externo cultu facis.

324. *Teneas, Damasippe, tuis te*, contineas te intra tua, h. e. intra ea, quæ ad te ipsum spectant, nosce te ipsum.— *Mille puellarum*, etc. Prætermitto etiam puellas et totidem pueros quorum amore furis. Ed. — *O parcas*, etc. O tu, insane, cujus insania major est mea, parcas tandem mihi, cujus insania minor est tua; sive: o insane, parcas tandem mihi minus te insanienti. Qui Satiræ finis lepidus jocus est.

Analysis. Omnium hominum stultitiam demonstraturus poeta, non ipse illud argumentum voluit explicare, ne minus gravitatis habere videretur documentum; inducit autem Damasippum quemdam, deridiculum hominem Romæ satis notum, qui quum sua bona stulte antiqua vasa coemendo consumpsisset, Stoicus factus fuerat: Stoicorum autem illa fuit sententia, « omnes homines, præter sapientem insanire. » Damasippus ille Horatio enarrat se jam miserrimum ultro in undis periturum, a Stertinio Stoico revocatum et recreatum fuisse, audivisseque omnes homines aliquo insaniæ genere laborare. Hic Damasippus Stertinii verba refert de communi hominum stultitia. Omnes cupiditates, omnia humani animi vitia reprehenduntur, ac nonnisi insania esse demonstrantur. Temeritas scilicet qua periculum ultra modum contemnimus; rei nostræ mala gestio; nimia divitiarum æstimatio, qua in divitiis virtutem sitam esse arbitramur; nimius etiam divitiarum contemptus; avaritia qua nosmet miseriis angimus et ad scelus impellimur; ambitio, qua per fas et nefas honores persequimur; prodigalitas; amor denique, qui nos deridendos facit, ac etiam sæpissime in furorem vertitur. Longam illam in hominum vitia insectationem mira arte variavit distinxitque poeta: exempla scilicet cujusque vitii proponit, inter quos homines Romæ notissimos, aut etiam adhuc vivos; nonnulla quoque introduxit quasi *episodia*, scenas dramaticas, in quibus adesse et loqui videntur personæ. Post hanc omnium insaniæ generum enumerationem, se ipsum ex hoc insanorum numero detrahere noluit. Se

Digitized by Google

quoque insanum esse, et quo insaniæ genere laboret, explicat. Denique, Damasippum illum, philosophum stoicum, omnes homines insanire docentem, insanorum quoque numero inserit. — Idem argumentum, alio autem colore, tractavit Boileus noster in Satira quarta. Ed.

SATIRA IV.

Ad deridendos eos, qui felicitatis partem stulte in lautis epulis ponunt, artis coquinariæ præcepta, quæ Catius quidam se ex ore magni in arte coquinaria magistri hausisse fingit, mira diligentia refert. In hac satira sophistas Epicureos sub persona Catii exagitat, quemadmodum in præcedenti satira falsos Stoicos sub Damasippi persona insectatus est. Ed.

HORATIUS.

Unde, et quo Catius?

CATIUS.

Non est mihi tempus aventi
Ponere signa novis præceptis, qualia vincunt
Pythagoran, Anytique reum, doctumque Platona.

1. *Unde et quo Catius?* vulgaris obvios alloquendi formula. Supr. Sat. I, 9, 62: « Unde venis, et quo tendis? » Similiter fere Virgilius exorditur Eclogam nonam: « Quo te, Mœri, pedes? an, quo via ducit in urbem? » — *Non est mihi tempus av. Ponere signa novis præceptis*, jam tecum confabulandi deest mihi tempus, festinanti scilicet nova, quæ modo audivi, præcepta consignare literis. — *Ponere signa*, cum delecta, ut videtur, pro vulgari: literis mandare; *nova præcepta* versabantur in designando rerum, e quibus lautæ epulæ pararentur, modo, vel mensura, pondere, etc. ita quidem, ut plura fortasse brevius, *signo* tantummodo aliquo *posito*, notarentur, uti fere medici nostri componendis miscendisque medicaminibus *signa* tantum *ponere* solent. Nonnulli etiam volunt de arte *mnemonica* agi, a Simonide, secundum Græcos, inventa; per quam artem ideæ signis quibusdam notantur in mente, ne memoria excidant. Ed. — *nova*, qualia a nemine adhuc proposita sunt. — *qualia vincunt*, talia ut vincant, superent Socratis et Platonis præcepta. Nota quanta verborum gravitate, quanto oris hiatu ea præcepta nuntiet Catius, quæ non nisi

Digitized by Google

HORATIUS.

Peccatum fateor, quum te sic tempore lævo
Interpellarim: sed des veniam bonus, oro.
Quod si interciderit tibi nunc aliquid, repetes mox;
Sive est naturæ hoc, sive artis; mirus utroque.

CATIUS.

Quin id erat curæ, quo pacto cuncta tenerem,
Utpote res tenues, tenui sermone peractas.

HORATIUS.

Ede hominis nomen, simul, an Romanus, an hospes.

CATIUS.

Ipsa memor præcepta canam; celabitur auctor.

ad culinariam artem spectant. Ed. — *Anytique reum*, Socratem; *Anytus* unus Socratis accusatorum fuit.

4. *Peccatum fateor*, se excusat poeta; formula est urbanitatis. Ed. — *lævo*, importuno. — *interciderit*, animo exciderit, effluxerit. — *repetes mox*, illud mox in memoriam revocabis. Ed. — *Sive est naturæ*, etc. Sive hæc audita in memoriam revocandi facultas est res insiti tibi ingenii, *sive artis*, exercitationis, studii, tu sane in utroque excellis; cogitasse videtur poeta de arte memoriæ, cujus inventor Simonides fuisse traditur. Hoc autem confirmat hanc opinionem quam de v. 2 retulimus. (Cic. de Invent. II, 86.) — *mirus utroque*; id est, innata facultate vel arte memorandi mirus es et egregie peritus. Ed.

8. *Quin id erat curæ, quo*, etc. Quin hoc ipsum jam agebam, ut omnia mihi tradita præcepta memori animo reponerem. — *res tenues*, subtiles, subtiliter excogitatas; sic v. 56: « tenuis ratio saporum; » exempla Ciceroniana, ubi *tenuis* pro: subtilis ponitur, vide in Ernest. Clav. Cic. s. v. *tenuis*. — *peractas*, traditas, expositas. — *Ede hominis*, etc. Hic Horatius jam ista præcepta, tanta gravitate significata, mirabilia quasi credens, nomen magistri petit præclara hæc ipsa docentis. Ed. — *Ipsa mem. præc. canam*, ego recitabo tibi illa præcepta quæ memoria retinui. Ed. — *celabitur auctor*, si de Epicuro ipso ageretur, cur, ut in analysi dicemus, ejus nomen taceret poeta? quemvis igitur alium intelligamus, cujus nomen vix eos, qui tum vivebant, latere potuit. Fuit fortasse vir quidam nobilior, cujus iram contra se irritare noluit. Ceterum hic ipse subtilis saporum judex et experientissimus præstantiorum epularum æstimator atque magister huic scribendæ Satiræ omnem materiem suppeditasse videtur.

Digitized by Google

Longa quibus facies ovis erit, illa memento,
Ut succi melioris et ut magis alba rotundis,
Ponere; namque marem cohibent callosa vitellum.
Caule suburbano, qui siccis crevit in agris
Dulcior; irriguo nihil est elutius horto.
Si vespertinus subito te oppresserit hospes,
Ne gallina malum responset dura palato,
Doctus eris vivam misto mersare Falerno;

12. Jam longam incipit de variis cibis lectionem Catius, quasi epularum codicem, viginti fere articulis constantem, et de singulis cœnæ partibus, a principio ad finem, tractantem. Ed.—*Longa quibus facies ovis*, etc. Satis constat, in cœnis apud Romanos primum *ova* et postremum *mala* apposita esse, unde natum est illud proverbium: *ab ovis usque ad mala*. (Supr. Sat. I, 37.) Itaque, qui nunc de epulis subtiliter æstimandis atque dijudicandis verba facit, servato, quo illæ in cœna se excipere solebant, ordine, primum sententiam suam fert de *ovis*.—*Ova longæ faciei* putabantur et adhuc putantur *vitellum marem* continere, (vid. Plin. H. N. X, 74, et Columell. VIII, 5, ibique Gesner.) et quia vitellum marem circumfluit resina callosior, vel liquor spissior et crassior, ova longa, ut melioris saporis et plus albi lactis præbentia rotundis præferebantur.—*magis alba*, abundantius albumen habentia. Bentl. *alma*; Cun. *alta*. Ed.—*Ponere*, apponere.—*cohibent*, dum *callosa* vitellum quasi in æquilibrio continent, eleganter dicuntur eum *cohibere*, sc. a vaga mobilitate.

15. Jam transit ad olera, sive caules; junge: *Caulis, qui in siccis agris crevit, est dulcior caule suburbano*, h. e. in horto suburbano nato; hinc addit: *irriguo nihil est elutius horto*, h. e. terra nullibi magis per aquam est eluta (nullibi magis est humida), quam in hortis suburbanis, sive quod siti illi erant in locis humidis, sive quod rivuli in eos deducebantur; Ovid. Fast. II, 703: « Hortus odoratis suberat cultissimus herbis, Sectus humum rivo lene fluentis aquæ; » olera autem in locis humidis nata fatui saporis esse credebantur. Unde Plinius, lib. XIX, cap. 8: « humor fimusque si defuere, major saporis gratia est. Si abundavere, lætior fertilitas. » Ed.

17. *Si subito te oppresserit*, tibi imparato supervenerit. Incommodum enim affert, et quasi opprimit qui inexspectatus, ad hospitem nihil jam cibi domi habentem, advenit. Ed.—*Ne gallina malum*, etc. Ne gallina, quæ ad reficiendum improvisum hospitem subito cæsa est, *dura* maneat, et male (sic enim explicari debet *malum*) h. e. ingrate responset, resistat, obluctetur palato, etc. Alii autem explicant: ne gallina, statim cæsa, dura sit, et male responset, parum respon-

Digitized by Google

Hoc teneram faciet. Pratensibus optima fungis
Natura est: aliis male creditur. Ille salubres
Æstates peraget, qui nigris prandia moris
Finiet, ante gravem quæ legerit arbore solem.
Aufidius forti miscebat mella Falerno;
Mendose; quoniam vacuis committere venis
Nil nisi lene decet: leni præcordia mulso
Prolueris melius. Si dura morabitur alvus,
Mitulus et viles pellent obstantia conchæ,
Et lapathi brevis herba, sed albo non sine Coo.

deat exspectationi palati, fallat exspectationem hospitis esurientis et teneram carnem edere cupientis, etc. Ed. — *Doctus eris mersare*, pro: præceptis meis edoctus, mersabis; *mersare* jam pro: mersando suffocare. — *misto Falerno*, explicant Falerno aqua temperato. Nescio autem an non rectius cum Bentleio et multis aliis legatur *musto* (nos: *du moût, du vin doux*). Ed. *Mustum* enim apud Romanos ita condebatur, ut per integrum ferme annum recens et dulce servaretur, varioque culinæ usui adhiberetur. Laudant in hanc rem Cat. de R. R. CXX; Colum. XII, 29; Plin. XIV, 11.

20. *Optima*, innoxia et salubris. Ed. — *aliis male creditur*, non ideo tantum, quod fungi, qui in silvis nascuntur, natura sua deteriores sunt pratensibus, sed etiam, quod in silvis simul inveniuntur fungi mali et valetudini admodum infesti, qui ob similitudinem, quam cum bonis habent, facile fraudi esse possunt. — *Ille salubres Æstates peraget*, optima per integram æstatem valetudine utetur qui, etc. Ed. — *qui nigris prandia moris*, jam adsperguntur quædam præcepta, ad illa, quæ ante solemnem cœnam sumenda sint, spectantia. — *ante gravem*, etc. Quæ decerpserit mane, ante solem meridianum. Ed.

24. *Forti.... Falerno*, Aufidius, homo gulosus, cujus gentem nosse nihil attinet, reprehenditur, quod *mulsum* ex melle et *Falerno forti* (h. e. fervido, ut infr. Sat. II, 8, 38: *vina fervida*), miscebat; hanc autem Aufidii consuetudinem damnat Catius: *mendose*, male hunc facere docet, aitque Falernum austerius esse, etiam admixto melle, vultque nihil austerum venis *vacuis*, h. e. ante cœnam, committi. Commendat igitur *mulsum lene*, h. e. mulsum ex melle et vino leniore quam Falerno compositum. Ed. — *dura alvus morabitur*, tardius, segrius se exonerabit. Ed. — *Mitulus* vel *Mytilus*, concharum esculentarum genus, μυλλίνα, nos: *moules*. — *viles conchæ*, conchæ parvi pretii. Ed. — *lapathi* (ex genere *oseille*. *Rumex scutatus* vel *R. Patientia*. Linn.) — *brevis herba*, supr. Epod. II, 57:

Digitized by Google

Lubrica nascentes implent conchylia lunæ; 30
Sed non omne mare est generosæ fertile testæ.
Murice Bajano melior Lucrina peloris:
Ostrea Circeiis, Miseno oriuntur echini;
Pectinibus patulis jactat se molle Tarentum.
Nec sibi cœnarum quivis temere arroget artem, 35
Non prius exacta tenui ratione saporum.

« Aut herba lapathi prata amantis, et gravi Malvæ salubres corpori.»—*brevis.* Schol. Cruq. « parva, non excrescens in altum. » —*albo non sine Coo,* vino Coo albo. Omnia illa sumuntur ex Caton. cap. 158 : « Alvum dejicere, hoc modo oportet... addito mutulorum L. II, piscem capitonem... cochleas VI.... hæc omnia decoquito usque ad sextarios tres juris. Oleum ne addideris. Indidem sume tibi sextarium unum tepidum, adde vini Coi cyathum unum, » etc. Ed. Vid. Athen. I, 59, et Heind. ad h. locum.

30. *Conchylia,* pisces conchis inclusos.— *Lubricæ,* mucoso liquore obducta vel madentia; epitheton ornans. — *nascentes lunæ implent,* carnosiora reddunt. Plin. H. N. II, 41, § 2 : « Lunari potestate ostrearum conchyliorumque, et concharum omnium corpora augeri et rursus minui.... exquisivere diligentiores. » Dixerat etiam Lucilius : « luna alit ostrea, et implet echinos, muribu' fibras Et pecui addit. » Ed.— *generosæ testæ. Generosa* vocantur animalia testacea, quæ esculenta sunt.—*Murice Baiano melior Lucrina peloris;* peloris (pisciculus ex ostreorum genere) Lucrina, h. e. capta in sinu Lucrinensi prope Puteolos, in Campania, melior est *murice* (alio pisciculo testaceo) Bajano, h. e. capto in Bajano sinu, prope Bajas in eadem Campania. Ed. —*Ostrea Circeiis.* Plin. H. N. XXII, 21 : « Circeiensibus ostreis neque dulciora, neque teneriora esse ulla compertum est. » *Circeii,* oppidum in Latio et promontorium in mare Tyrrhenum procurrens. Nunc dicitur *Monte Circello.—Miseno* promontorio, et ejusdem nominis oppido, in Campania, nomen habente a Miseno, Æneæ tibicine, illic sepulto. Virg. Æn. VI. Ed. — *echini,* testaceorum genus, ubique spinis munitum; nos : *des hérissons de mer.* — *Pectinibus ;* pectines (nos : *pétoncles*) pisces conchis duabus includuntur striatis et spissis, quæ superiori parte strictiores, inde in orbem dilatantur, unde magno hiatu aperiuntur et patuli appellantur. Ed. Vide, qui eos laudant; Athen. III, p. 88; B. Aristot. H. N. IV, 4, 3; Plin. Hist. Nat. IX, 51, XXXII, 53. — *molle Tarentum,* ab ingenio hominum, mollius et luxuriosius ibi viventium; hinc infr. Epist. I, 7, 45 : « Tarentum imbelle. »Vid. Interpretes.

35. *Nec sibi cœnarum,* etc. Nota prohibitionis severitatem, verborumque gravitatem, in hac re levissi-

Digitized by Google

Nec satis est cara pisces avertere mensa
Ignarum, quibus est jus aptius, et quibus assis
Languidus in cubitum jam se conviva reponet.
Umber et iligna nutritus glande rotundas
Curvet aper lances carnem vitantis inertem:
Nam Laurens malus est, ulvis et arundine pinguis.
Vinea submittit capreas non semper edules.
Fecundæ leporis sapiens sectabitur armos.
Piscibus atque avibus quæ natura et foret ætas,

ma. Ed.—*Non prius exacta,* etc. Qui non antea subtiliter exploraverit saporum rationem.—*tenui,* subtili, ut v. 9.—*Nec satis est,* etc. Sensus: Non satis est pisces caros emere, sed opus quoque est scire, qui eorum elixi, quive assi melius et jucundius sapiant.—*avertere,* auferre pisces, eosque domum portare. Nonnulli pro: *avertere* legunt *averrere*, h. e. piscibus manum cupide injicere et quasi avide abripere. Ed. *Caram mensam* accipio de mensa in macello, in quo *cari* vel magni pretii *pisces* venales expositi sunt; ex hac igitur mensa cupidi lautiorum epularum emptores averrunt et auferunt pisces. Ed.—*Ignarum,* eum qui ignorat.—*et quibus assis Languidus in cub. jam se conv. reponet,* versus elegantissimus: et assorum piscium adspectu conviva jam fere satur de integro ad edendum allicietur; *se reponere in cubitum,* lævo cubito in pulvinari posito ad edendum se componere. Vid. Od. I, 27, 8; not. Ed.

40. *Umber et,* etc. Suadeo ut aper natus in Umbria et quercea glande nutritus impleat lances ejus qui vitat, non amat carnem mollem, pinguem et inertem. Umbria, pars Italiæ, nunc dicta: *le duché de Spolète.* Ed.—*iligna* (iligneа) *glande,* ilicis.—*curvet,* pondere gravet et deprimat, pro: impleat; quum toti apri apponerentur, non mirum est, si patinæ curvari et rumpi tanto pondere viderentur. Ed.—*vitantis,* ejus, qui recusat.—*inertem,* insipidam; nihil, quod palatum suaviter afficiat, habentem.—*Laurens,* aper nutritus in agro Laurenti, qui ager est in Latio, prope Ostiam. Ed.—*ulvis,* herba palustri.—*pinguis,* saginatus.

43. *Submittit,* capiendas offert, suggerit.—*edules,* aptas ad edendum. Ed.—*sapiens,* subtilioris palati homo, boni saporis probe gnarus.—*sectabitur,* appetet.—*armos* feminæ, *les épaules;* maris lumbos, *le rable,* ut gratiores requiret. Alii legunt, *fecundi.* Ed.

45. *Piscibus atque avibus,* etc. Qualis esset piscium aviumque natura et bonitas, et qua ætate cujusque caro optime saperet, id nullius ante me palato exploratum est, sive, id pro palati mei subtilitate primus docui. Hoc eruditissimi palati sane fuit, avium et piscium ætatem et naturam primo

Digitized by Google

Ante meum nulli patuit quæsita palatum.
Sunt, quorum ingènium nova tantum crustula promit.
Nequaquam satis in re una consumere curam :
Ut si quis solum hoc, mala ne sint vina, laboret,
Quali perfundat pisces securus olivo.
Massica si cœlo supponas vina sereno,
Nocturna, si quid crassi est, tenuabitur aura,
Et decedet odor nervis inimicus; at illa
Integrum perdunt lino vitiata saporem.
Surrentina vafer qui miscet fæce Falerna
Vina, columbino limum bene colligit ovo;

morsu dignoscere; senatorem illum æquabat Catius, de quo Juvenalis, Sat. IV, 143: « et semel aspecti littus dicebat Echini. » Ed. — *Ante meum palatum,* lepide pro : ante me.

47. *Sunt, quor. ingen.* etc. Multos homines videas quorum ingenium uni rei totum adhibetur, nec ultra unum crustulorum genus evehi potest. Ed. — *promit* pro : promat, post *sunt;* vid. Heind. supr. ad Sat. I, 4, 24. — *Nequaquam satis,* non satis est in re una consumere curam ; parvi animi est tam angustis finibus circumscribi. Ed. — Bentleius in hoc versu vocem *est* excidisse suspicatur, quia *satis* simpliciter pro : sufficit, nusquam dicatur. Sane, si hæc vox omnino opus sit, ei vel ante *satis,* vel post *una,* vel in fine versus locus adsignari potest. — — *hoc... laboret,* hoc unum curet. — *securus,* cetera negligens.

51. *Massica vina,* cf. supr. Od. I, 1, 19. — *si cœlo supponas,* exponi omnia Campaniæ vina jubet Plinius H. N. lib. XIV, c. 27: « Campaniæ nobilissima vina, exposita sub dio in cadis, verberari sole, luna, imbre, ventis, aptissimum videtur. » Ed. — *tenuabitur,* defæcabitur, expurgabitur. — *nervis inimicus,* amittent odorem graviorem qui nervos offendit. Ed. — *vitiata,* significanter pro : liquata, destillata, percolata, quia vina, dum liquantur per lineum sacculum (gall. *la chausse*), *vitium* trahunt. Lucilius in Sat. IV: «...sit quibus vinum defusum e pleno, siphon cui neque demsit Vim, nec sacculus abstulerit. » Ed.

55. *Surrentina... Vina,* nata in jugis prope oppidum *Surrentum,* in Campania, hodie *Sorento.* Hujus regionis vina medici ægrotantibus potari jubebant, utpote salubria et levia ; sed Tiberius Cæsar eadem nihil nisi *nobile acetum* esse aiebat. Vid. Plin. H. N. l. IV, c. 16. Ed. — Schol. Cruq. « Surrentina debilia sunt, Falerna acria et robusta (fortia potius ut v. 24); itaque ex fæce Falerni Surrentina fiunt gratiora et mollia. » — *vafer,* prudens, providus. — *columbino limum,* etc. Ovo columbino injecto (*limum*) sordem fæcis (*bene*) bono

Digitized by Google

Quatenus ima petit volvens aliena vitellus.
Tostis marcentem squillis recreabis et Afra
Potorem cochlea; nam lactuca innatat acri
Post vinum stomacho. Perna magis ac magis hillis
Flagitat in morsus refici; quin omnia malit,
Quæcumque immundis fervent allata popinis.
Est operæ pretium duplicis pernoscere juris

eventu *colligit* et contrahit, (*quatenus*) quandoquidem vitellus ovi columbini (*volvens aliena*) ea, quæ vinum turbidum reddunt, secum trahens, (*ima petit*) ad ima defertur. Hoc nos vocamus : *coller du vin*. Ed.

58. *Marcentem potorem*, vino cibisque confectum ; sive : languentem potoris stomachum. — *squillis*, exilis sed longioris corporis cancris marinis (*cancer squilla* Linn. nos : *squille*). — *recreabis*, excitabis. — *cochlea*, ostreo quodam, e limacum genere. Ed. — Oratio cohæret sic : squillis et cochleis recreabis marcentem stomachum, non lactuca ; lactuca igitur tibi abstinendum erit, *nam lactuca innatat post vinum acri stomacho*; h. e. incocta et indigesta in vino acido natat ; nempe stomachus, in quo esca *natat*, male se habet, at bene, in quo esca (ut Horatius loquitur supr. Sat. II, 2, 73) *sedet*. — *acri*, vini fervore acriter quasi afficitur stomachus. Ed.

60. *Perna*, crure porcino, ad sitim excitandam aptissimo. Ed. — *hillis*. Schol. Cruq. « hilla significat intestinum salsum, vel, ut alii dicunt, fartum salsitium. » Intelligendum est haud dubie genus quoddam farciminum fumo duratorum ; quod nos : *du saucisson*. — *Flagitat... refici*, fortioribus potius cibis, perna et hillis, vellicatus et incitatus, languore refici cupit. — *in morsus*, ad novos morsus. Alii legunt *immorsus* ; mordendo incitatus ; salsamenta enim vel cibi sale macerati mordent, urunt et pungunt stomachum, et sic novum incitamentum ei immittunt. — *quin omnia malit, Quæcumque*, etc. h. e. immo marcens stomachus *omnia* fercula, *quæcumque ex immundis popinis allata fervent, malit*, quam lactucam. — *allata fervent*, elegantius *fervent* pro vulgari : afferuntur ferventia, h. e. vaporantia.

63. *Est operæ pretium duplicis pern. juris Naturam*, jam sapiens rei coquinariæ doctor noster ad præcepta, quæ de jure duplice daturus est, tanquam ad rem gravioris momenti animum advertere jubet discipulum, dicens : *Est operæ pretium*. — *pernoscere* ; Horatium in hac loquendi formula : *est operæ pretium pernoscere* imitatum esse Ennium, cum Heindorfio contendere nolim ; sponte Horatius in hanc vulgarem locutionem incidere poterat, uti post Horatium Juvenal. VI, 474, et Pers. VI, 9. Aliter se habet supr. I, 2, 37 : « Audire est operæ pretium, procedere recte, » nam totus hic versus est Ennii, ut ibi ex Schol. Acr. et Porph. discimus. — Quod attinet ad descri-

Digitized by Google

Naturam. Simplex e dulci constat olivo,
Quod pingui miscere mero muriaque decebit
Non alia, quam qua Byzantia putuit orca.
Hoc ubi confusum sectis inferbuit herbis,
Corycioque croco sparsum stetit, insuper addes
Pressa Venafranæ quod bacca remisit olivæ.
Picenis cedunt pomis Tiburtia succo;
Nam facie præstant. Venucula convenit ollis;

ptionem *juris duplicis et simplicis*, ego maneo in sententia, quam, nondum inspectis aliorum interpretationibus, de hoc loco susceperam.—*jus* (quod apud nos appellatur *sauce*) *simplex* est, quod constat e dulci oliva, pingui mero muriaque Byzantina. At *hoc jus simplex*, ubi sectis et admixtis quibusdam herbis inferbuit, et, postquam croco conspersum aliquamdiu stetit, et insuper additum est oleum Venafranum, non amplius *jus simplex*, sed *duplex* vocatur.

64. *E dulci*, h. e. recente, non rancido. — *pingui mero*, vinum igitur *pingue et plenum*, cui opponitur *tenue*. Cels. I, 6 : « nunquam vinum salsum bibere expedit, ne *tenue* quidem aut dulce, sed austerum et *pleniùs*. » — *muriaque*, et liquamine ex piscibus, nominatim ex thynnis; hinc additur : — *Non alia, quam qua Byzantia putuit orca*, pro vulgari et simplice : sed muria Byzantina; *orca* (testa), in qua muria servabatur, a thynnis ad Byzantium captis dicitur *Byzantia*.—*quam qua putuit*, quam muria, cujus graviore odore testa Byzantia oluit.

67. *Hoc ubi*, etc. *Ubi hoc* jus simplex *sectis herbis confusum* (permixtum et compositum) *inferbuit* (ad ignem fervere et æstuare cœpit).— *Corycio*, epitheton ornans, ab oppido et ejusdem nominis promontorio *Coryco* in Cilicia, ubi optimus *crocus* nascebatur. Plin. H. N. XXI, 17.— *stetit*, scilicet aliquamdiu, dum deferbuit; sed fortasse explicari quoque potest : stando coagulatum vel coactum est. In hanc explicationem Gesnerus : « *Stetit*, videtur indicare consistentiam, quam vocant, et crassitudinem juris a coctura et admixtis rebus siccis » et Turnebus in Advers. I, 28 : « *Stetit* eleganter dixit; nam quæ liquidiora erant et humidiora, ubi aliquam adepta sunt coquendo concretionem, *stare* dicuntur. » — *Pressa Venafr. quod bacca remisit olivæ*, elegante periphrasi pro : oleum Venafranum; optimum enim oleum exprimebatur in agro Venafrano in Campania; cf. supr. ad Od. II, 6, 16; Plin. H. N. XV, 3; *remisit*, emisit, submisit. Infr. Sat. II, 8, 45 : « His mixtum jus est oleo, quod prima Venafri Pressit cella. »

70. *Picenis pomis*, cf. supr. Sat. II, 3, 272.—*Tiburtia*, Tibure (nunc *Tivoli*) nata.—*Nam facie præstant*, nam Tiburtia externa tantum specie,

Digitized by Google

Rectius Albanam fumo duraveris uvam.
Hanc ego cum malis, ego fæcem primus et alec,
Primus et invenior piper album, cum sale nigro
Incretum, puris circumposuisse catillis.
Immane est vitium dare millia terna macello,
Angustoque vagos pisces urgere catino.
Magna movent stomacho fastidia, seu puer unctis

non succo, præstant. — *Venucula*, uva, quæ in ollis condi solebat, ut servaretur. Conf. Plin. H. N. XIV, 14, 6; hinc ejusmodi *uvæ* dicuntur *ollares* Colum. III, 2; Martial. VII, 19; in scriptura hujus vocis vett. librr. variant: *venucula, venuncula, vennucula, venicula, vernucula*. — *Rectius Albanam... uvam;* cf. infr. Epist. II, 8, 26. — *duraveris*, durabiles reddideris, h. e. servaveris.

73. *Hanc ego*, etc. Egregie Horatius jam expressit ingenium et sermonem eorum, qui se primos alicujus rei inventores esse jactant crepantque. Ego, ait sapiens ille lautarum epularum instructor, *ego primus hanc* (uvam Albanam) cum pomis, *ego primus* fæcem et alec, et primus piper album cum sale nigro per cribrum adspersum puris catillis in mensa circumposuisse invenior, sive inventor circumposuisse laudor. — *fæcem. Fæx*, idem quod infr. Sat. II, 8, 9: « fæcula Coa, » h. e. fæx usta; vid. quos laudat Heind. Fuit autem condimenti genus, quod addebatur *aleci*. — *alec. Halec, allex* vel *alex* (libri variant, ut infr. Sat. II, 8, 9) vilioris pretii genus quoddam gari, ex visceribus scombrorum præcipue, fortasse halecum quoque et aliorum piscium marinorum confecti, vid. Plin. H. N. XXXI, 44. — *Incretum*. Schol. Acr. *admixtum*, sc. cribro; nam *incernere*, est, aliquid per cribrum alicui rei adspergere. — *puris catillis*, bene doctrinæ ad cœnam instruendam spectantis professor noster commendat munditiem, quia immunditiem stomacho fastidia movet, de qua mox agit inde a vers. 78. — *circumposuisse*, apud nos quoque *catilli* (*les assiettes*) in mensa convivali huc illuc circumponi solent. Quod putat Lambinus, singulos catillos singulis convivis appositos fuisse, non probabile videtur.

76. *Immane est vitium*, at pisces magno pretio emere eosque in angusto catino apponere, ad maxima cœnæ vitia pertinet, ut v. 82: « ingens flagitium; » rem ridicule exaggerat præceptor, dum ea, quæ inepte fiunt, ad immania vitia et ingentia flagitia refert. — *dare millia terna macello*, tribus millibus sestertium emere pisces e macello. — *vagos*, suaviter de piscibus, qui ante in amplo mari liberius circumvagantur, nunc in angusto catino coarctati et compressi jacent. — *urgere*, ita condensare et constipare, ut alter alterum premat, alter alteri impositus sit.

78. *Magna movent stom. fastidia*,

Digitized by Google

Tractavit calicem manibus, dum furta ligurrit;
Sive gravis veteri crateræ limus adhæsit.
Vilibus in scopis, in mappis, in scobe, quantus
Consistit sumptus? neglectis, flagitium ingens.
Ten' lapides varios lutulenta radere palma,
Et Tyrias dare circum illota toralia vestes,
Oblitum, quanto curam sumptumque minorem
Hæc habeant, tanto reprendi justius illis,
Quæ nisi divitibus nequeant contingere mensis?

hæc summopere stomacho fastidium afferunt, si, etc. Ed. — *unctis*, sorde pollutis et inquinatis, ut supr. Sat. II; 2, 68: « uncta aqua. » — *dum furta ligurrit*, dum aliquid escæ furtim e patina manibus surreptæ deglutit, et sic manus inquinat. — *gravis limus*, sermo est de veteri et obsoleta cratera, quæ longa annorum serie multum limi, sordis vel robiginis contraxerat; nisi fortasse *gravis* ad graveolentiam contractæ sordis referendum sit, ita, ut *gravis* jam sit: fœdus.

81. *Scopis* ad pavimentum purgandum. — *Vilibus*, parvi pretii. — *mappis*, ad os vel manus in cœna detergendas, hinc *mappa* ab ejus usu infr. I, 8, 8, dicitur *sordida*. Virgilius *has mappas* vocat Æn. I, 702, *mantelia*. — *in scobe, scobs* vel *scobis* de partibus minutissimis, quæ vel e ferro, quod limatur, vel e ligno, quod serratur dolabrave perforatur, decidunt (nos: *de la sciûre*); spargebatur autem *scobs*, ut, dum pavimenta scopis purgabantur, vel sordem secum traheret, vel loca humida exsiccaret, vel lacunas pavimenti expleret. — *quantus*, quam parvus et modicus, quantillus. — *neglectis, flagitium ingens*, his neglectis; quæ si negligas, flagitium est ingens. Ed.

83. *Ten'... radere*, etc. Elegans loquendi ratio, Terentio præcipue familiaris; infinitivus pendet ab ejusmodi fere verbis omissis: decetne, licetne, estne fas, probarine potest, estne credibile, etc. *te radere*, supr. I, 9, 72: « Hunccine solem Tam nigrum surrexe mihi! » — *varios*, variis coloribus distinctos. — *lutulenta palma*, palma sordida; palmæ ramos adhibebant ad verrendum. Ed. — *Et Tyrias dare circum*, etc. Junge: dare vestes Tyrias circum illota toralia. *Toralia* scilicet erant panni illi viliores quibus quotidie lecti sternebantur: *vestes* quæ stragulæ dicebantur, erant panni elegantiores, quibus in solennibus conviviis iidem sternebantur lecti, quæque toralibus imponebantur et circumdabantur. Jubet autem ipsa toralia, seu culcitras, esse mundas et lotas. Ed. — *Oblitum, quanto*, etc. Sensus: non cogitantem, ea, quæ ad munditiem spectant, quo minorem curam sumptumque requirant, in eo majorem, si negligantur, reprehensionem incurrere, quam si

Digitized by Google

HORATIUS.

Docte Cati, per amicitiam divosque rogatus,
Ducere me auditum, perges quocumque, memento.
Nam quamvis memori referas mihi pectore cuncta,
Non tamen interpres tantundem juveris; adde
Vultum habitumque hominis; quem tu vidisse beatus
Non magni pendis, quia contigit: at mihi cura
Non mediocris inest, fontes ut adire remotos
Atque haurire queam vitæ præcepta beatæ.

desint illa pretiosissima epularum genera, quæ non nisi in divitum mensis apponi queant.

89. *Docte Cati, per amicitiam*, etc. Nota continuatum jocum, poetamque hæc omnia præcepta quasi gravissima habentem, et amplissimis verbis ironice utentem. Ed. — *auditum*, ad audiendum scil. præcepta, quæ jam enarrasti. — *perges quocumque*, quacumque tandem via ad eum, cujus nomen celas, perges. — *interpres*, qui refert, quod audivit. — *adde*, tuo isti beneficio et sermoni adde aliud beneficium majus, ut frui possim hominis vultu, etc. Ed. — *habitumque*, scil. corporis, ad dignitatem et gravitatem præcepta dantis compositi. — *hominis*, cum emphasi dictum. Seneca, Epist. 35: « conspectus, et præsentia, et conversatio habet aliquid vivæ voluptatis »... et id. 33: « multum viva vox facit. » Ed. — *fontes*, illum ipsum invisere, a quo, tanquam ex fonte, hæc manarunt præcepta. Ed. — *vitæ beatæ*, ad deridendos eos qui totam vitæ felicitatem in gulæ voluptatibus ponebant. Ed.

Analysis. Hac in Satira Horatius inducit hominem quemdam, nomine Catium, animo quasi magnas res volventem, et graviter præceptis quibusdam intentum. Poeta hunc interrogat, rogatque ut ea præcepta, quæ tanti momenti videntur, tradere velit. Tum Catius ille, quasi magister aut magistri interpres, explicat minutissimas de convivii singulis partibus et cœna ordinanda regulas. Ab ovis scilicet incipit, quæ convivii initium erant; de oleribus optimis, de gallinis mollioribus efficiendis nonnulla tractat; dein quædam docet per quæ conviva optima valetudine fruatur; ostrea, pisces, feras venaticas etiam perstringit; ad vina transit, et postquam de duplici juris genere verba fecit, finit adjiciendo nonnulla de cœnæ ordinatione, multaque et gravissima de adhibenda in conviviis munditia. — Hoc notandum est, quam lepide ac facete poeta Catium magnificis ac gravissimis verbis uti fecerit, quasi ma-

Digitized by Google

gnam rem aliquam fuisset tractaturus, qui tamen non nisi de re culinaria disserit; ac deinde ipse poeta, ad finem Satiræ, illa præcepta, quasi gravissima, accipere se fingat, rogetque instanter, ut ad hunc hominem deducatur, a quo tam utiles lectiones defluant. Nonnulli volunt in hac Satira Horatium Epicureos salibus inspersisse, eorumque de vitæ voluptatibus sententiam irrisisse. Si autem hic de Epicuro et ejus discipulis ageretur, nescio quorsum poeta magistri nomen celasset (v. 11). Potius putaverim fuisse tum Romæ hominem aliquem, forte inter ipsos Mæcenatis convivas, multa verba gravissime facientem de lautarum epularum sapore, natura, varietate, confectione, etc. Poeta autem hujus hominis, tum notissimi, vanitatem et importunitatem derisurus, hunc ipsum inducere vel nomine designare noluit; alium autem, ficti, ut videtur nominis elegit, qui stultos illos sermones, accurate exponeret, deridendosque præberet.

Huc lectoribus referendum esse putamus notissimi gallici scriptoris (*Montaigne*, l. I, c. 51) locum ubi gravissime ac doctissime de re culinaria disserit Italianus quidam, qui Cardinalis alicujus cœnis præerat: « Il m'a faict un discours de cette science de gueule, avecque une gravité et une contenance magistrale, comme s'il m'eust parlé de quelque grand poinct de théologie: il m'a dechiffré une différence d'appétits; celui qu'on a à jeun, qu'on a aprez le second et tiers service; les moyens tantost de lui plaire simplement, tantost de l'éveiller et picquer; la police des saulces; premièrement en général, et puis particularisant les qualités des ingrédiens et leurs effects; les différences des salades selon leur saison; celle qui doibt estre reschauffée, celle qui veult estre servie froide, la façon de les orner et embellir pour les rendre encore plaisantes à la veue. Aprez cela, il est entré sur l'ordre du service, plein de belles et importantes considérations.... et tout cela enflé de riches et magnifiques paroles, et celles mesmes qu'on employe à traicter du gouvernement d'un empire. » Hic locus Horatianæ Satiræ minime cedere nobis videtur. Ed.

Digitized by Google

SATIRA V.

Horatius Ulyssem cum Tiresia apud inferos colloquentem, et ex eo, quibus artibus perditas opes recuperare possit, quærentem inducit. Tiresias, id optime per hæreditates callidis artibus captandas fieri posse respondens, Romanorum misere depravatos mores carpit, et ante oculos ponit.

ULYSSES.

Hoc quoque, Tiresia, præter narrata petenti
Responde: quibus amissas reparare queam res
Artibus atque modis. Quid rides?

TIRESIAS.

Jamne doloso
Non satis est Ithacam revehi, patriosque penates
Adspicere?

1. *Hoc quoque, Tiresia,* etc. Horatius lectorem in rem mediam rapit, nimirum in colloquium Ulyssis cum cæco illo vate Thebano, Tiresia, de arte ditescendi habitum. Ante oculos habuit Homerum in Odyss. XI. 137, ubi Tiresias apud inferos sciscitanti Ulyssi futuram ejus sortem aperit.— *Hoc quoque... præter narrata,* Ulysses jam de aliis rebus consuluerat Tiresiam, vid. Hom. l. c. v. 90 seqq. et nunc transit ad novam rem ab illo exquirendam. — *amissas reparare queam res;* Ithacam enim Ulysses venerat, amissa navium et sociorum parte optima, et rerum omnium egenus. Ed.

3. *Quid rides?* risisse videtur Tiresias de hominum, nunquam sorte sua contentorum, ingenio. Ulysses enim, qui in dulcissima spe, se brevi ad suos rediturum esse, acquiescere debebat, nunc artes et modos, quibus amissas res reparare possit, discere cupit, ipse omnium fallaciarum peritissimus. Alii volunt hæc verba *quid rides,* etiam a Tiresia dicta esse quasi: quid jocaris, hoc a me per jocum petis, nonne etenim satis est tibi, etc. Prior autem sententia simplicior nobis videtur. Ed.— *Jamne,* etc. Explicat Tiresias, cur ad Ulyssis interrogationem rideat. Ed. — *doloso* eleganter et graviter pro: tibi. Sic

Digitized by Google

ULYSSES.

O nulli quidquam mentite, vides ut
Nudus inopsque domum redeam, te vate, neque illic
Aut apotheca procis intacta est, aut pecus; atqui
Et genus, et virtus, nisi cum re, vilior alga est.

TIRESIAS.

Quando pauperiem, missis ambagibus, horres,
Accipe, qua ratione queas ditescere. Turdus,
Sive aliud privum dabitur tibi, devolet illuc,
Res ubi magna nitet, domino sene; dulcia poma,
Et quoscumque feret cultus tibi fundus honores,

enim designatur Ulysses talis, qualis erat, πολύτροπος, ut ab Homero in primo statim versu Odysseæ vocatur.

5. *O nulli quidquam mentite,* ait enim Homerus unum ex omnibus hominibus Tiresiam nunquam mentitum esse. Ed.—*te vate,* ut tu ipse vaticinatus es. Hom. Odyss. XI, v. 110 seqq. — *apotheca,* cella vinaria, in superiore ædium parte, fumo quo contraheretur vino maturitas, pervia; hinc cadi *fumosi Falerni* apud Tibull. II, 1, 27.—*procis,* qui, quum nuptias Penelopis ambirent, ejus domum exhauriebant. Ed. — *cum re,* sc. familiari.—*vilior alga est. Alga* proverbiali locutione de re vilissima. Virg. Eclog. VII, 42: « projecta vilior alga. » Eamdem ideam, minori autem vi, expressit Bolæus, in med. Epist. V: « La vertu sans argent est un meuble inutile. » Ed.

9. *Quando pauperiem, missis ambagibus,* etc. Quando, ut omnes ambages omittamus, ut tua verba explicemus, horres paupertatem, etc. hanc Ulyssis de divitiis Ithacam secum reportandis cupiditatem cepit Horatius ex lib. Odyss. XI, v. 35 sq. in quibus Ulysses Phæacibus, eum ipsum retinere cupientibus, se unum annum amplius moraturum esse profitetur, dummodo naves parent in suum ipsius profectum, divitiasque et magnifica munera, quorum causa gratius in Ithaca recipiatur. Ed.—*privum,* peculiare, singulare, de eo, quod alicui est proprium, quod aliquis præ aliis habet; ergo aliquid rari, quale pro munusculo amicis mitti solet, ut *turdus,* qui ad rariores escas pertinet, et, quæ sequuntur, fructuum in hortis fundisque primitiæ. Eodem redit a Gesnero defensa lectio *primum,* quæ nostræ lectionis videtur esse interpretatio. — *dabitur tibi,* tibi continget. — *devolet,* accommodate ad alatum quasi munus *turdi.*—*Res ubi magna nitet,* illuc deferatur, ubi res magna, magnæ divitiæ nitent, domino sene; illi offerantur, qui senex est et ditissimus. Ed.— *honores,* fructus insi-

Digitized by Google

Ante Larem gustet venerabilior Lare dives;
Qui, quamvis perjurus erit, sine gente, cruentus
Sanguine fraterno, fugitivus; ne tamen illi
Tu comes exterior, si postulet, ire recuses.

ULYSSES.

Utne tegam spurco Damæ latus? haud ita Trojæ
Me gessi, certans semper melioribus.

TIRESIAS.

Ergo
Pauper eris.

ULYSSES.

Fortem hoc animum tolerare jubebo:

gniores, scilicet primitias, quæ offerri solebant Laribus. — *venerabilior Lare,* qui tibi debet esse venerabilior quam Lares et omnes dii. Ed.

16. *Sine gente,* sine majoribus, ignobilis. Ed. — *cruentus Sanguine fraterno,* fratricida. *Comes exterior;* volunt nonnulli interpretes *exteriorem* esse comitem, qui a sinistro latere est; Schol. Acr. « Exterior, sinisterior, in sinistra parte positus. » Comes autem *exterior* aut a sinistro, aut a dextro latere est, prout euntibus iter est. Is enim *exterior* est comes, qui in ima viæ parte, ac declivi, apud nos : *qui a le bas du pavé;* interior autem qui inter ædes aut aliud quidpiam ejus modi, quo ejus latus unum protegeretur, et comitem, ambulat (*qui tient le haut du pavé*); sic enim qui *exterior* ibat, locum minus honoratum, seu sinistrum, seu dextrum, tenebat, et *interiorem* sibi vel auctoritate, vel dignitate anteire profitebatur. Ed. — *fugitivus,* servus nequam, qui clam e domo heri aufugit.

18. *Utne tegam spurco Damæ latus?* tune jubes me, inquit Ulysses, alicui Damæ, homini impuro et fœde tegere latus, illi esse comitem? qui aliquem honoris causa comitabantur, dicebantur illi latus tegere, vel claudere : comites enim *exteriores* eam partem eundo tegebant, quæ magis erat exposita, vid. not. supr. Suet. de Claudio imperatore qui Plautium ad Capitolium duxerat, et inde reduxerat : « in Capitolium eunti et inde rursus revertenti latus texit. » In Claud. C.... Qui nullo comite ibant, *nudi lateris* dicebantur. Senec. Epist. XXII. Ed. — *Damæ,* Dama nomen erat commune servis apud Romanos : hic servum significat libertate donatum, qui locuples factus fuerit, etc. quo tempore nomini Dama addebant prænomen, v. g. Marcus Dama. Vid. Pers. Sat. V. Ed. — *melioribus,* me præstantioribus, fortioribus, ut Achille, Ajace. — *Fortem hoc animum tolerare jubebo,* paupertate, quam minatur Tiresias, territus ac victus Ulysses,

Digitized by Google

Et quondam majora tuli. Tu protinus, unde
Divitias ærisque ruam, dic augur, acervos.

TIRESIAS.

Dixi equidem, et dico. Captes astutus ubique
Testamenta senum: neu, si vafer unus et alter
Insidiatorem præroso fugerit hamo,
Aut spem deponas, aut artem illusus omittas.
Magna minorve foro si res certabitur olim,

jam profitetur se hanc turpitudinem toleraturum. Nonnulli volunt hoc verbo *hoc* non turpitudinem a Tiresia propositam, sed paupertatem significari, Ulyssemque se potius paupertatem toleraturum esse profiteri. Quomodo autem Ulysses, si ad potius tolerandam paupertatem paratus omnino esset, a Tiresia peteret, ut sic ditescendi modum protinus exponeret? Ed. — *Et quondam majora tuli* Hom. Odyss. V, 223, ubi Ulysses: « Ἤδη γὰρ μάλα πολλὰ ἴνεσθον καὶ πολλ' ἐμόγησα Κύμασι καὶ πολέμῳ. » Virg. Æn. I, 199; Hor. Od. I, 6, 29. Ed.

21. *Tu protinus, unde,* tu continuo dic mihi illam artem, qua eruam et extundam acervos pecuniæ. Ed. — *ruam,* eruam, effodiam, respectu habito loci, ubi aurum, argentum, æra latent, sub terra scilicet, unde debent *erui,* effodi; itaque *ruam* jam significanter pro vulgari: mihi parem, colligam, *æris acervos ruam,* æs (pecuniam) coacervem; *ruere* pro: *eruere* passim. Lucil. apud Non. IV, 389: « ruis hæc et colligis omnia furtim. » Lucret. I, 293, et VI, 726, ubi est: « arenam ruere. » Virgil. Æn. I, 35, et XI, 211, ubi mœrentes « cinerem et ossa ruere » (colligere) dicuntur. — *augur,* tu qui noscis omnia. Ed.

23. *Captes astutus,* etc. Sis hæredipeta, ut Romæ dicebantur qui senibus divitibus et filiis orbis blandiebantur, ut ab iis scriberentur hæredes in testamento. Ed. — *unus et alter,* sc. senum ditiorum. — *Insidiatorem præroso fugerit hamo,* artem, qua insidiatus eris divitiis ejus, eluserit; nota imago, ducta a piscibus, qui escam hamo affixam prærodunt quidem, sed illa prærosa aufugiunt, nec se capi patiuntur. Munera, ab hæreditatum captatoribus missa, comparantur cum esca, qua capiuntur pisces. Hinc Martial. VI, 63, 4: « Munera magna quidem misit, sed misit in hamo, » sed misit tanquam escam ad te, tanquam piscem in hamo, capiendum. — *illusus,* semel deceptus. Ed.

27. *Magna minorve foro,* etc. Ordo et sententia est: si res, id est, lis aliqua, seu magni, seu levis momenti, disceptabitur in foro aliquando, esto illius defensor qui, e duobus disceptantibus locuples et sine filiis vivet; quamvis improbus sit, licet ultro contra jus et æquitatem adversarium in jus vocet; sperne illum qui meliore fama et causa utitur, si natum

Digitized by Google

Vivet uter locuples sine gnatis, improbus ultro
Qui meliorem audax vocet in jus, illius esto
Defensor: fama civem causaque priorem
Sperne, domi si gnatus erit fœcundave conjux.
« Quinte, puta, aut Publi (gaudent prænomine molles
Auriculæ) tibi me virtus tua fecit amicum:
Jus anceps novi, causas defendere possum:
Eripiet quivis oculos citius mihi, quam te
Contemtum cassa nuce pauperet: hæc mea cura est,
Ne quid tu perdas, neu sis jocus; » ire domum atque
Pelliculam curare jube: fi cognitor ipse.

aut fœcundam conjugem habet; priori autem blandire lenibus verbis, dic illi: Quinte, aut Publi, etc. Ed. — *si olim*, si quando, si quo forte tempore. Sic infr. Epist. ad Pison. 386: « Si quid tamen scripseris *olim*. » — *audax*, impudens, propter causæ iniquitatem. Ed. — *fœcundave conjux*, hinc Juvenal. Sat. V, v. 140: « Jucundum et carum sterilis facit uxor amicum. » Ed. — *fama civem*, etc. At civem, si ei filius aut fœcunda conjux erit, licet is tam bona fama quam causa, ex qua litem alicui intendit, sit potior, *Sperne*, h. e. defensor ei adesse noli.

32. *Quinte, puta, aut Publi*, etc. Nexus: Divitem senem autem, quem officiis tuis capere et tibi devincire cupis, ejusmodi verbis blandioribus alloquere: Existima, mi Quinte, aut mi Publi, etc. — *gaudent prænomine molles Auriculæ*, mollius et suavius ad aures accidere videtur *prænomen*, quo familiariter se invicem appellare solent amici atque propinqui. Commode in hanc rem Gesnerus attulit locum Ciceronis Epist. ad Fam. I, 9: « quoniamque illi haberent suum Publium (Clodium), darent mihi ipsi alium Publium (Vatinium), in quo possem illorum animos.... repungere (vicissim pungere). » — *molliores auriculæ*, quæ nimirum hac compellatione delectantur. Ed. — *Jus anceps*, e quo duplicem sensum elicit callida interpretatio, sive de quo in utramque partem disputatur; hinc jus supr. Sat. II, 2, 134, dicitur *vafrum*. — *cassa nuce pauperet*, quam tibi vel minimam rem eripiat, te fraudet nuce cassa, inani, vacua. Ed.

37. *Ire domum*, etc. Nexus: Postquam ejusmodi oratione propensum tibi reddidisti divitis senis animum, jube eum domum ire et ibi corpori molliter tractando atque recreando securo animo operam dare. — *Pelliculam*, diminutivum, in amicitiæ signum, pro: pellem. Ed. — *fi cognitor ipse*, ipse partes ejus, qui præsens coram judicibus causam suam perorare debet, suscipe. Ascon. Pedian. « Qui defendit alterum in judicio....

Digitized by Google

Persta, atque obdura, seu rubra canicula findet
Infantes statuas; seu pingui tentus omaso
Furius hibernas cana nive conspuet Alpes.
Nonne vides (aliquis cubito stantem prope tangens
Inquiet), ut patiens! ut amicis aptus! ut acer!
Plures annabunt thunni, et cetaria crescent.
Si cui præterea validus male filius in re

cognitor est, si præsentis causam novit ac sic tuetur ut suam. » Vid. Ernest. in Clav. Cic. s. v. *cognitor*, et Heind. ad h. l.

39. *Persta, atque obdura*, Ovidius Am. III, 11, 7, molliore numero: « Perfer et obdura. » — *seu rubra canicula*, etc. Sensus: Sive solis ardor, sive hiemis frigus tibi perferendum est; ad hanc sententiam exprimendam, ut obiter rideret tumidum poetam, *Furium Bibaculum*, duas ineptas locutiones ex Furii carminibus depromptas risui exposuit; *statuæ* emphatice dicuntur: *infantes*; et in versu illo Furii, a Schol. Acr. ex *Pragmatia belli Gallici* producto, « Jupiter hibernas cana nive conspuit Alpes, » Jovi aliquid tribuitur, quod a dei majestate abhorret. Confer Quintil. VIII, 6, 17. Alios quosdam Bibaculi versus, putidi tumoris plenos, servavit Aul. Gell. XVIII, 11. — Statuas *infantes* h. e. mutas non disertis quidem verbis Horatius tribuit Furio, sed quum ne una quidem vocula aliquid de hac emphatica locutione monuerit, eam pariter ad poetam, quem nominavi, *Furium*, referendam esse, non sine veritatis specie colligi posse videtur. Nec tamen eos, qui alium quemdam tumidum poetam, tum satis cuique notum, in animo habuisse Horatium contendant, errare dixerim. — *pingui tentus omaso*, ipsam Furii, adipem præ se ferentis, corporis figuram ridiculam exhibet Horatius. Schol. Acr. « Furius poeta immanis ventris, qui nivem spumam (sputum) Jovis dixit. Ideo hoc ejus personæ dedit, tanquam ipse spuat. » Sane, quod Horatius in sequente Furii versu ex *Jupiter* fecit *Furius*, in hac Furii irrisione videtur lepidissimum. Hunc lepidum deridendi mali scriptoris modum sæpissime secutus est Bolæus, v. g. in Satira nona et Arte poetica, passim. Ed.

42. *Nonne vides aliquis*, etc. Tunc aliquis tangens, pulsans leviter cubito senem prope stantem, monebit eum de tuis blanditiis ac dicet: nonne vides, etc. Ed. — *Plures annabunt thunni*, etc. Pro vulgari: Hac arte plures ditiorum senum capies, et sic res tuæ crescent; divites senes comparantur cum thunnis, accommodate ad vers. 25, ubi divitiarum insidiatores comparantur cum piscium insidiatoribus. — *cetaria*, stagna, piscinæ marinæ, in quibus capti pisces aluntur; unde etiam dicuntur *vivaria*. Cf. supr. ad Od. II, 15, 4, et III, 1, 33.

45. *Validus male*, imbecillioris valetudinis, *male validus* pro: invalidus, ut *male sanus* pro: insanus. —

Digitized by Google

Præclara sublatus aletur, ne manifestum
Cælibis obsequium nudet te, leniter in spem
Adrepe officiosus, ut et scribare secundus
Hæres, et, si quis casus puerum egerit Orco,
In vacuum venias: perraro hæc alea fallit.
Qui testamentum tradet tibi cumque legendum,
Abnuere, et tabulas a te removere memento:
Sic tamen, ut limis rapias, quid prima secundo
Cera velit versu; solus, multisne cohæres,
Veloci percurre oculo. Plerumque recoctus

sublatus aletur, susceptus educabitur. — *in re Præclara*, in domo divite. Ed. — *ne manifestum Cælibis obseq. nudet te*, ne nimis apertum, quo vidui senis gratiam captas, obsequium (*nudet te*) artem tuam prodat; *cælebs* tam de eo, qui semper uxoris expers vixit, quam de eo, qui nunc uxore caret. — *leniter*, leni et molli ratione, qua consilium tegitur, suspenso quasi pede *adrepe in spem* (*adrepere in spem* significanter de hæredipetis), et assequi stude hoc, ut (*et*) non solum secundus hæres scribaris, (*et*) sed etiam, si forte accidat, ut filius prius patre moriatur, vacuefactum primi hæredis locum occupes; *primus hæres*, in primo testamenti versu; *secundus hæres*, cohæres, cui certa tantum hæreditatis summa legatur, in secundo testamenti versu scribitur. Sic non opus est, ut in v. 48, pro: ut *et scribare* cum Heindorfio legatur: *uti scribaris*. — *hæc alea*, hæc ars, hoc ditescendi periculum; qui alea ludunt, periculum faciunt, an possint lucrum facere.

51. *Qui testamentum tradet*, etc. Si senex, cujus hæreditatem captas, testamentum fecerit, et legendum tibi præbuerit, legere recusa; sic enim ostendes te non hæreditatis cupiditate duci, et nihil curare, an hæres scribaris, necne. Ed. — *limis rapias*, obliquis oculis raptim legas. — *quid prima secundo Cera velut versu*, quid in secundo versu primæ tabulæ ceratæ (ubi tam primus quam secundus hæres scriptus est) scriptum sit. Schol. Cruq. «*prima cera*, prima tabula; nam in primæ tabulæ secundo versu hæredis (immo cohæredis) nomen continetur.» — *solus, multisne cohæres*, utrum solus, an cum multis cohæres sis.

55. *Plerumque recoctus*, etc. Sensus: Non raro enim fieri solet, ut senex callidus, sicuti Coranus, ex quinqueviro scriba factus, hæreditati inhiantem deludat, et sic eum, ut Coranus socerum suum, Nasicam, derideat. Res de Corano et Nasica narratur in sequentibus inde a vers. 62. — *Plerumque*, non raro, nonnunquam, ut supr. Sat. I, 10, 15, et infr. in Epist. ad Pis. v. 14. — *recoctus*,

Digitized by Google

Scriba ex quinqueviro corvum deludet hiantem,
Captatorque dabit risus Nasica Corano.

ULYSSES.

Num furis? an prudens ludis me, obscura canendo?

TIRESIAS.

O Laertiade, quidquid dicam, aut erit, aut non:
Divinare etenim magnus mihi donat Apollo. 60

ULYSSES.

Quid tamen ista velit sibi fabula, si licet, ede.

vafer, astutus, callidus, experientia prudentior factus, ut apud Catull. LIV, 5: « senex recoctus Fuffitius. » Similiter in Phædr. Fab. IV, 2, 27: « mus retorridus » non simpliciter est macilentus, pelle corrugata obsitus, sed simul callidus, experientia cautior factus, nam additur: « Qui sæpe laqueos et muscipula effugerat: *Proculque* insidias *cernens* hostis callidi; » in voce igitur sive adjecto *recoctus* latet causa, qua senex corvo hianti et *deluso* prædam speratam abripit: at hæc causa tollitur, si *recoctus* pro: *factus* vel *refectus* contra omnem loquendi usum cum Heindorfio et aliis explicueris; immo *factus* commode ad *scriba ex quinqueviro* suppleri potest. — *quinqueviro. Quinqueviri* vel coloniis deducendis, vel agris dividendis, vel aliis rebus curandis atque administrandis ex civibus Romanis deligi solebant. His quinqueviri et scribæ muneribus significatur hunc senem, omnes dolos novisse, in omnibus argutiis versatum esse. Ed. — *corv. hiantem*, similiter hæredipeta apud Catullum LXVIII, 124, *vulturius* vocatur. Hic alluditur ad fabulam corvi et vulpis; et errat *Dacier*. Ed.

58. *Num furis?* etc. Num te, ut vatem, furor agit, an, dum canis obscura, *prudens*, h. e. consulto me ludis? — *O Laertiade*, etc. Sensus: Non ego te, Ulysse, ludo; quidquid dicam, futurum esse, id fiet; at quidquid dicam, non futurum esse, id non fiet; nam divinandi facultatem magnus Apollo mihi donat. — Elegantissima quidem hujus loci est emendatio, quam ab illustrissimo Eichstadio profectam proposuit Haberfeldtus in Editis Horatii Carm. tom. III, p. 413: « O Laertiade, quidquid dicam, aut erit, aut non Divinare *mihi* magnus *donavit* Apoll. » Sed quum vox *etenim* deleta et in deletæ vocis sedem vox *mihi* transposita, denique vox *donat* in *donavit* mutata sit, nimiam vim Horatio adhibitam esse existimans, in ea, quam dedi, explicatione, acquiesco.

61. *Tamen*, hæc particula inservit transitioni ad aliam rem, ut fere sit: attamen his missis, vel ante omnia nunc *ede, quid sibi velit ista fabula;*

Digitized by Google

TIRESIAS.

Tempore quo Juvenis Parthis horrendus, ab alto
Demissum genus Æneæ, tellure marique
Magnus erit, forti nubet procera Corano
Filia Nasicæ, metuentis reddere soldum.
Tum gener hoc faciet: tabulas socero dabit, atque
Ut legat, orabit: multum Nasica negatas
Accipiet tandem, et tacitus leget; invenietque
Nil sibi legatum præter plorare suisque.
Illud ad hæc jubeo: mulier si forte dolosa

Virg. Eclog. I, 19: « Sed tamen iste deus qui sit, da, Tityre, nobis. » — *fabula*, rem, quam Tiresias obscure attigerat, Ulysses vocat *fabulam*.

62. *Juvenis*, Octavianus; si hæc Satira, ut putat Heindorfius, U. C. DCCXIX-DCCXXI, scripta est, Octavius tum undetriginta ferme annos natus fuit, in qua quidem ætate recte ille dici poterat *juvenis* adhuc. — Ceterum mira arte Horatius jam breviter inserit Augusti laudes, quibus vix locum præbitura videbatur hæc Satira. — *ab alto Demiss. genus Æneæ*, qui originem suam ab augusta stirpe Æneæ repetit. Octavianus enim, a Julio Cæsare adoptatus, factus est consors *gentis Juliæ*, cujus auctor *Julius* vel *Ascanius*, Æneæ filius, esse dicitur. — *metuentis reddere soldum*, non sine anxia cura de reddendo soldo cogitantis, sive ex avaritia, sive ob rei pecuniariæ difficultatem; magis probabile posterius ob vers. 69. *Metuere* aliquid non simpliciter pro: *nolle* dicitur, sed adjuncta notione horroris, quo aliquid refugimus. — *reddere soldum*, (pro: solidum) integram alicujus sortis summam solvere.

69. Hæc videtur fuisse historia: Nasica nolens reddere soldum, seu æs alienum quod forte Corano debebat, ipsi suam filiam nuptui dedit, sperans aut remittendum esse sibi æs alienum, aut certe magnas opes e testamento et hæreditate Corani ad se venturas. Coranus moriturus hoc faciet: vocabit Nasicam, tabulas testamenti sui legendas illi dabit. Nasica se hæredem scriptum esse non dubitans, recusabit legere, ne avidus videatur; leget tandem, invenietque alium hæredem institutum fuisse a Corano, nullam sui mentionem factam fuisse. Hoc Horatii tempore contigit; Tiresias quasi divinans illud ipsum prænuntiare fingitur. Ed. — *præter plorare*, præter sortem miseram et deplorandam; hinc supr. Sat. I, 10, 91: « jubere aliquem plorare, οἰμώζειν. » Simplicissimum fortasse: præter ploratus in funere ciendos.

70. *Illud ad hæc jubeo*, illud insuper suadeo. Ed. — *dolosa*, callida, vafra. — *Delirum*, jam vix ac ne vix

Digitized by Google

Libertusve senem delirum temperet, illis
Accedas socius: laudes, lauderis ut absens:
Adjuvat hoc quoque; sed vincit longe prius ipsum
Expugnare caput: scribet mala carmina vecors?
Laudato: scortator erit? cave te roget: ultro
Penelopen facilis potiori trade.

ULYSSES.

Putasne
Perduci poterit tam frugi tamque pudica,
Quam nequiere proci recto depellere cursu?

TIRESIAS.

Venit enim magnum donandi parca juventus,
Nec tantum Veneris, quantum studiosa culinæ;

quidem se ipsum regentem. Ed. — *vincit*, omnes Interpretes explicant: præstat, κρατεῖ, et *prius* ad *expugnare* referunt: alii autem *prius* in accusativo accipiunt, et hunc locum ita explicant: *sed, ipsum caput expugnare* (ipsum senem vel herum blandis artibus capere, captumque temperare), id *longe vincit* et superat *prius*, priorem rationem, qua te socium dolosæ mulieri libertove accedere jussi.

75. *Cave te roget*, ne exspectes donec te roget, sed illius cupiditates anteoccupa. Ed. — *facilis*, commodus, officiosus. — *potiori*, tanquam ei, qui tibi præferendus sit; supr. Od. III, 9, 2: « Nec quisquam *potior* brachia candidæ Cervici juvenis dabat; » ubi cf. not. — *Perduci. Perducere*, quod alias de lenone, meretrices ad libidinosos perducente, nunc de marito, diviti seni uxoris suæ copiam faciente; unde, qui hoc faciunt, dicuntur *perductores*; vid. Græv. ad Cic. in Verr. I, 12. — *tam frugi*, tam proba et casta.

79. *Venit enim*, etc. Hic versus, licentius a Bentleio tractatus, commode, puto, explicari potest sic: Noli mirari de eo, quod a recta via non abducta sit Penelope tua; nam, qui ad eam ventitabant, erant juvenes, qui tam parce vivebant, ut magna munera, quibus Penelopen tuam a recto cursu depellerent, non darent; *juventus parca donandi magnum* jam est quæ munera satis larga, qualia amatores decet, dare nescit. Ceterum hanc causam quam unam cur Penelope casta fuerit Ulyssi refert Tiresias, sumpsit Horatius ex lib. XVIII, Odyss. ubi Penelope ipsa queritur nulla sibi ab amatoribus munera dari. Ed. — *Nec tantum Veneris*; hoc etiam lepide hic relatum,

Digitized by Google

Sic tibi Penelope frugi est: quæ, si semel uno
De sene gustârit tecum partita lucellum,
Ut canis a corio nunquam absterrebitur uncto.
Me sene quod, dicam, factum est: Anus improba Thebis
Ex testamento sic est elata: cadaver
Unctum oleo largo nudis humeris tulit hæres:
Scilicet elabi si posset mortua; credo,
Quod nimium institerat viventi. Cautus adito:
Neu desis operæ, neve immoderatus abundes.
Difficilem et morosum offendes garrulus: ultro
Non etiam sileas. Davus sis comicus, atque
Stes capite obstipo, multum similis metuenti.

et non sine sale de Homero dictum, apud quem Penelopis amatores reipsa minus amorem quam commissationem curant, et sæpissime oves, boves occidunt. Ed. — *Sic tibi Penelope frugi est*, sic Penelope, quia juvenes ejus castitatem non labefactare poterant magnis donis, proba adhuc et casta mansit.—*tecum part. lucellum*, et quæstu, quod sic fecerit, tecum fruetur. Ed. — *Ut canis*, etc. Nunquam a sene illo absterrebitur, sicuti canis ab uncto corio semel gustato se nunquam absterreri patitur. Veteres igitur jam usi sunt proverbio, quod nunc quoque in Germania non raro repeti solet; scilicet canes, *cupiditates semel incitatas crescere*, exemplo suo nos docere debent.—*uncto*, quod madet oleo, vel adipe.

84. *Improba*, non ad vetulæ mores, sed ad festivum ejus ingenium, sive ad mandatum, ingeniose in testamento ab ea excogitatum, referendum. — *Ex testamento sic est elata*, jussit testamento suo se ita efferendam esse. Efferre, proprie de cadavere in exsequiis ferendo. Ed.—*scilicet elabi si posset*, etc. Opinor illam anum ideo jussisse, ut ab hærede suo, molesto captatore, suum cadaver unctum oleo ad rogum ferri, ut indicaret hominem sibi vivæ molestissimum fuisse, ac velle saltem se mortuam illi elabi, quæ viva ejus artes et insidias effugere non potuerat. Ed.

88. *Cautus adito*, idem, quod v. 48: «leniter adrepe.»—*neve immod. abundes*, sc. opera, neve sis in hac opera nimius, (ut ille, qui viventi vetulæ nimium institerat.) — *Difficilem*, fastidiosum.—*Ultro Non etiam sileas*, nec tamen sileas data opera, sive consulto. — *Davus sis comicus*, imitare Davum illum servum, qui, dum in comœdia suas partes agit, timide ac reverenter cum hero loquitur. Davus, vulgare nomen servi comici. Ed.—*capite obstipo*, ad terram inclinato; expressum est σχῆμα ho-

Digitized by Google

Obsequio grassare: mone, si increbruit aura,
Cautus uti velet carum caput: extrahe turba
Oppositis humeris: aurem substringe loquaci.
Importunus amat laudari? donec, Ohe jam!
Ad cælum manibus sublatis, dixerit, urge; et
Crescentem tumidis infla sermonibus utrem.
Quum te servitio longo curaque levârit,
Et certum vigilans, *Quartæ esto partis Ulysses*,
Audieris, *hæres*: « ergo nunc Dama sodalis

minis servili verecundia adstantis, et, quid jubeatur, exspectantis.—*multum metuenti*, multam verecundiam præ se ferenti; *metuere* passim pro: vereri, præcipue de servis. Cic. de Senect. c. 11: « *metuebant* servi, verebantur liberi, earum omnes habebant. »

93. *Obsequio grassare*, dum quovis obsequii genere placere studes, procede et perge ad metam propositam, sc. ad divitis senis animum tibi conciliandum. — *aurem substringe loquaci*, si est loquax, *substrictas*, h. e. arrectas aures loquaci accommoda; *aures substringere* jam est: aures ad aliquid accuratius percipiendum, canum et aliorum animalium more, sursum trahere, h. e. arrigere, vel, quod supr. Od. II, 19, 4, dicitur *aures acuere*.

96. Sensus: si, ut homo importunus, (molestus enim et ineptus est, qui præsens laudes suas audire cupit,) a te laudari avet, cumula et obrue eum tam diu laudibus, donec, sublatis in cælum manibus, *ohe jam* satis est, dixerit; *manus ad cælum tollere* solemus, quum insignis alicujus rei admiratione percellimur. Dives senex, qui inducitur, quamvis, dum laudes suas audit, virtutum suarum admiratione ita percellitur, ut manus ad cælum tollat, tamen laudatorem, tanquam in celebrandis ipsius laudibus nimium, tacere (non serio, sed simulanter) jubet. En egregie adumbratam ejusmodi vani hominis imaginem! — *ohe jam!* ut supr. Sat. I, 3, 12: « Ohe jam satis est! » — *urge et*, etc. Eleganter pro vulgari: persequere et imple vanum hominem ventosis laudibus; lepide laudator, qui vanas laudes spargit vel adflat, cum vento; laudatus, qui vanas laudes recipit et iis intumescit, cum utre, cui ventus immittitur, comparatur.

99. *Quum te servitio levârit*. Sensus et nexus: Quodsi vero senex mortuus fuerit, et tu, non somnians de hereditate, sed re vera vigilans audieris hæc: *Ulysses quartæ partis hæres esto*, tum sparge subinde ejusmodi sermones: « Ergo sodalis meus Dama nusquam in hac terra amplius reperietur? unde alium mihi tam fortem et fidelem parabo? Et, si paulum potes illacrimare, illacrima.—*levarit*,

Digitized by Google

Nusquam est? unde mihi tam fortem, tamque fidelem?»
Sparge subinde: et, si paulum potes, illacrimare: est
Gaudia prodentem vultum celare. Sepulcrum
Permissum arbitrio, sine sordibus exstrue: funus
Egregie factum laudet vicinia. Si quis
Forte cohæredum senior male tussiet, huic tu
Dic, ex parte tua, seu fundi, sive domus sit
Emptor, gaudentem nummo te addicere.... Sed me

liberaverit morte sua: tunc enim liberatus eris servilibus illis obsequiis quibus vivum captabas. Ed. — *Audieris*, non ex ore moribundi (statim enim subjungitur: *sparge subinde: Ergo nunc Dama sodalis Nusquam est?*) sed aperto testamento. — *unde mihi*, supple: sumam, exquiram, parabo, inveniam. Posita post *potes* distinctione, *illacrimare* pro imperativo accipitur, laudato exemplo Ciceronis, (de Nat. D. III, 33) *illacrimari* in forma deponentis usi. Equidem vero post *illacrimare* recte imperativum *illacrima* suppleri posse etiam existimo. Nam in sermonibus, qui familiariter miscentur, verbum aliquod, ut sæpe apud Terentium, data opera nec sine vi aliqua reticeri solet, quod a quovis facile suppleri potest, uti modo in versu præcedente verbum aliquod, a quo pendent sectisativi *fortem* et *fidelem*, supplendum erat.

104. *Est Gaudia prodentem vult. celare*, (*est*, ἔστι) licebit lacrimando (tu poteris lacrimando) animi lætitiam de hæreditate in vultu expressam occultare. De hoc Publius Syrus: «hæredis fletus sub persona risus est.» Male scribunt Bentleius et Sanadon; prior, *et gaudia prudenter vultu celare*: alter, *est gaudia prudentum vultu celare*. Uterque sæpius sibi vana tormenta admovet, ut clara obscuris involvat. Ed. — *sine sordibus*, sine sordida avaritia; splendide igitur et mamagnifice. — *laudet vicinia*, sic enim apud alios senes commendaberis. Ed.

107. *Male tussiet*, mala tussis enim non raro propinquæ mortis index est; *mala tussis* apud Catull. XLIV, 7. — *Huic tu Dic... addicere*. Sensus: huic tu dic te, sive ille fundi, sive domus ex tua hæreditatis portione emptor esse velit, (*gaudentem*) prompto paratoque animo ei vilissimo pretio addicere velle. Ejusmodi emptio, quæ reapse erat donatio, oblato *nummo* (sestertio) rata et firma fiebat. Vid. Bentl. supr. ad Sat. I, 4, 14.

109. *Sed me*, etc. Horatius recte sermonem abrumpit; nam Tiresias nihil amplius suadendum habet; et si Ulysses vati ad singula respondere vellet, necessario loqueretur id, quod nec suam indolem, nec veritatem historicam deceret. Nihil igitur hac Satira mirabilius, sive morum censu-

Digitized by Google

Imperiosa trahit Proserpina: vive valeque. 110

ram, sive ingenii acumen, sive sapientiæ consilia spectaveris. Ed.

110. *Imperiosa Proserpina*, Umbræ scilicet ex Orco in lucem emissæ, ex imperio sævæ Proserpinæ dicta hora in Orcum redire debebant.

Analysis. Totius orbis divitiis Romam affluentibus, ea fuit, Horatii tempore, hujus urbis corruptio, ut nullam poeta hyerbolen admiserit, sed ad Veritatem Romanæ societatis statum expresserit his Sat. lib. II, 3, vers. 95: « Virtus, fama, decus, divina humanaque pulchris Divitiis parent: quas qui construxerit, ille Clarus erit, fortis, justus, sapiens etiam, et rex, Et quidquid volet. » Quæ quum res ita forent, facile intelligitur divitias cuique summopere appetendas fuisse, et quibusdam hominibus nullam viam, qua divitiæ compararentur, turpiorem et rejiciendam visam fuisse. Hinc Romæ quædam hominum species, adeo numerosa, ut peculiarem quasi artem exerceret; qui hæredipetæ dicti, omnibus modis sibi seniorum animum conciliare, et hæreditates vindicare tentabant. Horum infames dolos describere, ac opprobriis inspergere voluit Horatius. Fingit Ulyssem, quum, ut refert Homerus, infernos adiisset, et Tiresiam de suo in Ithacam reditu consulendum, eum etiam de comparandis divitiis consuluisse.

Tiresias autem nihil aliud indicat nisi captandarum hæreditatum artem, et fusius omnes hujus artis subtilitates explicat. Primum senex aliquis muneribus tentandus est; hunc oportet, honoris causa, semper comiteris; nec spem deponas, licet non semper bene cesserit eventus. Necesse est ut seniori alicui, natis orbo, blandiare, et amicitiam vividissimam exprimas; et res ejus, loco ipsius, geras et administres. Ne nimiam aviditatem ostendas, testamentum legere recusa, ita tamen ut obliquis oculis perlustres. Si libertus aut mulier senem regunt, iis socius esse debes, eosque laudare ut ab his lauderis. Nec illud etiam refugere debes, ut illi uxorem tuam tradas; denique nulli obsequio, nulli curæ parcendum, ut eum tibi concilies; et quum mortuus fuerit, et ex testamento hæres exstiteris, luctum simula, et sepulchrum magnificum exstrue; deinde ad aliam hæreditatem captandam, animum tuum intende. — Hæc probrosæ artis expositio, et graviter ac didactice, et a doctore venerando facta, mirabilis videtur ironia, atque insignem sane sedem inter Satirica nostri poetæ opera obtinet. Ed.

Digitized by Google

SATIRA VI.

Horatius, se nunc, quæ ad vitæ jucunditatem spectent, habere omnia grato animo professus, decantat laudes vitæ rusticæ.

Hoc erat in votis: modus agri non ita magnus,
Hortus ubi, et tecto vicinus jugis aquæ fons,
Et paulum silvæ super his foret: auctius atque
Dî melius fecere. Bene est! nihil amplius oro,
Maia nate, nisi ut propria hæc mihi munera faxis.
Si neque majorem feci ratione mala rem,
Nec sum facturus vitio culpave minorem;
Si veneror stultus nihil horum; « O si angulus ille

1. *Hoc erat in votis*, id unum optaveram. Ed. — *modus agri non ita magnus*, cujus ambitus non magnæ, sed exiguæ mensuræ esset. Plinius in ult. Epist. lib. I: « modus ruris, qui avocet magis quam distringat. » Ed. — *jugis aquæ*, jugiter fluentis, perennis aquæ, ut infr. Epist. I, 15, 17, sic *jugis aqua* de aqua fontana, apud Sall. in Jug. cap. 90. — *Super his*. Schol. Cruq. « insuper, præterea; » sed fortasse: super horto, tecto et fonte: villa enim Horatii in agro Sabino sita fuit in valle montibus cincta; hinc v. 16: « Ergo ubi me in montes et in arcem ex urbe removi, » et infr. Epist. I, 16, 5: « Continui montes, nisi dissocientur opaca Valle. » — *auctius atque Dî melius fecere*; plura et meliora quam optabam, dii mihi dedere. Habebat enim villam satis magnam, saltus, et fontem unde rivus defluueret. Ed.

5. *Maia nate*, Mercurius enim (*parens lyræ curvæ* supr. Od. I, 10, 6) præsidio suo poetas fovet, unde poetæ supr. Od. II, 17, 30: « viri Mercuriales » vocantur. Idem ut *dator bonorum insperatorum* (δώτωρ ἐάων, κερδῶος) colitur. — *propria* de iis, quorum usus et fructus nunquam imminuitur, quæ manent et durant, quæ sunt perpetua. Virg. Æn. VI, 872: « *propria* hæc si dona fuissent, » ubi plura de hac vocis *proprius* significatione exempla dabit *Cerda*.

6. *Si neque*, etc. Si neque fœdo lucrandi genere rem meam augere et amplificare studui, neque eam vitii h. e. turpis luxuriæ culpa imminuam atque profundam. — *Si veneror*, etc. Sensus: si non sum

Digitized by Google

Proximus accedat, qui nunc denormat agellum!
O si urnam argenti fors quæ mihi monstret, ut illi
Thesauro invento qui mercenarius agrum,
Illum ipsum mercatus, aravit, dives amico
Hercule;» si quod adest, gratum juvat, hac prece te oro,
Pingue pecus domino facias, et cetera, præter
Ingenium, utque soles custos mihi maximus adsis.
Ergo ubi me in montes et in arcem ex urbe removi,

unus horum hominum, stulte ita precantium: « O si angulus ille vicini agri ad meum accedat, quem nunc angulus ille contra normam æqualis longitudinis deformat! O si qua sors urnam argenti mihi monstret, ut illi mercenario, qui thesauro, Hercule favente, invento dives factus illum ipsum agrum, quem mercenarius aravit, mercatus est, » si grato animo iis, quæ possideo, contentus vivo; oro te hac prece, ut mihi domino pecus quidem pingue facias, et cetera, quæ in agris pinguescere debent, sed non meum ingenium, quod *pingue* esse nolo; et ut maximus mihi, ut soles, Mercuri, custos adsis. — *veneror*, venerandus peto; Livius VIII, 9: «Jane, Jupiter, etc. vos precor, veneror, veniam peto feroque, uti populo Romano prosperetis.» Cf. Brison. de Formul. I, p. 71.

10. *O si fors quæ*, pro: si qua fors; exempla vid. apud Heind. — *ut illi*, etc. Phrasim ellipticam sic restituas: ut fors monstravit huic homini, qui antea mercenarius, illum agrum mercatus quem pro alio araverat, pro se ipso aravit. Ed. — *amico Hercule*, dum ei favebat Hercules, divitiarum dator, πλουτοδότης, Schol. Acr. « ...Ideo, quia (Hercules) thesauris præest, et sunt, qui eumdem incubonem (qui thesauro, quem custodit, incubat) esse velint, unde putant, quod et res rustica in tutela sit ejus » (rem rusticam quoque in ejus tutela esse). In Satir. II, vs. 10, Persius: « ...O si Sub rastro crepet argenti mihi seria, dextro Hercule. » — *si quod adest, gratum juvat*, si eo quod habeo, sum contentus. Ed. — *gratum*, me, grati animi hominem, eleganter pro simplici: me. — *domino*, mihi. — *præter ingenium*, ludit in voce *pingue*, primum proprie de corpore, deinde per translationem de *ingenio* posita; ingenium *pingue* est tardum, hebes et ineptum, quia corpus quoque *pingue* tardum et rebus agendis ineptum est. Similiter fere *homo obesæ naris*. — *utque soles*, Mercurii in se beneficia jam commemoravit Od. II, 7, et pluribus aliis locis. Ed.

16. *Ergo ubi*, etc. Quodsi igitur votorum meorum compos et sorte mea contentus, etc. — *et in arcem*, per *arcem* designavit Horatius villam suam, tanquam *locum perfugii*, ubi poeta a vitæ urbanæ molestiis, curis et negotiis remotus in tuto vivebat. — *in*

Digitized by Google

Quid prius illustrem satiris Musaque pedestri,
Nec mala me ambitio perdit, nec plumbeus Auster
Auctumnusque gravis, Libitinæ quæstus acerbæ.
Matutine pater, seu Jane libentius audis,
Unde homines operum primos vitæque labores

montes se secedere ait, quia prope *cubantem Usticam*, villa sua sita erat et inter multos alios montes: « continui colles, nisi dissocientur opaca Valle. » Epl. I, 16, 8. Ed. — *Quid prius*, etc. Vulgo intelligunt: ubi in villam secessi, quid potius agere me par est quam scribere Satiras; quid potius elaborem, illustrem, quam Satiras et carmina sermone pedestri; h. e. rure, scribo Satiras, nec ambitio me perdit, etc. at hunc versum parenthezeos signis inclusit Gesnerus; quasi Horatius sensu memoratæ felicitatis, qua sibi ex urbe in villam suam secedere liceat, percussus, sibi temperare non potest, quin media in oratione hanc sententiam interponat: « Quam tandem rem hac rusticationis meæ felicitate prius carmine celebrem! »—*Satiris Musaque pedestri*, pedestri sermonum meorum Musa. Musa *lyrica* curru vehitur; *tragica* cothurno nixa incedit; *satirica* nudis pedibus ambulat. — *mala ambitio*, molestum gratiæ captandæ studium. — *plumbeus*, quia *Auster*, omnia exsiccans (*Strocco*) homines reddit *plumbeos* h. e. inertes. — *Auctumnusque gravis*, valetudini ob aeris gravitatem infestus. Supr. libri Od. II, 14, 15: « Frustra per autumnos nocentem Corporibus metuemus Austrum, » et III, 23, 8: « auctumni grave tempus, » ubi cf. not. Horatii autem villa ab hoc vento defendebatur, unde Epist. I, 16, 15: « hæ latebræ dulces, etiam, si credis, amœnæ, Incolumem tibi me præstant septembribus horis. » Ed.—*Libitinæ quæstus acerbæ*, quia auctumnus ob multa hoc anni tempore funera, Libitinæ, in cujus templo ad mortuorum sepulturam necessaria aut vendebantur, aut locabantur, quæstuosus fuit.

20. Nexus orationis: In urbe a prima diei luce infinita officiorum negotiorumque genera modo huc, modo illuc me rapiunt truduntque.—Horatius igitur jam matutina in urbe negotia narraturus, in rei narrandæ principio, uti fere poeta epicus Calliopen vel aliam Musam, significanter *Matutinum Patrem*, *Janum*, invocat; Janus *Matutinus* dicitur, quia ejus favori non uniuscumque anni tantum, sed etiam uniuscumque diei principium et incepta commendabantur; Janus scilicet primus fuit custos omnium portarum vel cæli, vel terræ; omnes portæ, et eæ per quas dies exibat, et vel minimæ urbis portæ, ab eo protegebantur, unde porta quæque *Janua* dicebatur. Ed. — *pater*, ut infr. Epist. I, 16, 59, — *seu Jane libentius audis*, cumulant poetæ dei, quem laudant, nomina, supr. Carm. Sæc. v. 15: « Sive tu Lucina probas vocari, seu Genitalis. » — *Unde*, cu

Digitized by Google

Instituunt, sic dîs placitum, tu carminis esto
Principium. Romæ sponsorem me rapis. — Eia,
Ne prior officio quisquam respondeat, urge!
— Sive aquilo radit terras, seu bruma nivalem
Interiore diem gyro trahit, ire necesse est.
Postmodo, quod mî obsit, clare certumque locuto
Luctandum in turba; et facienda injuria tardis.
« Quid tibi vis, insane, et quam rem agis improbus? » urget
Iratis precibus. « Tu pulses omne quod obstat,
Ad Mæcenatem memori si mente recurras. »
— Hoc juvat, et melli est, non mentiar. At simul atras

jus favore. — *Romæ sponsorem me rapis*, Janum dispertientem quasi et assignantem cuique diurnos labores appellare pergit: Si in urbe versor, mane statim me sponsorem in forum properare jubes; *eia*, ais, *urge*, ne quis te prior huic officio satisfaciat. — *Eia... urge*, idem est, quod Virgilius Æn. IV, 569, dicit: « Eia age, rumpe moras. »

25. *Radit*, significanter pro vulgari: perflat; nam dum Auster terras perflat, sordes abradendo, eas quasi polit, purgat et exsiccat. Supr. Epod. XVI, 55: « ut neque largis Aquosus arva radat (inundatione abradat, deterat) imbribus. » — *bruma Interiore diem gyro trahit*, bruma dies, quibus terra nive contegitur, contrahit, contractiores et breviores reddit; *gyro interiore*, minimo, brevissimo. Aratus apud Ciceronem de Nat. D. II, 41, de Cynosura: « Nam cursu interiore brevi convertitur orbe. » Et sic *gyrus* in circo, metæ proximus, dicitur *interior*.

27. Sensus: Postmodo, ubi clara voce et certa fide promisi, quod mihi damno esse possit, (sponsio enim damno est sponsori, si ei vere præstandum est, quod se pro aliquo præstare velle promisit,) redeunti mihi e foro luctandum est in turba hominum, vi submovendo eos, qui tarde procedunt. Jam unus ex iis, per quos cubito viam mihi feceram, (*urget iratis precibus*) iratō pectore ejusmodi opprobriis me insectatur: *Quid vis, insane*, etc. — *improbus*, significatio hujus vocis, quæ late patet, accommodanda est rei, de qua sermo est; jam *improbus* est *importunus*. — *Tu pulses*, etc. Tu velis vel ausis omnes in via tibi obstantes pulsare, quoties tibi domus Mæcenatis, semper animo tuo obversantis, celeri cursu repetenda sit.

32. *Hoc juvat*, etc. Nihil sane, fateor, contingere mihi potest hoc ad Mæcenatem reditu jucundius, nihil dulcius. — *atras Esquilias*, in Mæcenatis ædes, sitas in *atris Esquiliis*. —

Digitized by Google

Ventum est Esquilias, aliena negotia centum
Per caput et circa saliunt latus. — Ante secundam
Roscius orabat sibi adesses ad Puteal cras....
De re communi scribæ magna atque nova te
Orabant hodie meminisses, Quincte, reverti....
Imprimat his, cura, Mæcenas signa tabellis....
Dixeris, « Experiar. — Si vis, potes, » addit et instat.
Septimus octavo propior jam fugerit annus,
Ex quo Mæcenas me cœpit habere suorum
In numero, duntaxat ad hoc, quem tollere rheda

Esquiliæ dicuntur *atræ*, quia antea *commune sepulchrum plebi*, ut Noster loquitur supr. Sat. I, 8, 10, ibi *steterat*. — *aliena*, pro aliis suscipienda. — *Per caput et circa saliunt latus*, me obruunt et premunt, vel, ut Terentius loquitur, *circumvallant*.

35. *Ante sec. Rosc. orabat*, cogita, servum aliquem Horatio sub ejus in domum Mæcenatis adventu jam referre, qui adfuerint in ejus absentia, et quid precibus ab eo impetrare voluerint. — *Puteal* (proprie putei operculum), murus, qui puteum cinxisse videtur, in formam quadrati, vel in formam altaris exstructus, uti *puteal Libonis* in nummis expressum conspicitur apud Lambinum. Fuerunt autem Romæ in foro duo putealia, ut docet Salmas. ad Solin. p. 802, alterum in *Comitio*, ubi jus dicebat Prætor, alterum ad *arcum Fabianum*, a Scribonio Libone jussu senatus excitatum, ubi fœneratores convenire, et fœnus exercere solebant; Ovid. de Rem. Am. 561; vid. quos laudat Ernest. in Clav. Cic. s. v. *puteal*: ad posterius, quod infr. Epist. I, 19, 18, plenius *puteal Libonis* dicitur, respexit jam Horatius, ubi Roscio in re pecuniaria adesse debebat.

36. *De re communi*, ad omnes scribas pertinente. — *reverti*, sc. in decurias scribarum, ut commune cum iis *de re magna et nova* consilium caperes. Horatius enim ipse fuit *scriba*, et quidem *Quæstorius*; de honestate *scribarum publicorum*, in decurias descriptorum, et mercedem ex ærario accipientium, vid. Ernest. in Clav. Cic. s. v. *scriba*.

38. *Imprimat his*, etc. Porrigit alius Horatio tabellas, rogans, ut eas a Mæcenate consignandas curet. Mæcenas enim nomine Augusti, a quo annulum signatorium acceperat (vid. Heind.), tabellis sigillum imprimere, sive eas consignare solebat.

39. *Dixeris*, pro: si dixeris, et hoc pro: si ego dixerim: *experiar*, periculum faciam, num satisfieri possit tuis precibus. — *Septimus octavo*, etc. Elegans versus pro vulgari: Jam octo ferme anni præterlapsi sunt. — *fugerit*, nisi fallor, fugit. — *duntaxat*

Digitized by Google

Vellet iter faciens, et cui concredere nugas
Hoc genus: « Hora quota est? Thrax est Gallina Syro par?
Matutina parum cautos jam frigora mordent: »
Et quæ rimosa bene deponuntur in aure.

Per totum hoc tempus subjectior in diem et horam
Invidiæ. « Noster ludos spectaverat una,
Luserat in campo; Fortunæ filius! » omnes.

ad hoc, quem, etc. Eo tantum consilio, ut essem, quem iter faciens, *rheda* secum *tolleret*, sive quem, quum rheda vectus iter faceret, comitem sibi adjungeret; sic apud Livium XLI, 3: « equites » dicuntur « pedites in eques secum tollere. » — *Hoc genus*, ejusmodi, exempli causa. — *Thrax est Gallina Syro par?* num gladiator Gallina corporis viribus et agilitate *par est* gladiatori *Syro?* Plura fuerunt gladiatorum genera; *Thraces*, (Θρᾷκες) ab armis Thraciis ita dicti; *Samnites*, ab armatura Samnitica; *Mirmillones*, ab insigni pisois cujusdam (cui nomen fuit μόρμυρος vel μορμυρίων,), cujus imaginem gerebant in galea. Jam vero quum *Thraces* præcipue componi soleront cum *Mirmillonibus*, *Syrus* fuisse videtur *Mirmillo*.

45. *Parum cautos*, qui contra frigus non veste crassiore se munit, is parum sibi cavet. — *mordent*. *Mordere*, non tantum, ut *urere*, *adurere*, de vehementiore frigore, sed etiam de vehementiore solis æstu, ut infr. Epist. I, 8, 5. — *bene*, secure; sermo est de rebus nullius momenti, quæ secure animo et sine omni cura deponi possunt in *aure rimosa*, h. e. pervia, quæ tribuitur homini, qui, quæ audivit, temere effatit; in animo habuit Horatius notissimum illud Terentii (Eunuch. I, 2, 25): « Plenus rimarum sum, huc atque illuc perfluo. » *Auribus rimosis* opponantur *aures tutæ* supr. Od. I, 27, 18.

47. *Per totum hoc*. Ab eo inde tempore in diem et horam magis magisque expositus fui invidiæ. — *Noster ludos spectaverat*, etc. Sensus est: omnes inter se immurmurant: Noster iste Horatius, homo nostri loci et ordinis, nostri simillimus, nunc fortunæ filius et beatulus, olim nobiscum una spectabat ludos omnes, plebi permixtus, et omnes ludos ludebat in Campo Martio; subaudi: nunc autem nos et plebem negligit. Intelligi potest etiam: Iste Horatius ludos spectaverat et luserat una cum Mæcenate; fortunæ filius ille est, qui utitur familiariter summo viro. Alii melius ita explicant: si (hac particula suppleta, ut alibi) si noster Mæcenas una mecum ludos spectaverat, vel una mecum in Campo Martio luserat, et sic singularem mihi favorem probaverat, tum omnes: *Horatius Fortunæ est filius*, clamabant. Recte Mæcenas ab Horatio simpliciter vocari potest *Noster*, non ideo tantum, quod Mæcenas Horatium *in numero suorum*

Digitized by Google

Frigidus a Rostris manat per compita rumor;
Quicumque obvius est, me consulit: « O bone, (nam te
Scire, deos quoniam propius contingis, oportet,)
Numquid de Dacis audisti? — Nil equidem. — Ut tu
Semper eris derisor! — At omnes dî exagitent me,
Si quidquam. — Quid? militibus promissa Triquetra
Prædia Cæsar, an est Itala tellure daturus? »
Jurantem me scire nihil, mirantur, ut unum
Scilicet egregii mortalem altique silentî.
Perditur hæc inter misero lux, non sine votis:
O rus, quando ego te adspiciam! quandoque licebit,
Nunc veterum libris, nunc somno et inertibus horis

habere cœperat (v. 41), sed etiam, quod is, qui nobis favet, simpliciter *Noster* appellari solet; ut ipsi dii *nostri*, qui nobis; *tui*, qui tibi; *mei*, qui mihi favent, dicuntur; vid. Burmannus ad Ovid. Trist. IV, 4, 23. Ed.

50. *Frigidus*, qui frigus et horrorem incutit, h. e. tristior, v. c. de Dacis rebellantibus, de funesto prælio aliquo, etc. — *a Rostris*, ob maximam hominum ibi convenientium frequentiam. Rostra enim in medio foro sita erant. Ed. — *O bone*, o amice, o mi Horati, vox amicitiæ, ad ingenium expetentium aliquid. Ed. — *deos*, Mæcenatem et Augustum. — *Dacis*, illi bellum meditari dicebantur eo tempore. Ed.

54. *Derisor*, qui, quod scit, se nescire ait, et hac dissimulatione alios ludit, (εἴρων), ut infr. Epist. ad Pis. v. 453. — *At omnes dî exagitent me*, formula jurandi, *me exagitent*, me insectentur, persequantur, vexent, pro vulgari: perdant.

55. *Si quidquam*, sc. audivi. — *Quid? militibus*, etc. Cæsarne prædia militibus promissa, in Sicilia an in Italia daturus est? Respicitur, ut probatum ivit Bentleius in Præf. ad Horat. 2. fin. agrorum divisio, quæ, Sexto Pompeio in freto Siculo victo, U. C. DCCVIII, et Lepido ad deditionem adacto, DCCXXI, facta est. — *Triquetra*. Schol. Cruq. « Sicilia, quod in tres partes seu promontoria diducta est, Græce *Trinacria*, a tribus promontoriis, Pachyno, Lilybæo et Peloro. » — *unum*, præ aliis omnibus; vid. Bentl. infr. ad Epist. ad Pis. v. 32.

59. *Hæc inter*, in his nugis et molestis occupationibus. Ed. — *misero*, elegantius pro: mihi. — *non sine votis*, iis scilicet, quæ sequuntur. — *O rus*, nunquam satis laudari poterunt tres illi versus. Ed. — *somno*, sc. securo, qui non officiis in urbe subeundis interrumpitur. — *inertibus horis*, noli *horas inertes* referre ad

Digitized by Google

Ducere sollicitæ jucunda oblivia vitæ!
O quando faba Pythagoræ cognata, simulque
Uncta satis pingui ponentur oluscula lardo!
O noctes cœnæque deûm, quibus ipse meique
Ante Larem proprium vescor, vernasque procaces
Pasco libatis dapibus! Prout cuique libido est,
Siccat inæquales calices conviva solutus
Legibus insanis, seu quis capit acria fortis
Pocula, seu modicis humescit lætius. Ergo

ignavum otium et desidiam, cui Horatius in agro indulgere voluerit, sed ad vitam, qua Horatius in villa sua non aliis, sed sibi tantum vivebat. Tibull. I, 1, 5 : « Me mea paupertas vitæ traducat *inerti*. »

62. *Ducere*, imbibere, et quidem pleno haustu; cf. supr. ad Od. I, 17, 22. — *oblivia*, Horatius cogitasse videtur de *Lethe*, e quo advenientes Umbræ apud Virg. Æn. VI, 714 : « securos latices et longa oblivia potare » dicuntur; supr. Epod. II, 38, post enarratas vitæ rusticæ jucunditates : « Quis non malarum, quas amor curas habet, Hæc inter obliviscitur? »

63. *O quando*, jam laus est mensæ rusticæ. — *faba Pythagoræ cognata*, inter causas, e quibus Pythagoræ disciplinæ addicti *fabis* abstinere debebant, affertur quoque hæc, quod Pythagoras *fabas* ad animarum mortuorum receptacula retulerit. Schol. Cruq. « ...dubitabat enim Pythagoras, an in eo corpore (*faba*) lateret anima patris sui, an alterius propinqui, qua de re ridet eum Horatius et ejus sequaces » (discipulos); jocose certe hujus rei respectu habito Horatius *fabas* vocat *Pythagoræ cognatas*. — *olusc ula*, olera parva, parvi pretii. Ed. — *lardo*, rusticus etiam ac domesticus cibus. — *deûm*, dignæ deum propter et suavitatem, et tranquillitatem. Ed. — *Larem*, focum; *proprium*, nota vim hujus vocis, quum tantum pretium rei cuivis adjiciat proprietatis notio. Ed. — *meique*, familiares, vicini, vernæ. — *procaces*, lascivientes, verniles jocos miscentes. Supra quoque Epod. II, 66, ad jucundos in agro adspectus referuntur *positi vernæ circum renidentes Lares*. — *libatis dapibus*, gustatis a domino, quarum reliquias vernæ inter cœnam et post cœnam comedebant; aut potius, quarum primitias diis pie libavi. Ed.

67. *Prout*, una syllaba pronuntiandum. — *Siccat*, haurit. — *inæquales*, sive grandiores, sive minores. — *Legibus insanis*, quibus compotationis rex sive modimperator (vid. supr. ad Od. I, 4, 18) compotores præscriptum cyathorum numerum uno tenore exhaurire jubebat; cf. supr. ad Sat. II, 2, 123. — *acria pocula*, proprie, qui fortiter potant, dicuntur *acres potores*, ut infr. Sat. II, 8, 36, idem igitur nunc *poculis*, quod potoribus, tribuitur. — *humescit*, irriga-

Digitized by Google

Sermo oritur non de villis domibusve alienis,
Nec, male necne Lepos saltet; sed, quod magis ad nos
Pertinet, et nescire malum est, agitamus: utrumne
Divitiis homines, an sint virtute beati?
Quidve ad amicitias, usus rectumne, trahat nos?
Et quæ sit natura boni, summumque quid ejus?
Cervius hæc inter vicinus garrit aniles
Ex re fabellas: si quis nam laudat Arellî
Sollicitas ignarus opes, sic incipit: « Olim
Rusticus urbanum murem mus paupere fertur
Accepisse cavo, veterem vetus hospes amicum;
Asper et attentus quæsitis, ut tamen arctum

tur; alii legunt *uvescit*, uvidus (ὑγρός) est, madet, cf. supr. ad Od. II, 19, 18; IV, 5, 39. Ed.

71. *Non de villis domib. alienis*, qui sermo avarorum et invidorum est. Ed. — *Lepos*. Schol. Cruq. « nomen insignis saltatoris, Cæsari grati, Archimimi, qui sic appellatus est, quod jucunde et molliter saltaret. » — *sed, quod magis ad nos*, etc. jam laudat Horatius graves per cœnam sermones, de philosophia scilicet. Hæc omnia de quibus sermonem esse ait, magnæ sunt disputandi inter philosophos occasiones. Ed. — *usus*, utilitas; *rectum*, virtus, honestas.

77. *Cervius hæc inter*, etc. Et dum hæc de rebus ad nos pertinentibus familiariter disputamus, Cervius, vicinus, aniles fabellas (*ex re*) rei, de qua loquimur, accommodatas, interserit. Nam si quis exempli causa Arellii opes laudat, ignorans quanta cum divitiarum possessione conjuncta sit sollicitudo, sequentem fabulam narrat. *Arellius* in vicinitate fuisse videtur homo dives, et, ut omnes fere divites, de secura opum suarum possessione admodum *sollicitus*; tota enim fabula referenda est ad sollicitudinem, qua misere cruciantur divites.

80. *Rusticus urbanum*, etc. Hanc fabulam apud Æsopum non reperimus; eam autem undecumque sumptam Horatius suam fecit narrandi venustate et ornandi concinnitate: operæ pretium erit nostri Fontanii de eodem argumento fabulam cum Horatiana conferre. Ed. — *paupere cavo*. *Cavus*, vel *cavum* de latibulo muris, ut infr. Epist. I, 7, 35, de latibulo nitedulæ. — *paupere*, ut infr. Epist. I, 10, 32: « sub paupere tecto. » — *veterem vetus hospes amic.* jucundissime dictum de moribus, qui et amicitia, et antiquissimis hospitii vinculis conjungi finguntur. Ed. — *Asper*, vitæ asperæ et duræ adsuetus. — *attentus quæsitis*, res quæsitas eo

Digitized by Google

Solveret hospitiis animum. Quid multa? neque illi
Sepositi ciceris nec longæ invidit avenæ:
Aridum et ore ferens acinum semesaque lardi
Frusta dedit, cupiens varia fastidia cœna
Vincere tangentis male singula dente superbo:
Quum pater ipse domus palea porrectus in horna
Esset ador loliumque, dapis meliora relinquens.
Tandem urbanus ad hunc: « Quid te juvat, inquit, amice,
Prærupti nemoris patientem vivere dorso?
Vis tu homines urbemque feris præponere silvis?

attentius custodiens, quo majore labore eas comparabat. Ed.— *ut tamen arctum Solveret hospitiis animum*, hactenus tamen, ut animum arctis rebus intentum hospitii officiis aperiret. — *neque illi Sepositi cic. nec longæ invidit avenæ*, plenius ad vulgarem loquendi rationem dixisset: « neque ille hospiti invidit ciceris et avenæ fructum, « sed usus est forma Græca: « φθονεῖν τινί τινος, » vid. Heind. Hic notandum quanta venustate depingitur mus ille rusticus, rustici hominis instar parcus, et ciborum voluptati indulgens; virtutum autem, ut rusticum decet, cultor, ac hospitii præsertim officiis sedulo inserviens. Ed.

85. *Ore ferens*, ad designandam convivatoris alacritatem. Ed. — *acinum*, granum racemi; *aridum* dicitur, quia desiccatum. Ed. — *semesaque lardi Frusta*, eo attentius lardo parcebat, quo difficilius rapere potuerat. Ed. — *varia fastidia cœna Vincere*, cupiens ferculorum varietate vincere nauseam muris urbani, dapes rusticas ac parum delicatas leviter ac contemptim gustantis. Ed.— *male* referunt ad *tangentis*, ut sit: vix tangentis; alii perperam junxerunt: *male superbo*, h. e. admodum superbo, ut Sat. præced. v. 107: « male tussire, » et Sat. I, 3, 45: « male parvus, » ubi cf. not. — *dente superbo*, apprime significatur muris urbani mollities, delicatissimis conviviorum dapibus adsueti. Ed.

88. *Pater ipse domus*, lepide mus rusticus jam ut hospes muris urbani *pater domus* (paterfamilias, herus) vocatur; *palea in horna*, nuper demum in hujus anni messe collecta, recente. — *Esset*, comederet; *ador*, frumentum. — *lolium*, herbam quamdam segetibus innascentem, easque corrumpentem. Ed. — *relinquens*, reservans hospiti.

91. *Patientem* (καρτεροῦντα), sc. vitæ asperæ et duræ sortem; *pati*, non raro omissa re, quam quis patitur, vel de qua sermo est. Ovid. Amor. I, 14, 13: « At, si passa fores, » sc. crines a natura tibi datos; ubi vid. Burm. et ad Lucan. V, 313, — *dorso*, clivo. — *feris*, agrestibus. Ed. — *mihi crede*, verbis meis fidem adhibeas.

Digitized by Google

Carpe viam, mihi crede, comes, terrestria quando
Mortales animas vivunt sortita, neque ulla est
Aut magno, aut parvo leti fuga. Quo, bone, circa,
Dum licet, in rebus jucundis vive beatus;
Vive memor quam sis ævi brevis. » Hæc ubi dicta
Agrestem pepulere, domo levis exsilit; inde
Ambo propositum peragunt iter, urbis aventes
Mœnia nocturni subrepere. Jamque tenebat
Nox medium cæli spatium, quum ponit uterque
In locuplete domo vestigia; rubro ubi cocco

Gravissimi philosophi instar, mus loquitur. Ed. — *terrestria quando Mortales animas vivunt sortita*, quandoquidem ii, qui in terris vivunt, mortales animas sortiti sunt. Lepide mus urbanus, proposita Epicureorum opinione, *animum cum homine mori et interire*, murem rusticum ad arripiendos jucundioris vitæ fructus exhortatur; sic *Voluptas* apud Sil. Ital. XV, 45, ad animum P. Corn. Scipionis Africani sibi conciliandum, « Umbram non sensuram esse, quid gesserit, » ait. — *Aut magno, aut parvo*, Propert. III, 20, 25: « Sed tamen huc omnes, huc primus et ultimus ordo. » Cf. supr. ad Od. I, 4, 13. — *in rebus jucundis vive beatus*, vitam hanc asperam relinquas, et jucundiorem eligas. Ed. — *Vive memor quam sis brevis ævi*; ad vitam jucundius ducendam hortatur mus amicum suum, proposita vitæ brevitate: lepidissime mus inducitur ea ipsa philosophiæ præcepta suadens, quam ipse poeta jam multis antea carminibus explicuit. Ed.

98. *Pepulere*, moverunt; Cicero de Fin. II, 10: « At ille *pellit*, permulcet sensum voluptate; » sic passim simplex verbum *pellere*; vide inprimis J. Fr. Gronov. ad Liv. III, 30, § 4, p. 660, in edit. Drakenb. — *urbis aventes Mœnia subrepere*, itinere peracto, quum mures urbem adeundi subiret cupiditas, latenter noctu subter mœnia irrepere cœperunt. — *nocturni*, nocturno tempore; ut *nocturnus lupus* apud Virg. Georg. III, 537, et *vespertinus ursus* supra Epod. XVI, 51.

100. *Jamque tenebat Nox med. spatium*: lepide Horatius in re levi ad epici poetæ sublimitatem exsurgit. Nox apud poetas post Solis occasum ab oriente surgit et curru vecta per cælum Solis vestigia legit; vid. Heyn. ad Virgilum, Æn. II, Excurs. II. — *In locuplete domo. Domus locuples* opponitur *pauperi cavo* in v. 80. — *vestigia*, pedes; Catullus LXIV, 162: « Candida permulcens liquidis vestigia lymphis. — *cocco. Coccum*, est ex opinione veterum granum, reapse autem vermiculus (*coccus ilicis* Linn.) inhærens cor-

Digitized by Google

Tincta super lectos canderet vestis eburnos,
Multaque de magna superessent fercula cœna,
Quæ procul exstructis inerant hesterna canistris.
Ergo ubi purpurea porrectum in veste locavit
Agrestem : veluti succinctus cursitat hospes,
Continuatque dapes, nec non verniliter ipsis
Fungitur officiis, prælambens omne, quod affert.
Ille cubans gaudet mutata sorte, bonisque
Rebus agit lætum convivam; quum subito ingens
Valvarum strepitus lectis excussit utrumque.

tici arboris e genere quercus (*quercus coccifera*, *q. ilex* L.). Hos vermes conglomeratos (qui apud nos : *vermillon*, vocantur), ramis abradunt, et inde parant colorem coccineum, qui quidem, quia propius accedit ad colorem purpureum, poni fere solet pro *purpureo;* certe eadem vestis stragula, quæ jam *cocco tincta* dicitur, paulo post in v. 106 est *purpurea*. — *canderet*, fulgeret, splenderet ; *candère* proprie de fulgore, quo rutilat *ignis*, vel de candore, quo lucet *ebur*. Catull. LXIV, 45 : « candet ebur soliis. » — *procul exstructis*, explicant : in altum exstructis ; sed exemplum, ubi *procul* pro : *in altum* dictum sit, deest. Alii volunt *procul* jam esse : non ita procul, scilicet a mensa, ubi cœnatum fuerat, ideoque pro : in propinquo ; plane ita *procul* apud Virgil. Eclog. VI, 16 : « Serta procul tantum capiti delapsa jacebant. » Æn. X, 835 : « Procul (juxta, in propinquo) ærea ramis Dependet galea. » — *exstructis*, ob magnam reliquorum ferculorum, quæ servantur in canistris, copiam, ut *mensa exstructa*, in qua splendide disposita est magna epularum copia.

106. Mus rusticus, qui ante porrectus jacuerat in horna palea, cubat nunc in veste purpurea. Sane in hac vitæ urbanæ, qua nunc gaudebat mus rusticus, descriptione non sine animi voluptate contendes singula cum singulis, quibus antea vita ejus rustica adumbrata est. — *succinctus curs. hospes*, currit ac festinat veluti hospes expeditus et accinctus. Ed. — *Continuatque dapes*, continenter, uno tenore alias atque alias dapes apportat. — *verniliter ipsis Fungitur officiis*, ipsis, quibus vernæ fungi solent, fungitur officiis. — *prælambens*, non raro enim vernæ cibos, quos apponunt, prælambere solent. Pro *prælambens* duorum Codd. auctoritate Bentleius dedit : *prælibans ;* cibi certe a convivatore *prælibari* solebant in urbanis conviviis.

110. *Cubans*, cubando pelliculam curans. — *bonisque rebus*, et rerum bonarum fructu, constitutus quippe in rebus prosperis. — *agit lætum convivam*, partes læti convivæ agit, læ-

Digitized by Google

Currere per totum pavidi conclave, magisque
Exanimes trepidare; simul domus alta Molossis
Personuit canibus. Tum rusticus: « Haud mihi vita
Est opus hac, ait, et valeas: me silva cavusque
Tutus ab insidiis tenui solabitur ervo. »

tum convivam se præbet. — *Molossis canibus*, cf. supr. ad Epod. VI, 5. — *ervo*, leguminis quodam genere; *tenui ervo*, ad tenuem victum ervi.

Analysis. Sua villa contentus, se nihil amplius optare profitetur poeta; Deos tantummodo precatur, ut ipsi, quod habet, proprium tutumque maneat; rus etenim secedere amat, ubi carmina componat; Romæ autem non nisi molesta vita est. Importuni scilicet homines mille negotiis eum impediunt. Ea ipsa, qua summopere gaudet ac gloriatur Mæcenatis amicitia invidiam movet. Hinc poeta rus usque colere exoptat, et rusticam vitam laudibus effert. Rure cœna est parca, sed suavis; somnus tranquillus; gratissima in conviviis libertas, graves inter cœnam sermones, vel etiam lepidæ de argumentis severis confabulationes. In cujus rei exemplum affert poeta notissimam muris urbani et muris rustici fabulam. — Clarissimus Horatii interpres ac commentator, Wieland, singularem, ut nobis videtur, huic Satiræ occasionem supposuit: dicit scilicet Horatium, urbanum, et elegantissimorum hominum commercio adsuetum, parum gratum videri debuisse ruricolis, timentibus ne ab eo despicerentur; poetam autem ut eam de se opinionem apud villæ suæ vicinos deleret, eorumque amicitiam sibi conciliaret, hanc de vita rustica Satiram scripsisse. Nos autem tam longe quæsitam occasionem non admittemus, rati Horatium, veluti omnes poetas, sæpissime urbana vita ac Romæ tumultu defessum fuisse, et non nisi cum magna voluptate rus secessisse; unde vitæ rusticæ laudes cecinit. — Notanda in hujus Satiræ fine de duobus muribus fabula, et elocutionis ornatu, et imaginum sententiarumque ingeniosa concinnitate ac proprietate nunquam satis laudanda. Sic de ea sentiebat imperator Marcus Antoninus, lib. IX, *Réflex. morales*. Hanc imitati sunt parum feliciter multi, inter quos Aphthonius, Rhetor Antiochenus; et ex nostratibus *Benserade*, *Boursault*, *Gacon*, *Collin d'Harleville* et huic amicissimus *Andrieux*, uterque dotibus ingenii et animi celeberrimus. Hoc argumentum tractavit etiam Fontanius noster; miramur autem quam jejunam ac decolorem ex tam grato argumento fabulam duxerit; quantum in ea et ab Horatio, et a se ipso distet. Horatii fabulam in gallicos versus convertit antiquitatis amantissimus, idemque miserrime occisus poeta (*André Chénier*); cujus carminibus, licet longo etiam intervallo Horatium sequatur, mirus lepos ac gratissimus inest Romani poetæ sensus. Ed.

Digitized by Google

SATIRA VII.

Davus servus cum Horatio de hominum levitate ipsiusque domini vitiis loquens inducitur.

DAVUS.

Jamdudum ausculto, et cupiens tibi dicere servus
Pauca, reformido.

HORATIUS.

Davusne?

DAVUS.

Ita. Davus, amicum
Mancipium domino, et frugi, quod sit satis; hoc est,
Ut vitale putes.

HORATIUS.

Age, libertate Decembri,
Quando ita majores voluerunt, utere: narra. 5

1. *Jamdudum ausculto*, etc. Finge tibi Horatium ad se vocasse servum suum Davum; audit Davus, respondens: Jamdudum aures ad vocem domini me vocantis arrigo; nam cupio pauca (sc. rectioris vitæ præcepta) tibi referre, sed, quia servus sum, id facere reformido. Tune Davus, servus meus? Sane ego Davus, servus tuus; nam ego dominum meum amo, et, quantum satis est, bonæ frugis servus sum, ita quidem, (*ut vitale putes*) ut credere possis, me non ante diem moriturum esse. (Ante diem enim mori putabantur optimi quique et præstantissimi; Ovid. Amor. II, 6, 39: « Optima prima fere manibus rapiuntur avaris; » Jocosa igitur modestia Davus bonus tantum servus, non optimus, videri vult.) Sic mihi in hujus Satiræ principio, de quo a Bentleio, qui hanc cum præcedente Satira in unam conglutinare volebat, et ab aliis interpretibus multum disputatum est, omnia bene sibi respondere videntur.

4. *Libertate Decembri... utere*; utere, quæ servis mense Decembri, Saturnalibus, dari solet, libertate. Schol. Acr. « ....Habeas licentiam et libertatem dicendi, quæ velis, quia Saturnalibus libertas servis concede-

Digitized by Google

DAVUS.

Pars hominum vitiis gaudet constanter, et urget
Propositum: pars multa natat, modo recta capessens,
Interdum pravis obnoxia. Sæpe notatus
Cum tribus annellis, modo læva Priscus inani,
Vixit inæqualis, clavum ut mutaret in horas;
Ædibus ex magnis subito se conderet, unde
Mundior exiret vix libertinus honeste:
Jam mœchus Romæ, jam mallet doctus Athenis
Vivere; Vertumnis, quotquot sunt, natus iniquis.
Scurra Volanerius, postquam illi justa chiragra

batur, et omnes exæquabantur, ut sæculi aurei, quo Saturnius regnavit, esset imitatio. Decembri autem mense (a. d. XIV Calend. Jan.) celebrantur, et immutatio fit conditionis; nam et liberi ex servis et servi ex liberis fiunt. » — *narra*, loquere.

6. *Constanter*, eadem semper pertinacia. — *Propositum*, rem semel propositam, licet inhonestam. — *natat*, huc illuc agitatur, fluctuat, mutabilis est. Cic. de Nat. D. III, 14: « In quo tu mihi magis natare visus es. » — *Obnoxius*, omnino inserviens. Ed.

8. *Notatus*, visus, deprehensus. — *modo læva*, etc. Junge: *Priscus* (*sæpe*) modo (*notatus*) observatus et conspectus *cum tribus annellis, modo* (*læva inani*) ita, ut vacua plane et inanis esset læva manus annulis, pro vulgari: Priscus modo tres annulos, modo nullum læva manu gerere solitus, etc. De vario apud Romanos annulorum usu vid. Kirchmann. de Annul. et quæ huc spectant, cap. 15, seqq. — *Vixit inæqualis*, etc. Fuit homo tam varii ingenii, ut in horas modo tunica laticlavia, modo angusticlavia prodiret, modo ex magnis ædibus (*se conderet*) se reciperet et abderet parvis et humilioribus ædibus, unde vix libertinus paulo cultior decenter exiret. — *inæqualis*, inconstans; supr. Sat. I, 3, 9.

13. *Doctus Athenis*; Athenæ quasi sapientiæ sedes, Romæ opponuntur. Alii, *doctor*. Ed. — *Vertumnis. Vertumnus*, antiquissimus Tuscorum deus, in omnes formas, ut Proteus apud Græcos, se *vertens*, unde Tibull. IV, 2, 14: « Mille habet ornatus, mille decenter habet. » Sed cf. inprimis Elegiam in Vertumnum Propertii, IV, 2. Pro vulgari igitur: *diis iratis*, accommodate ad naturam *Vertumni* dixit *iniquis Vertumnis*, quasi nato Prisco ex ira Vertumni data sit mutabilitas. — *quotquot sunt*, licet Vertumnus unus fuerit, ut in omnes formas se indesinenter verteret, plures fuisse dicuntur. Ed.

15. *Justa*, quam Volanerius culpa sua sibi contraxerat, ut *pœna justa*.

Digitized by Google

Contudit articulos, qui pro se tolleret atque
Mitteret in phimum talos, mercede diurna
Conductum pavit: quanto constantior idem
In vitiis, tanto levius miser ac prior illo,
Qui jam contento, jam laxo fune, laborat.

HORATIUS.

Non dices hodie, quorsum hæc tam putida tendant, Furcifer?

DAVUS.

Ad te, inquam.

HORATIUS.

Quo pacto, pessime?

— *Contudit articulos*, labefactavit, confregit, infirmos et inutiles reddidit.— *in phimum*, fritillum (nos: *un cornet*), in quo tali vel tesseræ concutiebantur, et inde per pyrgum sive turriculam mittebantur in tabulam lusoriam. — *pavit*, aluit.

18. *Quanto constantior idem in vitiis*, etc. Hoc sane agnoscendum, hominem vitiis semper inservientem, iisque abreptum, multo minus miserum esse quam eum qui nunc virtutem colit, nunc, ea relicta, vitiis indulget. Ed.— *levius*, paulo minus.— *prior illo*, potior illo, melioris fere conditionis, quam ille. — *Qui jam cont. jam laxo fune, laborat*, qui inconstantia laborat, dum modo vires intendit, modo languori indulget, modo severus, modo levis est. Virium *contentio*, vel acre studium, cum *fune contento*, virium *remissio*, vel incuria, negligentia, levitas, *cum fune laxo* comparatur: ex ludo puerili apud Græcos et Romanos notissimo. Ed.

21 *Hodie*. Heindorfius cum aliis pro: *statim* accipit; alii autem pro: hoc die Saturnalium, quo tibi omnia libere dicere licet, vel pro: tandem hoc die, quia Davus diem perdere videbatur ambagibus, quas moræ impatiens Horatius ferre amplius nolebat; hinc ea, quæ adhuc dixit Davus, vocat *tam putida*, tam molesta et fastidiosa, scilicet ob longam rei, quam relaturus erat Davus, circuitionem.— *Furcifer*, notum dominorum in servos convicium. Terent, And. III, 5, 12: « Tibi ut ego credam, furcifer? » ubi Donatus: « Furciferi dicebantur, qui ob leve delictum cogebantur a domino ignominiæ magis quam supplicii causa circa vicinos furcam in collo ferre, subligatis ad eam manibus; » hinc v. 66: « Ibis sub furcam. »

22. *Ad te*, hæc ad te spectant. Ed. —*Quo pacto*, quomodo fit, ut me inconstantiæ incuses. Ed. — *mores antiquæ plebis*, antiqui scilicet luxuria

Digitized by Google

DAVUS.

Laudas

Fortunam, et mores antiquæ plebis; et idem,
Si quis ad illa Deus subito te agat, usque recuses:
Aut quia non sentis, quod clamas, rectius esse,
Aut quia non firmus rectum defendis, et hæres,
Nequidquam cœno cupiens evellere plantam.
Romæ rus optas; absentem rusticus Urbem
Tollis ad astra levis. Si nusquam es forte vocatus
Ad cœnam, laudas securum olus; ac, velut usquam
Vinctus eas, ita te felicem dicis, amasque,
Quod nusquam tibi sit potandum. Jusserit ad se
Mæcenas serum sub lumina prima venire
Convivam: nemon' oleum fert ocius? ecquis

ceterisque vitiis carebant. — *ad illa*, sc. quæ laudas, *te agat*, te auferat, transferat. — *Aut quia non sentis, quod*, etc. Aut quia, quod rectum esse ore clamas, non animi sensu complecteris; vana enim sunt præcepta, quæ non sentiuntur, h. e. quorum veritas non percipitur. — *non firmus*, non firmo pectore, non severo studio. — *defendis*, tueri studes, exerces. — *hæres*, sc. in vitio, quod comparatur cum cœno, e quo pedes, qui in eo hærent, non facile expediri possunt.

28. *Absentem*, a rure remotam. — *rusticus*, rus habitans. — *levis*, inconstans et varius. — *securum*, quo quis in securo otio vescitur. — *velut usquam vinctus eas*, quasi obtorto collo ad cœnam rapiaris; quasi non in arbitrio tuo positum sit, utrum tibi cœnare placeat, an minus placeat. — *ita*, si non vocatus es. — *amasque*, et, ut ais, tibi gratum est, quod, etc.

32. *Jusserit ad se Mæcenas*, etc. Nexus et sensus: Sed vide, quam parum tibi in hac quoque re constes! Quodsi enim Mæcenas te apud se cœnare jusserit, alta statim voce servos convocas, res necessarias afferri jubes, et celeri pede ad cœnam properas. Id quum vident scurræ, nunc a te discedere jussi, te, licet vitium decoris verbis tegas, ut hominem, nequitia sibi haud cedentem, rident carpuntque. — *serum convivam*, qui sero, h. e. vespertino tempore venit; *ut vespertinus hospes*. Sat. II, 4, 17: « Sub lumina prima, » ut infr. Epist. II, 2, 98: « ad prima tempora, » de primis tenebris, ubi lumina in domibus accendi solent.

34. *Oleum*, unguentum ex oleo odorato confectum, quo delibuti cœnabant; alii intelligunt oleum lucernæ, quæ tempore noctis euntibus viam illustret, infundendum. —

Digitized by Google

Audit? cum magno blateras clamore, fugisque.
Mulvius, et scurræ, tibi non referenda precati,
Discedunt. Etenim fateor me, dixerit ille,
Duci ventre levem; nasum nidore supinor:
Imbecillus, iners, si quid vis, adde, popino.
Tu, quum sis, quod ego, et fortassis nequior, ultro
Insectere, velut melior? verbisque decoris
Obvolvas vitium? Quid, si me stultior ipso

ecquis, quis servorum. — *blateras. Blaterare* de iis, qui incondita verba *jaciunt,* modo hoc, modo illud fieri jubent, ut solent heri festinanter e domo abituri. — *fugisque,* domo te proripis. Alii legunt *furisque,* quod esset hominis præ festinatione huc illuc discurrentis et tumultuantis.

36. *Mulvius, et scurræ,* Mulvius et præter eum alii scurræ. — *tibi non referenda precati,* scurræ, quia, discedente ad Mæcenatem Horatio, ipsi, nunc cœna apud eum delusi, discedere debebant, de hac re indignantes conviciis persequebantur Horatium, non quidem palam et coram ipso, sed clam et inter se; et hinc *non referenda* (non audienda Horatio) *precati* (imprecati) dicantur.

37. Alii volunt hic Mulvium loquentem a Davo induci, dicentemque illa *non referenda* quibus Horatium insectabatur. Non video autem quorsum Mulvium inducat hic Davus, et hunc locum sic intelligam: aliquis dixerit, et hoc esse verum fateor, me esse hominem gulosum, inertem, etc. sed tu, Horati, qui tanquam melior me tractas insolentius, idem, quod ego, sed sub specie honestiore, facis, et fortasse me es nequior. Ed. — *me Duci ventre levem,* me esse hominem levem, qui ventre se duci patitur, et lautis ferculis capitur. — *nasum nidore supinor,* Græce pro: nasus nidore (nidorem h. e. suavem ciborum odorem captando) supinatur, sursum trahitur. — *si quid vis, adde,* potes quoque addere, pro vulgari: præterea; commode de hac loquendi formula laudant Cic. ad Attic. VII, 2: «Tironem Patris ægrum reliqui, adolescentem, ut nosti, et adde, si quid vis, probum: nihil vidi melius.» — *popino,* quem venter in popinas ducit. Helluo, ganeo sum.

40. *Ultro,* insuper, vid. Drakenb. ad Liv. XL, 12, § 4, et Græv. ad Cic. pro Quinct. 23. Sed possis quoque *ultro* explicare: sponte, pro lubitu, sine causa, ut: « ultro accusare, ultro injuriam facere, » Terent. Adelph. IV, 3, 3. — *Insectere,* quorsum, quo jure me insectaberis? — *verbisque decoris Obvolvas vitium,* et, quod tibi ipsi vitio verti possit, ingens scilicet apud Mæcenatem cœnandi desiderium, decora amicitiæ, quæ tibi cum Mæcenate intercedat, specie excuses et occultes?

42. *Quid, si me stultior,* etc. Jam Davus, in iis, quæ liberius se Horatio

Digitized by Google

Quingentis emto drachmis deprenderis? Aufer
Me vultu terrere; manum, stomachumque teneto;
Dum, quæ Crispini docuit me janitor, edo.
Te conjux aliena capit; meretricula Davum:
Peccat uter nostrûm cruce dignius? Acris ubi me
Natura incendit, sub clara nuda lucerna
Quæcumque excepit turgentis verbera caudæ,
Clunibus aut agitavit equum lasciva supinum,
Dimittit neque famosum, neque sollicitum, ne
Ditior, aut formæ melioris, meiat eodem.
Tu, quum projectis insignibus, annulo equestri,
Romanoque habitu, prodis ex judice Dama

dicere velle professus est, pergit. Sed nimiam primorum verborum acerbitatem, *Quid, si me stultior deprenderis?* non æquo animo ferre poterat Horatius. Vultum igitur torvum et minacem ostendit. Quod quum animadvertit Davus, *aufer*, inquit, *me vultu terrere; aufer*, h. e. parce, noli vel omitte me vultu tuo terrere velle. — *manum, stomachumque teneto*, manum et iram a vi mihi inferenda cohibeto. — *Crispini janitor*, ut eo major Crispino paretur gravitas, facete janitor adeo ejus præcepta cupide imbibisse et propagasse fingitur. Ceterum servus non nisi a janitore philosophi philosophiam discere potest. Ed.

46. *Te conjux aliena capit*, etc. Noli ex animo dimittere, Davum jam referre præcepta, in scholis Crispini ab ejus janitore sublecta; sed hæc præcepta callide et data opera ita proponit, quasi ad se ipsum et dominum suum Horatium spectent; Horatius enim minime adulteria inprimis fugiebat, ut ex Sat. 2, lib. I, apparet; Davus igitur ex more, qui nunc quoque valet in orationibus, appellat aliquem in singulari, dum omnes alios, qui ita, ut ait, agunt et sentiunt, intelligit. — *cruce dignius*, quis nostrum nocentior est? Ed. — *Acris ubi me natura incendit*, ad venereas libidines impellor. Ed. — *sub clara lucerna*, quum lupanaria vulgo subterranea essent, usque in iis lucebant lucernæ. Alii, *lacerna*, tam pellucida, ut mulier nuda videatur. Ed. — *equum*, insidens viro, ut equo. Ed. — *Dimittit neque famosum*, etc. Non exeo famosus, et sollicitus ne aliquem rivalem habeam. Ed. — *meiat eodem*, vox obscena, sordida, de concubitu intelligenda. Ed.

53. *Annulo equestri*, Horatius non eques fuit, nec judex, unde constat iterum, quod jam ad v. 46 notavimus, has Davi exprobrationes non re vera ad Horatium spectare, sed, sub illius nomine, ad quemvis alium. Nonnulli

Digitized by Google

Turpis, odoratum caput obscurante lacerna,
Non es, quod simulas? Metuens induceris, atque
Altercante libidinibus tremis ossa pavore.
Quid refert, uri virgis, ferroque necari
Auctoratus eas; an turpi clausus in arca,
Quo te demisit peccati conscia herilis,
Contractum genibus tangas caput? Estne marito
Matronæ peccantis in ambo justa potestas,

tamen aiunt Augustum Horatio annulum equestrem angusticlaviamque gerendos concessisse, et ideo Horatium judicem posse dici, quia equites quoddam litium genus judicabant. Ed. — *Romanoque habitu,* togatus. — *prodis ex judice Dama Turpis,* a dignitate judicis descendis ad servilem humilitatem; facis, quod abjectioris conditionis servus facere solet; pro: *servus* posuit servile nomen, *Dama.* — *odoratum,* unguentis bene olentibus delibutum; capita enim sive crines hominum elegantiorum unguentis nitere et odores spargere solebant. — *obscurante,* obtegente, occultante *lacerna,* crassioris pallii genere, quo tempore frigido vel pluvioso se involvere solebant servi; vid. Ferrar. *de Re Vest.* P. II, L. I, c. 1, 6 seqq. Ruben. I, 6. — *Non es, quod simulas?* nonne tum revera es id, quod simulas? servus scilicet, ἀνδράποδον.

56. Jam fuse demonstraturus est Davus hominem qui iis vitiis indulget a servo minime differre. — *induceris,* in domum matronæ. — *Altercante libidinibus,* pugnante cum libidinibus; *pavor,* retinet, deterret; *libido,* impellit, incitat. — *Quid refert,* etc. Sensus: Quid tandem est discriminis, utrum incedas vel sis *auctoratus,* (homo, certo pretio, *auctoramento,* domino alicui vel lanistæ in servitutem, vel ad gladium addictus,) ut pro domini vel lanistæ arbitrio virgis uraris et ferro neceris, an adulter, ut in adulterio deprehensus rem omnem, vitam et famam, cum corpore perdas? — *Auctoratus.* Schol. Acr. « qui se vendunt ludo (gladiatorio), auctorati vocantur; auctoratio enim dicitur venditio gladiatorum. » — *uri virgis,* ut infr. Epist. I, 16, 47: « loris uri; » de formula, qua, qui se auctorabant, emebantur, laudant Petron. c. 117: « In verba Eumolpi sacramentum juravimus, *uri, vinciri, verberari, ferroque necari,* et tanquam legitimi gladiatores domino corpora animasque religiosissime addicimus. »

59. *Turpi clausus in arca,* turpiter clausus in arca ne a marito videaris. Ed. — *conscia peccati herilis,* ancilla, ut supr. Sat. I, 2, 130. — *Contractum genibus tangas caput?* genibus contingas caput contractum et deflexum; caput enim eorum, qui in arca aliqua absconduntur, ad genua deflecti et detorqueri debet.

61. *Estne,* nonne est. — *in ambo,* in adulterum et in adulteram. — *justa*

Digitized by Google

In corruptorem vel justior? Illa tamen se
Non habitu, mutatve loco, peccatve superne,
Quum te formidet mulier, neque credat amanti.
Ibis sub furcam prudens; dominoque furenti
Committes rem omnem, et vitam, et cum corpore famam.
Evasti? credo, metues, doctusque cavebis.
Quæres quando iterum paveas, iterumque perire
Possis, o toties servus! quæ bellua ruptis,
Quum semel effugit, reddit se prava catenis?
Non sum mœchus, ais. Neque ego, hercule, fur, ubi vasa

potestas, non tantum apud Athenienses, sed etiam antiquiore tempore apud Romanos maritis deprehensos adulteros occidere licebat; vid. Gell. X, 23. Sed in *lege Julia de adulteriis* pœnæ, quam mariti ab adulteris sumerent, modus præscriptus est. Ponitur post *justior* signum interrogationis, ut verba: *In corruptorem vel justior* cum præcedentibus cohæreant sic: *Nonne peccantis matronæ marito in ambo justa, justior vel* (adeo) *in corruptorem* (adulterum) *potestas est?— Illa tamen*, etc. licet enim matrona quoque peccet, *illa tamen se non mutat habitu*, non, sicut tu, caput lacerna obvolvit, *mutatve loco*, neque e domo sua in tuam se confert, *peccatve superne* neque eo modo peccat, quo mares peccant; neque hoc facit quod meretricula facere dicitur versu 50 supr. Ed.—*Quum te formidet*, etc. quum te timore fugiat, nec sine cura tibi amanti se tradat.

66. *Ibis sub furc. prudens*, dum matronas sectaris (*prudens*), sciens volensque servi, servilibus pœnis (*furcæ*, cf. ad V, 22) obnoxii, personam indues. — *dominoque furenti*, apposite ad servilem conditionem, quam subit libidinosus, matronæ maritus nunc *dominus* vocatur. — *cum corpore*, supr. Sat. I, 2, 43: « Dedit hic pro *corpore* nummos; » ibid. 45.

68. *Evasti?* an forte tibi contigit periculum evadere?— *credo, metues*, etc. Metues igitur, puto, in posterum, quod effugisti, periculum, et prudentior factus evitabis! — *Quæres, quando*, etc. Non ita, immo opportunum tempus (*quando*), quo iterum contremiscas, et iterum te miserum reddere possis, quæres! — *o toties servus!* toties servus quoties libidine te abripi pateris. Ed.— *quæ bellua*, etc. Explicant: quæ bellua est tam (*prava*) stolida, ut, quum semel effugit, ruptis catenis se reddat? Sed vix *pravus* in hac significatione apud bonos scriptores occurrit; equidem malim jungere: *quæ prava* (fera, sæva, ob pravitatem et feritatem vincta) *bellua... se reddit ruptis catenis*.

72. *Non sum mœchus, ais.* Davus alium in singulari alloquitur, per quem designat omnes, qui non vir-

Digitized by Google

Prætereo sapiens argentea. Tolle periclum :
Jam vaga prosiliet frenis natura remotis.
Tune mihi dominus, rerum imperiis hominumque
Tot tantisque minor? quem ter vindicta quaterque
Imposita haud umquam misera formidine privet?
Adde supra dictis, quod non levius valeat : nam,
Sive vicarius est, qui servo paret (uti mos
Vester ait) seu conservus : tibi quid sum ego? nempe
Tu, mihi qui imperitas, aliis servis miser; atque
Duceris, ut nervis alienis mobile lignum.

tute, sed pœnæ vel periculi metu a flagitiis absterrentur. Egregia sane, quam Crispinus docuisse fingitur, sententia! — *Prætereo*, non subripio. — *sapiens*, ex pœnæ metu. — *Jam vaga prosiliet frenis*, etc. Jam et ego vasa subripiam, et tu in adulteria rues. Ed.

75. *Tune mihi dominus*, etc. Sensus : Tune, qui ipse (*minor*) subjectus sis tot tantisque rebus atque hominibus, quorum imperio serviliter pares, qui, licet ter quaterque manumissus sis, tamen a misera formidine h. e. servili conditione et sentiendi ratione nunquam libereris, tune, inquam, mihi dominus esse potes? — *Vindicta*. Schol. Cruq. « virga prætoris, qua percutiebantur servi, dum liberi fiebant, manumittebanturque capiti imposita : tribus namque rebus fit manumissio, Vindicta, Censu, Testamento. » — *privet*, liberet; *privari dolore, exilio, injuria, molestia* apud Ciceronem; exempla dabit Forcellinus in Lexico.

78. *Adde supra*, etc. Adde etiam iis quæ dixi, hoc quod dicturus sum, quod non levius valeat ad tuam servitutem demonstrandam. Ed. — *nam, Sive*, etc. Sensus : Nam sive *is*, qui alius servi, cui paret, vices obit, *vicarius*, ut vos domini eum appellare soletis, sive *conservus* (alterius in servitio sodalis) est, quid ego tibi sum? vel, quomodo ego appellandus sum? Scilicet tu, qui dominus mihi imperas, (*miser*) ut miseræ conditionis homo servitium præstas aliis, atque te regi pateris, uti fere mobilis ex ligno contexta figura non vi propria, sed alienis nervis sive fidiculis regitur. — *qui servo paret*, servus paret servo, qui ad ejus vices suscipiendas mercede conducitur.

82. Per *lignum mobile* intellige signum vel simulacrum ad imaginem hominis vel animalis cujusdam e ligno exsculptum et conformatum, cujus membra movebantur nervis sive funiculis. Ejusmodi figuras, νευρόσπαστα, (apud nos : *marionnettes*), lucri faciendi causa circumferebant et conspicienda expediebant homines, qui apud Græcos dicuntur νευροσπάσται. Vide ad h. l. Heindorf. qui in hanc

Digitized by Google

Quisnam igitur liber? Sapiens, sibi qui imperiosus;
Quem neque pauperies, neque mors, neque vincula terrent;
Responsare cupidinibus, contemnere honores
Fortis; et in se ipso totus, teres atque rotundus,
Externi ne quid valeat per læve morari,
In quem manca ruit semper Fortuna. Potesne,
Ex his ut proprium quid noscere? Quinque talenta
Poscit te mulier, vexat, foribusque repulsum

rem attulit locum ex Apul. de Mundo p. 70, ed. Elmenhorst: « Illi, qui in ligneolis hominum figuris gestus movent, quando filum membri, quod agitari solet, traxerint, torquebitur cervix, nutabit caput, oculi vibrabunt, manus ad ministerium præsto erunt, nec invenuste totus (sc. qui repræsentatur) videbitur vivere. » Vid. imprimis Ruhnk. ad Timæi Lex. Plat. p. 140 et 141, sub voce θαύματα.

85. *Sibi qui imperiosus*, qui in se ipsum imperium exercet, se ipsum temperat et moderatur, se ipsum in manu sua habet.—*Responsare cupidinibus... Fortis*, ex noto græcismo: fortis in responsando. *Responsare* non est, ut explicat Gesnerus: detrectare imperium; sed *responsare* vel *respondere cupidinibus* dicuntur ii, qui cupidinibus coercendis pares sunt; sic infr. in hac Satira v. 103: « virtus... cœnis responsat opimis, » opimis cœnis contemnendis par est; Epist. I, 1, 68: « Fortunæ superbæ responsare; » Epist. II, 2, 48: « arma Cæsaris Augusti non responsura (non paria futura) lacertis. »

86. *In se ipso totus*, unice defixus in se ipso explorando, omnia ad internum animi cultum referens; Cicero Paradox: II. « Nemo potest non beatissimus esse, qui totus aptus est ex sese, qui in se uno sua ponit omnia. » —*teres atque rotundus*, causa, cur is, qui *totus est* in interno animi cultu, æquiparari possit *tereti* et *rotundo* globo vel sphæræ, statim subjicitur, *ne quid externi* (externæ sordis vel labis, pravitatis) *valeat per leve* (per teres et rotundum corpus levigatum) *morari*, sedem invenire, residere, adhærere; Horatium male imitatus est Ausonius Idyll. XVI.—*In quem manca ruit semp. Fortuna*, in qualem semper fortuna *manca* (imbecillis, impotens, irrito conatu) impetum facit.

89. *Potesne, Ex his ut proprium quid noscere?* potesne ex his, quæ dicta sunt de sapientis virtutibus, animadvertere aliquid, quod tibi proprium sit, vel quod in te cadat?—*Quinque talenta Poscit te*, etc. Hoc venit ad hunc Ciceronis locum Parad. V: « an ille mihi liber cui mulier impērat? cui leges imponit, præscribit, jubet, vetat quod videtur? qui nihil imperanti negare, nihil recusare audet? poscit? dandum est. Vocat? veniendum. Ejicit? abeundum. Minatur? exstimescendum. » Ed. —*vexat*, contumeliose te tractat; *pro-*

Digitized by Google

Perfundit gelida; rursus vocat: eripe turpi
Colla jugo. Liber, liber sum, dic age. Non quis:
Urget enim dominus mentem non lenis, et acres
Subjectat lasso stimulos, versatque negantem.
Vel quum Pausiaca torpes, insane, tabella,
Quî peccas minus atque ego, quum Fulvî Rutubæque,
Aut Placideiani contento poplite miror
Prælia, rubrica picta aut carbone; velut si
Re vera pugnent, feriant, vitentque moventes

bris et maledictis vexare aliquem dixit Cic. p. Flacc. c. 20. — *gelida*, sc. aqua.

92. *Non quis*, non potes ut servus, qui paret domino, h. e. animo, qui libidine se regi et corripi patitur. — *Dominus*, amor improbus. — *lasso*, languere in amore incipienti. — *versatque negantem*, et repugnantem commovet, incitat. Hæc metaphora videtur ab equis sumpta, qui reluctantes calcaribus et frenis domantur. Ed.

95. *Vel*, ut aliud exemplum de hominum insania afferam; de hoc usu particulæ *vel* vid. Ernest. in Clav. Cic. s. v. *vel*. — *quum Pausiaca*, etc. Sensus: Quomodo tu, insane, quum in contemplatione tabellæ Pausiacæ stupore torpes, minus peccas, quam ego, quum nobilium gladiatorum statum vel gradum, et prælia, rubrica aut carbone picta, miror. — *Pausiaca tabella*, de nobilissimo pictore *Pausia*, Sicyonio, vid. Pausan. Corinth. 27, p. 173; Plin. H. N. XXXV, 11. Interpretes commode cum Horatio comparant Cic. Parad. V, 2: « Echionis tabula te stupidum detinet, aut signum aliquod Polycleti. Omitto, unde sustuleris, et quo modo habeas. Intuentem te, admirantem, clamores tollentem quum video, *servum* te esse ineptiarum omnium judico. » — *torpes*, stupidus detineris, ut Cicero in l. c. loquitur. — *Fulvius, Rutuba* et *Placideianus*, gladiatorum tum insignium nomina. — *contento poplite*, exprimitur status vel gradus, quo gladiatores invicem se petunt; dum gladiator altero pede firmiter insistit, alterius pedis ples contenditur. — *Prælia picta*. Plin. XXXV, 33: « Pingi autem gladiatoria munera, atque in publico exponi cœpta a C. Terentio Lucano. Is avo suo.... triginta paria in foro per triduum dedit, tabulamque pictam in nemore Dianæ posuit. » — *rubrica aut carbone;* levi igitur opera et negligenter; cum his tabulis, quæ ad indicendos ludos gladiatorios publicari solebant, comparari quodammodo nostra ætate possunt illæ, quas externorum animalium monstratores ad indicenda sua spectacula, cum suorum animalium effigie satis inepte vel crassa Minerva adumbrata in plateis affixas ponunt. Ed.

Digitized by Google

Arma viri? Nequam, et cessator Davus; at ipse
Subtilis veterum judex et callidus audis.
Nil ego, si ducor libo fumante; tibi ingens
Virtus, atque animus cœnis responsat opimis?
Obsequium ventris mihi perniciosius est: cur?
Tergo plector enim; qui tu impunitior illa,
Quæ parvo sumi nequeunt, obsonia captas?
Nempe inamarescunt epulæ sine fine petitæ,
Illusique pedes vitiosum ferre recusant
Corpus. An hic peccat, sub noctem qui puer uvam
Furtiva mutat strigili? qui prædia vendit,
Nil servile, gulæ parens, habet? Adde, quod idem

100. *Nequam, et cessator*, etc. Si talibus mirandis tempus impendo, vocor ego homo nequam et *cessator* (qui ultra tempus cessat, nec justo tempore redit); at tu subtilis et bene peritus (*callidus*) veterum judex celebraris; in eodem sensu *callidus* supr. Sat. II, 3, 23.

102. *Nil ego, si*, etc. Si ego libum fumans appeto, nullius pretii homo dicor; tune pro ingente tua virtute et animo par es contemnendis cœnis opimis? tune cœnis opimis abstines? De voce *responsare* cf. ad v. 85.

104. *Obsequium ventris*, etc. Sensus: Quod ego ventri satisfacturus fumanti libo cupide manus injicio, mihi perniciosius est: cur? quia tergo pœnas luo; quomodo tu epulas illas, quæ parvo pretio parari non possunt, captas *impunitior?* Sed ne tu quidem impune inde abis! Epulæ scilicet sine fine petitæ *inamarescunt* (quia, ut Horat. supr. Sat. II, 2, 43, loquitur, « mala copia ægrum stomachum sollicitat, » vel quia, ut ibidem v. 75, « dulcia se in bilem vertunt, stomachoque tumultum » movent.)—*pedesque illusi*, quibus una cum corpore crebræ epulæ fraudi sunt *vitiosum corpus* (supr. Sat. II, 2, 78, « corpus onustum hesternis vitiis. »)—*ferre recusant*, h. e. officio suo fungi nolunt. — *obsonia* (ὀψώνια), præcipue de magni pretii piscibus; cf. supr. Sat. II, 2, 41, deinde de quibusvis epulis aliis. — *Illusique pedes*, non male *Landinus:* « qui, quum stare se posse credunt, vacillant. »

109. *An hic peccat*, etc. An hic (*puer*) servus, qui sub noctis tenebras (ne deprehendatur) oblata furtiva strigili uvam accipit, peccat? ille vero, qui, (*gulæ parens*) ut luxuriose vivat, prædia vendit, non pravæ sibi cupiditati tanquam servus subjectus est? — *puer uvam mutat strigili.* Mutare vel permutare aliquid aliqua re, pro: cum aliqua re, sæpius; jam de mutandis mercibus; *mercem merce mutare* est, tam vendere, quam emere; supr. Sat. I, 4, 29; « Hic mutat merces. »—Stri-

Digitized by Google

Non horam tecum esse potes; non otia recte
Ponere: teque ipsum vitas fugitivus, et erro,
Jam vino quærens, jam somno fallere curam:
Frustra: nam comes atra premit, sequiturque fugacem.

HORATIUS.

Unde mihi lapidem?

DAVUS.

Quorsum est opus?

HORATIUS.

Unde sagittas?

DAVUS.

Aut insanit homo, aut versus facit.

HORATIUS.

Ocius hinc te
Ni rapis, accedes opera agro nona Sabino.

gilis, στλεγγίς. Schol. Cruq. « Instrumentum est æneum, quo sudorem solent in balneis homines detergere deradereque. » Vid. Boettiger *Archæol. der Malerei*, p. 219.

112. *Tecum esse*, ad te redire, et qualis sis, tecum reputare, tibi vivere — *non otia recte Ponere*, utilibus occupationibus et honestis impendere. — *teque ipsum vitas*, te ipsum explorare, in te ipsum descendere refugis; supr. Od. II, 16, 20: « Quis exsul Se quoque fugit. » — *Fugitivus, et erro. Fugitivum* et *erronem* ita distinguunt, ut ille sit, qui nunquam rediturus aufugit; hic, qui circumvagatur, tempus in vanis rebus terit, nec justo tempore redit, ita quidem, ut *fugitivus* sit, qui apud milites *desertor*, *erro* vero *emansor*. — Sed Horatius exprimere tantum voluit hoc: qui te ipsum fugis, et in hac fuga et errore tuo nunc huc, nunc illuc ageris. Hinc admodum arridet lectio, quam ex auctoritate Codd. quorumdam in textum recepit Fea: « teque ipsum vitas fugitivus et erras; » nam *vitas fugitivus* dictum est pro simplice *fugis*. — Cruquius ex Codd. protulit: *fugitivus, ut erro*. — *nam comes atra premit, sequiturque fugacem*, supr. Od. III, 1, 40: « Post equitem sedet atra cura. »

116. *Unde mihi lapidem*, tanquam iratus non addit verbum: petam, sumam, rapiam. — *Quorsum est opus*, cur lapidem poscis? Ed. — *Aut versus facit*, quasi genus esset insaniæ non minus certum ac periculosum quolibet alio. Éd. — *Opera*, operarius, opus servile faciens; illi servi rustici erant deterioris et durioris conditionis quam urbani, et catenis constricti tenebantur in ergastulis, id est, locis ubi arabant, egerebant humum, etc. Ed. — *nona*, ergo familia Horatii constiterat adhuc ex octo servis.

Digitized by Google

Analysis. Hoc in carmine Horatius eas exprobrationes, quas aliis referre volebat, sibi ipsi a Davo servo dictas simulat; quod genus Satiræ minus invidiæ, non autem minorem vim habet. Totius carminis illud est argumentum, ut nemo liber sit, nisi qui cupiditatibus non paret. Quod ut demonstret Davus, incipit ab hominum levitate, et inconstantia, alia sentientium, alia autem agentium; inde ad Horatium transit, qui vitia ceterorum carpit, iisdem ipse vitiis laborans. Quæ quidem Horatii vitia, decoris licet verbis dissimulata, ab ipsius Davi vitiis minime distant; ipse etiam Davus sæpissime domino liberior est. Horatius enim servus est, quoties alienam conjugem sectatur, semper metuens ne a marito deprehendatur; sæpius rem, famam vitamque committens marito furenti. Ille solummodo liber est, qui sibi ipsi imperat, nihil reformidat et libidines suas coercet. Qui autem aut tabularum studio, aut gula, aut inconstantia et sui tædio laborat, is sane non minus quam servi servus est. Ed.

SATIRA VIII.

Nasidieni cœnam ridiculam describit Horatius.

HORATIUS.

Ut Nasidieni juvit te cœna beati?
Nam mihi quærenti convivam dictus here illic
De medio potare die.

1. *Ut Nasidieni,* in pluribus edit. ut metro consuleretur, *te* post *Ut* exhibitum est; sed in nomine *Nasidienus i* post *d* ut consonans, vel ut *j* pronuntiandum est, ut Nasidieni jam non quinque, sed quatuor syllabarum vox sit, ad exemplum ariete, abietibus, arjete, abjetibus, etc. Vid. Bentl. Quis ridiculus iste homo, *Nasidienus Rufus* (ut v. 58 dicitur) fuerit, vel quis alius sub ejus nomine lateat, malo cum ignorantibus ignorare, quam vanæ divinationi indulgere. — *Ut,* quomodo, *te* sc. Fundani, qui versu 19, demum nominatur. — *beati,* divitis.

2. *Nam mihi quærenti,* etc. Nam mihi te heri ad cœnam vocanti tu apud Nasidienum de medio die potare dictus es. — *heri,* antiquius pro: *heri.* — *de medio die,* a medio statim die, ut *de nocte surgere* pro: statim a media nocte; apud Cic. pro Muren. 33, ejusmodi convivia, quæ de die incipiebant, et in multam noctem producebantur, vocantur *tempestiva;* cf. Ernest. in Clav. Cic. sub vocibus *de* et *tempesti-*

Digitized by Google

FUNDANIUS.

Sic, ut mihi nunquam
In vita fuerit melius.

HORATIUS.

Da, si grave non est,
Quæ prima iratum ventrem placaverit esca.

FUNDANIUS.

In primis Lucanus aper; leni fuit Austro
Captus, ut aiebat cœnæ pater; acria circum
Rapula, lactucæ, radices, qualia lassum
Pervellunt stomachum, siser, halec, fæcula Coa.
His ubi sublatis puer alte cinctus acernam

vus. An post *die* excidit fortasse *es?* Nam finalis litera *e* et initialis *s* facile vocem *es* absorbere poterant. — *Sic,* sc. me juvit, mihi voluptatem attulit maximam cœna Nasidieni.

4. *Da,* narra, notum est illud Virgilii Eclog. I, 19: « Sed tamen iste deus qui sit, *da,* Tityre, nobis. » Terent. Heaut. Prol. 10, *paucis dabo.* Lectionem *da* confirmant optimæ notæ Codd. apud Feam; altera lectio *dic* glossam sapit. — *si grave non est,* urbanitatis ad excusandam interrogationem formula. Ed. — *placaverit,* accommodate ad *iratum* pro: esurientem, vel (ut supr. Sat. II, 2, 17) « latrantem; » hinc supr. Sat. I, 3, 8. Horatius, non habens, quod edat, se « ventri bellum indicere » ait.

6. *Lucanus aper,* quia apri in Lucania ob glandis pastum in quercetis sunt admodum opimi; hinc Sat. II, 3, 234: « In nive *Lucana* dormis ocreatus, ut *aprum* Cœnem ego. » In eadem laude est *aper Umber* supr. Sat. II, 4, 40. — *leni fuit,* etc. En *patrem cœnæ* (convivatorem, herum, parochum) escarum, quæ apponuntur, præstantiam superbo vultu commendantem; ridicula certe est ejusmodi commendatio ex ore hominis vani profecta. — *leni Austro captus,* quia caro aprorum, qui Austro nimis fervente capiuntur, brevi fit rancida putetque; *leni Austro* contra caro fit mollior: sic fœtorem apri celat. Ed.

7. *Circum,* sc. posita; in mensa aliquid « catillis circumponere, » supr. Sat. II, 4, 78. — *acria,* quæ, ut mox sequitur, *lassum,* languentem, cibos fastidire incipientem, *stomachum pervellunt,* pungunt, vellicant, acuunt. — *Rapula* (nos: *des petites raves*), cf. supr. Sat. II, 2, 43. — *lactucæ* (*des laitues*), supr. Sat. II, 4, 59. — *radices,* raphani (*des radis*). — *siser* (sium sisarum Linn. nos: *du céleri*). Plin. XX, 17: « Siser... stomachum excitat, fastidium abstergit. » — *halec, fæcula Coa,* cf. Sat. II, 4, 73.

10. *His ubi sublatis,* sc. e mensa, ut novis ferculis locus esset. Ed. —

Digitized by Google

Gausape purpureo mensam pertersit, et alter
Sublegit, quodcunque jaceret inutile, quodque
Posset cœnantes offendere; ut Attica virgo
Cum sacris Cereris, procedit fuscus Hydaspes,
Cæcuba vina ferens; Alcon, Chium maris expers.
Hic herus : « Albanum, Mæcenas, sive Falernum

puer alte cinctus, scilicet ut ipsi servi externo habitu ministerii sui in convivio tam splendido gravitatem ostenderent.—*acernam*. Schol. Cruq. « Et hoc notat Nasidieni sordidiem, quod pro divitiis non habuerit mensam citream, aut vermiculatam. » — *Gausape purpureo. Gausape, is* et *es*, *gausapa, æ*, et *gausapum, i*, linteum ab altera parte villosum; apud ditiores ex lana molliore et colore splendido; quo in hoc loco servus ad mensam pertergendam utitur. Vid. Boettiger. Sabin. tom. II, p. 102. — *Sublegit*, servus, qui *sublegit*, (Schol. Cruq. ἀναλέξατο) « quodcunque jaceret inutile, quodque Posset cœnantes offendere » (intellige ciborum adesorum reliquias, frustula, micas, ossa, etc.), dicebatur *analectes*, vel *analecta*.

13. *Ut Attica virgo Cum sacris Cereris*, sacerdos Cereris. Schol. Cruq. « Illas vult, quas Tullius in Verrinis (IV, 3) canephoras ait (vocat), quæ sacra Cereris sublatis supra caput manibus in sportulis (canistris) portare solebant. Ridet nimiam pompam in tenui apparatu; » de *canephoris* vid. Spanhem. ad Callim. H. in Cerer. 127. Ad derideudam famuli in simili re pompam Bolæus, in Sat. de eodem argum. « ...marchant à pas comptés, Comme un recteur suivi des quatre facultés. » Ed.—*fuscus*, fusci ex India coloris.—*Chium maris expers*, cui nihil aquæ marinæ admixtum est. Schol. Acr. « id est, sine aqua marina. In Græcia enim solet vino aqua marina admisceri, ut non facile corrumpatur. » Alii autem intelligunt hoc vinum, quod Nasidienus ut Chium apponebat, nunquam e Græcia fuisse mari advectum, sed in Italia natum; quod rediret ad hæc Bolæi dicta in Satira sup. jam cit. « Un auvernat fumeux, qui, mêlé de Lignage, Se vendait chez Crenet pour vin de l'Ermitage. » Ed.

16. *Hic herus*, tum ita loqui Nasidienus cœpit.—*Te magis appositis delectat*, si vinum Falernum, vel Albanum te magis delectat, quam Chium et Cæcubum, quæ modo jussi apponi. — *Divitias miseras*, de his verbis explicandis magna est disputatio. Plerique hoc ab Horatio dici volunt quasi vini Albani et Falerni possessionem *divitias miseras appellet*, quia Nasidienus dominus est indignus, qui eas possideat. Malim autem intelligere hæc a Nasidieno dici, ad parochi falso modesti ingenium, eas res quas cum ostentatione offert, ironice et consulto attenuantis. Hic sensus plurimum salis habere mihi videtur. Alii volunt hæc ab ipso Fundanio exclamari : sed absurda est hæc opinio. Ed.

Digitized by Google

Te magis appositis delectat: habemus utrumque;
Divitias miseras!

HORATIUS.

Sed quîs cœnantibus una,
Fundani, pulchre fuerit tibi, nosse laboro.

FUNDANIUS.

Summus ego, et prope me Viscus Thurinus, et infra,

18. *Sed quîs cœnantibus una*, etc. sed vehementer cupio scire quibuscum cœnaveris, Fundani. — *Una*, tecum. — *pulchre tibi fuerit*, tam pulchrum appositum fuerit tibi convivium. Ed. — *Summus ego*. Jam Fundanius describit ordinem, quo quisque mensæ accubuerit. Tres lecti, ut satis constat, ad mensam collocabantur, unde locus, ubi cœnabatur, nomen accepit *triclinium*; in unoquoque lecto tres, ad summum quatuor discumbebant; unus lectus *summus*, secundus *medius*, tertius *imus* vocabatur; unam mensæ latus cibis per servos subministrandis vacuum relinquebatur. Totus hic locus Horatii facilius, puto, perspicietur, si hanc fere mensæ et in lectis accumbentium ordinis ob oculos tibi posueris figuram:



In *medio lecto primum* et ceteris omnibus in tota mensa honoratiorem locum occupabat *Mæcenas*, *secundum* et *tertium* adducti a Mæcenate Umbræ *Servilius Balatro* et *Vibidius*, scurræ, ut se gerunt in convivio; in *summo lecto* (*Summus ego*, h. e. primus in summo lecto) *primum* locum *Fundanius*, *secundum Viscus Thurinus*, *tertium Varius*; in *imo lecto primum* locum (nam medius locus in unoquoque lecto erat primus) cœnæ pater

Digitized by Google

Si memini, Varius; cum Servilio Balatrone
Vibidius, quos Mæcenas adduxerat umbras.
Nomentanus erat super ipsum, Porcius infra,
Ridiculus totas simul absorbere placentas.
Nomentanus ad hoc, qui, si quid forte lateret,
Indice monstraret digito: nam cetera turba,
Nos, inquam, cœnamus aves, conchylia, pisces,
Longe dissimilem noto celantia succum,
Ut vel continuo patuit, quum passeris assi et
Ingustata mihi porrexerat ilia rhombi.

Nasidienus (super *ipsum*, *αὐτόν*, dominum), secundum *Nomentanus*, tertium *Porcius*, Nasidieni parasiti. Ceterum de *triclinii* accurate et erudite egit Wüstemannus in *Pallast des Scaurus*, p. 229 sqq. — *umbræ*, umbræ in convivio vocabantur illi, qui non suo nomine privatim erant invitati, sed amicum aut virum nobilem comitabantur, ut umbra corpus assectatur. Ed. — *Ridiculus totas*, qui ridiculus fuit eo, quod totas placentas uno haustu deglutiebat. Ille *Nasidieni* parasitus idem esse videtur de quo Catullus, Epig. 47: « Porci et Socration, duæ sinistræ Pisonis, scabies famesque Memmi. » Hoc in Nasidieni convivio Porcius agebat, quod apud Bolæum ille, qui « faisait, en bien mangeant, l'éloge des morceaux. » Ed.

25. *Nomentanus ad hoc* etc. Hunc locum paulo obscuriorem ita interpretor: Nomentanus ad id negotii aderat, ad hoc a Nasidieno fuerat appositus, *qui*, ut, si quid forte lateret convivæ, vel si quid ciborum convivæ non animadverterent, indice digito monstraret; nam cetera turba, nos, inquam, cœnamus aves, conchylia, pisces, succum, ut docebat Nomentanus, noto longe dissimilem celantia; ut vel continuo patuit, etc. — Sed fortasse tam oratio, quam sententia aptius cohæret, si verba: *nam cetera turba, nos, inquam, cœnamus* parentheseos signo distinxeris, ut sensus sit: Nomentanus agebat id, ut, si quid epularum convivæ non observarent, (nos ceteri enim omnes, dum Nomentanus nomenclatoris partes sustinet, cœnamus) indice digito monstraret, exempli causa, aves, conchylia, pisces, tanquam continentia succum longe a vulgari succo differentem, ut vel continuo apparuit, quum passeris atque rhombi ilia nondum mihi gustata porrexerat. — *indice digito*. Schol. Porph. « hoc ideo, quia certis nominibus digiti nominantur. Et sunt hæc nomina: pollex, index, famosus (*medius*), medicus (*medicinalis*, Macrob. Sat. VII, 13; vel *annularis* apud Gell. X, 10), minimus. » — *Longe dissimilem noto celantia succum*, saporem habentia longe meliorem, quam hactenus noveramus. Ed. — *Ut vel conti-*

Digitized by Google

Post hoc me docuit, melimela rubere minorem
Ad lunam delecta. Quid hoc intersit, ab ipso
Audieris melius. Tum Vibidius Balatroni:
« Nos, nisi damnose bibimus, moriemur inulti; »
Et calices poscit majores. Vertere pallor
Tum parochi faciem, nil sic metuentis, ut acres
Potores, vel quod maledicunt liberius, vel
Fervida quod subtile exsurdant vina palatum.
Invertunt Allifanis vinaria tota
Vibidius Balatroque, secutis omnibus; imi

nuo patuit, ut mox certior factus sum. Ed. — *passeris*, piscis parum a rhombo discrepantis, (nos: *carrelet*). — *Ingustata*, qualia nunquam antea gustaveram. Alii intelligunt: quæ nemo nostrum attigerat, quia saporem hujus ferculi ignorabamus. Ed.

31. *Melimela* (μελίμηλα), propter saporis dulcedinem; nos: *des pommes de paradis*. — *minorem Ad lunam*, ad decrescentem lunam. — *Quid hoc intersit*, utrum melimela decrescente, an crescente luna sint lecta.

34. *Damnose*, facete pro: fortiter, immodice; *in damnum* scilicet et ultionem Nasidieni, stolida vanitate, ineptis gulæ præceptis, et ridicula jactantia convivas occidentis. — *moriemur inulti*, quod Æneas apud Virg. Æn. II, 670, fortissimi animi sensu dicit, « Nunquam omnes hodie moriemur inulti » lepide Horatius ad rem jocosam transfert. — *inulti*, ulcisci enim volebant aut propter pessimum ciborum, quos ironice laudat Fundanius, saporem, aut propter nimias de convivio laudes quibus eos occidebat Nomentanus. Ed. — *majores*, capaciores.

35. *Vertere pallor*, ex timidi hominis natura. — *parochi*, convivatoris, præbitoris, a παρέχω, præbeo. Vid. Sat. lib. 1, 5, 46. Ed. — *acres potores*, acri cupiditate potantes, largius vino se ingurgitantes; hinc supr. Sat. II, 6, 69. « acria pocula. » — *subtile exsurdant palatum*, subtilioris palati sensum obtusum et hebetem reddunt; vanus enim iste homo Nasidienus de appositis epulis exquisitioribus, subtili palato dijudicandis, laudari cupiebat.

39. *Invertunt Allif.* etc. Vibidius et Balatro totos vini cados invertunt ad implendos calices capaciores Allifanos, pro vulgari: totos vini cados exsiccant. — *Allifanis*. Schol. Cruq. « calicibus et poculis majoribus. Est autem Allifanum dictum ab Allife, oppido Samnii, ubi majores calices fiebant. » — *Invertere* est pro *exsiccare*; nam amphoræ, ut vacuæ erant, invertebantur, id est, ore ad terram verso statuebantur. Ed. — *secutis omnibus imis*; vulgarem hanc lectionem, sic explicant: eos imitati sunt convivæ in imo lecto accumbentes,

Digitized by Google

Convivæ lecti nihilum nocuere lagenis.
Adfertur squillas inter muræna natantes
In patina porrecta. Sub hoc herus: « Hæc gravida, inquit,
Capta est, deterior post partum carne futura.
His mistum jus est; oleo, quod prima Venafri
Pressit cella; garo de succis piscis Iberi;
Vino quinquenni, verum citra mare nato,
Dum coquitur; (cocto Chium sic convenit, ut non
Hoc magis ullum aliud) pipere albo, non sine aceto,
Quod Methymnæam vitio mutaverit uvam.

Nomentanus et Porcius. Convivæ autem *lecti*, honoratiores, Mæcenas, Viscus, Varius nihilum lagenis nocuere, a vino abstinuere. Alii autem, *omnes* non recte de duobus tantum dici posse aiebant, ita merito emendantes : *secutis omnibus; imi Convivæ lecti*, etc. Cujus lectionis sensus est : omnes Vibidium et Balatronem imitati sunt, exceptis convivis imo lecto accumbentibus; sc. Porcio et Nomentano, qui non nocuere lagenis, ut abstinentia sua parco cœnæ patri placerent. Ed.

42. *Muræna :* nos : *une lamproie.* — *squillas* (*des squilles*) ; cf. supr. Sat. II, 4, 58. — *natantes*, in liquamine muræna addito. — *porrecta*, ad designandam ejus longitudinem. — *sub hoc*, jam allata muræna. — *deterior carne*, quæ, quod attinet ad ejus carnem, pro : cujus caro, si illa, antequam caperetur, peperisset, futura fuisset deterior, pro vulgari : cujus caro ante partum melius sapit.

45. *His mist. jus est :* pergit loqui herus : liquamen muræna commixtum est rebus his : primum oleo præstantiore Venafrano, *quod prima Venafri Pressit cella*, quod primum, h. e. præstantius Venafri expressum est, in *cella*, h. e. in loco, ubi oleum exprimitur; vel, quod Venafri expressum est in *cella prima*, in loco ubi optimum oleum exprimitur; supr. Sat. II, 4, 69, de vulgari oleo Venafrano : « Pressa Venafranæ quod bacca remisit olivæ. » — Deinde *jus mistum* est *garo de succis piscis Iberi*, scombri prope Hispaniam capti; de *garo*, liquoris exquisiti genere, quod ex piscium intestinis sale maceratis miscebatur, Plinius, H. N. XXXI, 43 : « Garum olim conficiebatur ex pisce, quem Græci garon vocabant. .... Nunc e scombro pisce laudatissimum in Carthaginis Spartariæ (Hispanicæ) cetariis. » — *citra mare nato*, Italo; cf. supr. ad Sat, I, 10, 31. — *Quod Methymn. vitio mutaverit*, (vitiaverit, corruperit) *uvam*, quod ex vino Methymnæo corruptione mutatum sit in acetum; sic *vinum mutatum* supr. Sat. II, 2, 58. *Methymna*, oppidum in insula Lesbo, melioris notæ vino nobili; per *uvam Methymnæam* igitur intellige vinum Lesbium.

Digitized by Google

Erucas virides, inulas ego primus amaras
Monstravi incoquere; illotos Curtillus echinos,
Ut melius muria, quam testa marina remittit. »
Interea suspensa graves aulæa ruinas
In patinam fecere, trahentia pulveris atri,
Quantum non Aquilo Campanis excitat agris.
Nos majus veriti, postquam nihil esse pericli
Sensimus, erigimur. Rufus, posito capite, ut si
Filius immaturus obisset, flere. Quis esset
Finis, ni sapiens sic Nomentanus amicum
Tolleret: « Heu, Fortuna, quis est crudelior in nos
Te deus? Ut semper gaudes illudere rebus
Humanis! » Varius mappa compescere risum

81. *Erucas*, apud nos : *de la roquette*. — *inulas*, nos : de *l'aunée*; cf. supr. ad Sat. II, 2 44. — *ego primus monstravi*, Nasidienus se jactat, ut supra rei culinariæ magister, Sat. II, 4, 74 : « ego fæcem primus et allec, Primus et invenior piper album, » etc. — *incoquere*, in jure illo coquere. — *illotos*, non ablutos, non salsugine sua purgatos, *echinos*, vid. ad Sat. II, 4, 33. — *Curtillus*, helluo. — *Ut melius*, ut id, quod sit melius muria (*de la saumure*); cf. supr. Sat. II, 4, 65. — *testa marina* intellige pisces testaceos, ostreas, etc.

84. *Interea*, dum sic Nasidienus laudandis cibis indulget. Ed. — *suspensa aulæa*, vela quæ supra mensam erant suspensa : *un dais, un baldaquin*. cf. Supr. ad Od. III, 29, 5. Ed. — *graves ruinas*, etc. nota trium versuum in re ridicula solemnitatem. Ed. — *pulveris atri*, supple : tantum; ut Sat. II, 3, 87 : « Frumenti quantum metit Africa. » — *majus*, majorem ruinam, v. g. totius lacunaris et domus. — *erigimur*, animum recipimus.

88. *Rufus*, cognomen Nasidieni. — *posito*, demisso, inclinato, ex more lugentium. — *ut si Filius*, nota stultum hujus hominis dolorem. — *immaturus*, præmatura morte. — *quis esset* pro : fuisset, et *tolleret* pro : sustulisset, ut supra Sat. I, 3, 5–7 : « Cæsar qui cogere posset (potuisset), Si peteret (petiisset) per amicitiam patris atque suam, non Quidquam proficeret, » (profecturus fuisset). — *sapiens Nomentanus*, volunt alii sapientiam Nomentani jam positam fuisse in calliditate et simulatione, qua de subita aulæorum ruina, quasi ad se ipsum, ut herum, pertinente, Fortunæ crudelitatem incusat. Nobis autem videtur Nomentanus sapiens hic lepide dici, quia philosophica ac gravissima de hac re verba facit. Ed.

Digitized by Google

Vix poterat. Balatro suspendens omnia naso:
« Hæc est conditio vivendi, aiebat; eoque
Responsura tuo nunquam est par fama labori.
Tene, ut ego accipiar laute, torquerier omni
Sollicitudine districtum? ne panis adustus,
Ne male conditum jus apponatur? ut omnes
Præcincti recte pueri comtique ministrent?
Adde hos præterea casus, aulæa ruant si,
Ut modo; si patinam pede lapsus frangat agaso.
Sed convivatoris, uti ducis, ingenium res
Adversæ nudare solent, celare secundæ. »
Nasidienus ad hæc: « Tibi dî, quæcumque preceris,
Commoda dent: ita vir bonus es convivaque comis; »

Ut semper gaudes illudere rebus, nota hæc omnia emphatice de re tenui dicta. Ed. — *mappa* (nos : *serviette*).

64. *Suspendens omnia naso*, omnia ridicula reddere studens, cf. supr. ad Sat. I, 6, 5. — *Hæc est conditio vivendi*, hæc sunt mala, quibus hominum vita est exposita! hæ sunt miseriæ, quæ premunt homines! Scilicet verborum Nomentani gravitatem sequitur et ipse philosophice ac emphatice Nasidieno præbet solamina. Ed. — *eoque*, ideoque. — *tuo... labori*, tuis, Nasidiene, studiis, curis et molestiis, quibus de aliis, uti jam de nobis, quos splendido convivio accepisti, bene mereris.

68. *Tene... torquerier*, num est æquum, etc. Cf. de hac constructione supr. ad Sat. I, 9, 72. — *Præcincti*, supr. v, 10 : « puer alte cinctus. » Vid. Boettigeri Sabin. tom. II, p. 25.

71. *Adde hos præt. casus*, adde porro (*hos*) ejusmodi casus, qui te sollicitudine torqueant, si, ut modo factum est, aulæa ruant. — *agaso*, qui jumenta curat et agit, nos : *un palefrenier;* et quoniam agasones aliis rebus cum dexteritate quadam agendis minus apti esse solent, *agaso*, convicii quodam genere de homine plumbeo vel stupido jam positus videtur. — *nudare*, detegere, aperire; sane res adversa, h. e. fracta per aulæa delapsa patina aperuit Nasidieni convivatoris animum, dum ob hunc casum in tristissimas effundebatur lacrimas. Nota hic etiam gravem illam de re ridicula sententiam.

75. *Tibi Dî*, etc. Nasidienus solationum Balatroni gratias agit. — *Et soleas poscit*, et surgit de mensa, eo, ut videtur, consilio, ut tam aulæa in locum suum restituenda, quam ceteras epulas a servis ex ordine afferendas curaret; hinc paulo post redeuntem ad cœnam herum servi secuti esse dicuntur. — *Soleas*, calceamenti genus,

Digitized by Google

Et soleas poscit. Tum in lecto quoque videres
Stridere secreta divisos aure susurros.

HORATIUS.

Nullos his mallem ludos spectasse; sed illa
Redde, age, quæ deinceps risisti.

FUNDANIUS.

Vibidius dum
Quærit de pueris, num sit quoque fracta lagena,
Quod sibi poscenti non dentur pocula; dumque
Ridetur fictis rerum, Balatrone secundo;
Nasidiene, redis mutatæ frontis, ut arte
Emendaturus fortunam; deinde secuti

quo plantæ tantum pedum tegebantur, tam feminæ, quam viri, præcipue domi et in conviviis gestare; mensæ autem accubituri, ne strata lecti commacularent, deponere; et eas servis custodiendas tradere solebant; vid. Martial. LXII, 98. « Hinc soleas poscere » pro : a cœna surgere, dictum est.

77. *Videres*, videre licebat, cf. supr. ad Sat. I, 8, 50. — *Stridere secreta divisos aure susurros*, versus ornatissimus pro : alterum in alterius aurem secreto aliquid insusurrare. — *auris* eleganter dicitur *secreta*, in qua res quædam secreta vel clandestina deponitur; *susurri* autem dicuntur *divisi*, qui modo huic, modo alii auri, sive diversis auribus committuntur; similitudinem quamdam habet locutio supr. Od. I, 36, 6. « oscula dividere, » modo huic, modo alii osculum dare, et « aures dividere » apud Catull. LXII, 15 : « Nos alio mentes, alio divisimus aures. »

79. *Nullos hic mallem ludos spectasse*, hoc est Horatii dicentis : « Nihil magis cuperem quam his ludis adfuisse, ridendum hoc spectaculum vidisse; » alii tamen volunt hæc etiam a Fundanio dici. Ed. — *num sit quoque fracta lagena*, etc. Quasi servis suis Nomentanus, quod famulis Harpago apud Molerium, præcepisset, ne crebrius vinum afferrent, at donec sæpius posceretur, exspectarent. Ed.

83. *Ridetur fictis rerum*, pro : rebus fictis; dum convivæ de inepto convivatore sinceros risus tollunt, alias causas, ex quibus rideant, fingunt, sc. fabulas, jocos. — *Balatrone secundo*, adspirante, adjuvante. — *Nasidiene;* nota conversam ad Nasidienum orationem, ut in epico stylo sæpe fit. Ed. — *redis mutatæ frontis*, redis cum fronte mutata. Ed. — *arte Emendaturus fortunam*, sic apud Terentium, a Gesnero laudatum, Adelph. IV, 7, 23 : « arte corrigere, quod cecidit forte, » sc. male.

85. *Deinde secuti*, etc. En novus

Digitized by Google

Mazonomo pueri magno discerpta ferentes
Membra gruis, sparsi sale multo non sine farre;
Pinguibus et ficis pastum jecur anseris albæ;
Et leporum avulsos, ut multo suavius, armos,
Quam si cum lumbis quis edit; tum pectore adusto
Vidimus et merulas poni et sine clune palumbes:
Suaves res, si non causas narraret earum et
Naturas dominus! quem nos sic fugimus ulti,
Ut nihil omnino gustaremus, velut illis
Canidia afflasset pejor serpentibus Afris.

ciborum apparatus ad expellendum e convivarum memoria aulæi casum. Ed. — *Mazonomo*, lance grandiore, in qua non tantum μάζα, sed etiam aliæ escæ testæ elixæve, ut in hoc loco, afferebantur. — *non sine farre*, per *far* equidem non farinam, sed minutas panis ex farre cocti particulas intellexerim.

88. *Ficis pastum*, ἧπαρ συκωτόν, quum jam olim anseris jecur ad lautissimas epulas referretur, olim quoque anseres, ut nunc, varii generis cibis, quibus eorum jecora tam grandiora, quam pinguiora redderentur, pasci solebant. Vid. Niclas. ad Geopon. XIV, 22, p. 1023.

89. *Leporum... armos*, cf. supr. ad Sat. II, 4, 44. — *merulas*, gall. *des merles*. Ed. — *sine clune palumbes*, palumbes sine ea parte, quæ lautior est. Ed. — *si non causas*, etc. nihil enim ejusmodi vano convivatore, ciborum originem, pretium et naturam indentidem explicante, molestius atque intolerabilius.

94. *Illis*, appositis cibis. *Canidia*, satis nota ex Sat. I, 8. et Epod. V. et XVII. — *afflasset*, sc. venenum; — *pejor*, venenatior.

Analysis. In hac Satira Horatius lepide ac facete describit convivium Nasidieni cujusdam, divitis, sed inepti et insulsi convivatoris. Nescimus an illa ficti convivii descriptione, sub Nasidieni nomine, quoddam hominum genus ridere voluerit posta, qui nimios cœnarum luxus affectantes, identidem aliquod ingenium gulæ et quamdam epulandi scientiam ostentare volunt, et ignorantia se ridendos præbent. Nobis autem difficile admittendum videtur, commentitio huic convivio Mæcenatem ab Horatio immixtum fuisse; potiusque arbitrabimur revera Mæcenatem apud Nasidienum, aut quemvis alium sub hoc nomine, cœnasse, et hinc magnum tædium percepisse. Horatius

Digitized by Google

vero, ut illud tædium, Mæcenati a convivatore illatum, ulciscereturr, hunc Nasidienum Romanis deridendum propinavisse. — Nullam explicationem de sententiarum in hac Satira nexu dabimus, quum ipse satis per se lucide ac nitide evolvantur.

Ad Horatii imitationem Bolæus ridiculum quoddam convivium in tertia Satira descripsit; et ante illum *Regnier*, Sat. X, cujus veterem stylum longe superavit, sed non exstinxit; uterque vate latino inferior. Liceat hic aliquot Bolæana de Dacerio in memoriam lectoris revocare.

Despréaux et Racine n'ont jamais fait beaucoup de cas de M. Dacier, qui a trouvé le secret de morfondre Horace, le plus vif des auteurs. Dacier fuit les Graces, et les Graces le fuient pareillement. Dans toutes les remarques où il prétend donner des explications nouvelles, des *révélations*, il s'écarte toujours du véritable sens; témoin la Satire 8 du livre II, où il prend le change sur le véritable caractère de Nasidiénus, qu'il veut faire passer pour un riche avare; au lieu que c'était un homme d'un goût faux, qui se croyait pourtant un docteur en bonne chère, et voulait dogmatiser et raffiner sur les bons morceaux (*inter gulæ proceres magister*). Despréaux lui comparait le comte du Broussin, qui en fait de repas se vantait d'avoir acquis la plénitude de la science (*scitus epularum æstimator, summus artifex*); et de faire tous les jours de nouvelles découvertes dans le pays de la bonne chère, jusqu'à vouloir faire trouver aux mets ordinaires un goût tout autre que leur goût naturel: *longe dissimilem noto celantia succum*, v. 28. Ed.

Digitized by Google

QUINTI
HORATII FLACCI
EPISTOLARUM
LIBER PRIMUS.

EPISTOLA I.

AD MÆCENATEM.

Horatius a lusibus, quibus adhuc indulserat, ad seria transit, dum ad veræ sapientiæ præcepta se vitam in posterum dirigere velle profitetur.

PRIMA dicte mihi, summa dicende Camœna,
Spectatum satis, et donatum jam rude, quæris,

1. *Prima dicte mihi*, etc. Sensus: Tu, Mæcenas, quem ego in primo cujusque generis (Odarum, Epodon et Satirarum) carmine ante omnes alios ut patronum meum, celebravi, et qui mihi in extremo, quod scripturus sum, carmine celebrandus es, (sive: Tu, Mæcenas, cui, quæ scripsi, dedicavi carmina, et, quæ porro scripturus sum, dedicabo) ad ludum, in quo jam satis vires meas periclitatus sum, h. e. ad carmina, quibus jam satis me exercui, de integro scribenda me impellis. — *Camœna*, ut sæpius Musa, pro carmine; *prima*, non primum tantum carmen Odarum, sed etiam Epodon et Satirarum respexisse videtur; in his tribus enim carminibus poeta pariter Mæcenatem, ut summum suum patronum, appellavit. — *summa*, extrema, ut *summum carmen* supr. Od. III, 28, 13. — *spectatum satis*, Horatius se comparat cum gladiatore, qui, postquam in ludo gladiatorio jam satis spectante et favente populo artem suam probaverat, *rude*, sive baculo, libertatis signo, donatus, non amplius pugnæ periculum subire tenebatur. Horatius igitur, non *rude* quidem, sed *lauro* donatus, se ut militem in castris Musarum emeritum vel exauctoratum declarat. — *spectatum*, gladiator *spectatur*, quum in conspectu populi pu-

Digitized by Google

Mæcenas, iterum antiquo me includere ludo.
Non eadem est ætas, non mens. Vejanius, armis
Herculis ad postem fixis, latet abditus agro,
Ne populum extrema toties exoret arena.
Est mihi, purgatam crebro qui personet aurem:
« Solve senescentem mature sanus equum, ne

gnat; poeta *spectatur*, quum ars et ingenium in ejus carminibus cognoscitur. — *rude*, rudis erat virga, seu bacillum ligneum impolitum : iis gladiatoribus dabatur, qui vacationem et quasi missionem obtinebant ab arte gladiatoria, post annos certos in ea consumptos; sic ut ad certandum in arena cogi non possent. Ed. — *quæris iterum antiquo me includere ludo*, locutione gladiatori, cui Horatius se æquiparat, accommodata pro : cupis me repellere ad poeseos, cui olim operam dedi, exercitium, revocas me ad scribenda carmina; — *antiquo ludo*, ad pristinam artem me revocas. Ludus erat locus in quo gladiatores se exercebant, et arma tractare docebantur; nos : *une salle d'armes :* vel in quo pugnabant, ut hic: *l'aréne, l'amphithéâtre*. Ed.

4. *Mens*, sentiendi ratio; aliter enim in juvenili, aliter in virili, aliter in senili ætate sentimus. — Cetesum hic locus, Horatium tum, quum hanc Epistolam primam scriberet, jam ætate provectum fuisse, aperte docet, licet annus, quo illa scripta sit, certo constitui nequeat.—*Vejanius, armis*, etc. Jam nominatim inducit gladiatorem Vejanium, qui, postquam arte gladiatoria se nobilitaverat, ut per reliquam vitam securus esset ab omni rei gladiatoriæ periculo, agro abditus latuerit. Ille igitur arma sua in foribus templi Herculis, in cujus præsidio erant gladiatores, fixisse dicitur, uti milites post peractam militiam arma sua, tanquam ἀναθήματα Marti consecrare solebant. — *Ne populum extrema*, etc. Ne, si arma jam senior et effœtus capiat, supplex a populo vitam deprecetur in extrema arenæ parte, in quam retrocedere coactus sit, ab æmulo suo victus et jam enecandus. Populus enim victum gladiatorem a victore interfici, vel non interfici quodam digitorum signo jubebat. Ed.

7. *Est mihi*, etc. Nexus et sensus : Ut ego faciam quod fecit Vejanius, non deest mihi monitor, scilicet animus meus, aurem meam crebro his implens vocibus : Tibi senescenti exemplo sit senescens equus, qui, nisi mature cum curru et laboribus solveris, turpiter se dabit, et spiritus trahendi difficultate laborabit. — *est mihi, qui*, ἔστιν ὅς — *purgatam*, sc. sorde, et proinde melius et clarius audientem, elegantius pro : meam. — *aurem personare* jam est : aurem sonis, vocibus clarisonis, implere; sic apud Virgil. Æn. VI, 417, Cerberus « regna latratu personare » dicitur. — *solve*, a curru sejunge. — *senescentem;* Lambinus comparat Enn. Fragm. apud Cic. de Senect. c. 6 : « Sicut fortis equus, spatio qui forte supremo Vicit Olym-

Digitized by Google

Peccet ad extremum ridendus, et ilia ducat. »
Nunc itaque et versus et cetera ludicra pono :
Quid verum atque decens curo et rogo, et omnis in hoc sum :
Condo et compono, quæ mox depromere possim.
Ac ne forte roges, quo me duce, quo lare tuter ;
Nullius addictus jurare in verba magistri,
Quo me cumque rapit tempestas, deferor hospes :
Nunc agilis fio, et mersor civilibus undis,

pia, nunc senio confectu' quiescit. » — *sanus*, prudentior. — *ilia ducat*, anhelet frequenter, et lumbos trahat, macie et senio confectus.

10. *Nunc itaque*, nunc igitur, dum monitori, animo meo, pareo. — *vers. et cet. lud. p.* scribendis versibus et ceteris lusibus, quibus juveniliter indulsi, abstineo ; *versus* ad carmina lyrica, et *ludicra* ad Satiras equidem cum interpretibus referre nolim. — *omnis*, totus, toto animo (πᾶς καὶ ὅλος). — *Condo et compono*, recondo animo præcepta philosophiæ, et recondita (*compono*) in ordinem redigo. — *quæ mox depromere possim*, quibus mox utar ad vitam recte instituendam, ad meos mores componendos. Nota expressiones metaphoricas ; fructus enim proprie condi dicuntur, quum extremo autumno colliguntur et servantur ; depromi autem, quum in mensa apponendi et manducandi sunt. Ed.

13. *Quo me duce, quo lare tuter*, quem ducem in philosophia sequar, cujus sectæ auctoritate me tuear ; *lar* jam est secta, ut *familia ;* Cic. de Divin. II, 1 : « familia Peripateticorum, » et *domus* ; supr. Od. I, 29, 14 : « domus Socratica. » — *Nullius addictus jurare in verba magistri*, scito, me ita addictum (deditum) esse philosophiæ, ut in nullius magistri verba jurem : h. e. nullius philosophi auctoritate me decipi et in errorem induci patiar ; sed ea tantum, quæ mihi vera esse videntur, amplectar : —*addictus... jurare*, græca (qua sæpius Horatius præcipue in carminibus lyricis usus est) constructio, pro : addictus, ut jurem. — *Quo me cumque rapit tempestas*, etc. Eleganter Horatius imagine a navigatione translata exprimit hoc : ad quemcumque philosophum me rapit impetus, apud eum sum hospes, et hospes maneo ; non ejus scholæ vel sectæ me addico, sed ea tantum, quæ mihi probantur, deligo. Voluit igitur Horatius philosophum agere, quem dicunt eclecticum.

16. *Nunc agilis fio*, sensus : Nunc, Stoicæ disciplinæ præcepta sequens, gnavam operam do *(agilis fio)* rebus gerendis civilibus, et earum mole obruor, dum veram virtutem severa cura custodire et defendere studeo ; nunc furtim ad Aristippi. voluptate summum bonum metientis, disciplinam retro feror, et res mihi, non me rebus subjicio, h. e. et facio,

Digitized by Google

Virtutis veræ custos rigidusque satelles :
Nunc in Aristippi furtim præcepta relabor,
Et mihi res, non me rebus subjungere conor.
Ut nox longa, quibus mentitur amica; diesque
Longa videtur opus debentibus; ut piger annus
Pupillis, quos dura premit custodia matrum :
Sic mihi tarda fluunt ingrataque tempora, quæ spem

quod lubet, non quod facere jubeor.— *Nunc* agilis fio, diligens scilicet rerum gerendarum et virium exercendarum studium jubebat Stoicorum sapientia; Lambinus comparat locum Ciceronis, qui de Fin. III, 20, Catonem Stoicum ita loquentem inducit : « Quum autem ad tuendos conservandosque homines hominem natum esse videamus, consentaneum est huic naturæ, ut sapiens velit gerere et administrare rempublicam. » — *et mersor civilibus undis*, et obruor rerum civilium undis; paulo sublimius *curæ*, quibus pectus quasi undat et æstuat, vocantur *undæ*; Catull. LXIV, 62 : « Et magnis curarum fluctuat undis. » Virg. Æn. IX, 19 : « magno curarum fluctuat æstu; » et sic Æsonides apud Val. Flacc. V, 303 : « undans curis » dicitur. Oppian. Hal. 505 : « νόος δὲ οἱ ἠΰτε κῦμα ἑλίσσεται. » Vid. Drakenb. ad Sil. Ital. IX, 527. Qui lectionem *versor* nostræ lectioni *mersor* præferunt, elegantiam hujus loci parum perspectam habent. Nec τὸ *versor* fert latinitas; notissima enim locutio *versari in aliqua re* nomini *undis* (quod postulat omnino *mersor*) accommodari nequit. — *Aristippi*, Aristippus, Cyrenæus, Cyrenaicæ disciplinæ auctor, qui summum bonum in voluptate ponendum esse statuebat.

20. Quum Horatius qui, celeres progressus in virtutis exercitio facere cupiebat, rem parum procedere et nimis longum tempus in ea consumendum esse intelligeret, jam comparat se cum iis, quibus præ cupiditate aliquid adipiscendi vel perficiendi interjectum tempus longissimum videtur. — *quibus mentitur amica*, iis quibus amica, se venturam esse pollicita, non promissum tenet, quod quidem ipsum fuisse expertum poetam, novimus ex l. I, Sat. 5 : « Hic ego mendacem stultissimus usque puellam Ad mediam noctem exspecto. Somnus tamen aufert Intentum Veneri. » Ed. — *diesque Longa:* pro, *longa*, Bentleius, auctore Barthio in Advers. XXXVII, 19, ideo in textum recepit *lenta*, ut variatis epithetis major conciliaretur elegantia : *longa nox, lenta dies, piger annus.* — *opus debentibus*, iis, qui pensum sive opus diurnum vel pro mercede, vel ex officio perficere debent. — *custodia matrum* : per *custodiam* intellige severam curam, qua bonæ matres filios a luxuriosa vita cohibitos ad parsimoniam adigere studebant; ejusmodi autem *matrum custodia dura* erat filiis luxuriose et licentius vivere cupientibus : non hic de novercis loquitur, ut male vult Cruquius. Ed.

Digitized by Google

Consiliumque morantur agendi gnaviter id, quod
Æque pauperibus prodest, locupletibus æque,
Æque neglectum pueris senibusque nocebit.
Restat, ut his ego me ipse regam solerque elementis:
Non possis oculo quantum contendere Lynceus,
Non tamen idcirco contemnas lippus inungi;
Nec, quia desperes invicti membra Glyconis,
Nodosa corpus nolis prohibere chiragra.

24. *Morantur*, impediunt, extrahunt. — *id, quod*, etc. studium scilicet sapientiæ. En.—*Restat, ut*, etc. Sensus : Rebus sic se habentibus, hæc quasi philosophiæ initia et vitæ præcepta me regant et animum meum confirment : « Noli aliquid assequi velle, quod pro facultatibus a natura tibi datis assequi non potes, sed ea, quæ habes, diligenter cura et tuere. » Hanc sententiam duobus exemplis illustravit : « Quis est tam demens, ut, quia oculorum acie non penetrare potest eo, quo penetrasse dicitur Lynceus, oculorum, quibus gaudet, curam negligat; vel, quia ei non contigit Glyconis (alii, Milonis) athletæ corpus robustissimum, ab eo, quo instructus est, corpore morbos avertere non studeat? »

28. *oculo contendere*, — *contendere* (συντείνειν) *aliquid* est : contentis vel intentis viribus aliquid assequi et perficere studere; « iter contendere » apud Cic. pro Rosc. Am. 34, intentis viribus iter facere; *labore aliquid contendere* apud Cic. Offic. III, 2 : « Quare, quantum conniti animo potes, quantum labore contendere (assequi) ... tantum fac, ut efficias; » itaque *oculo contendere... quantum* erit : intentis oculis assequi tantum, quantum Lynceus assecutus esse dicitur; vox *tantum* ante *quantum* non raro omittitur. — *Non tamen idcirco*, non tamen ideo, quia Lynceus te visu longe vincit, oculorum tuorum, minus acutorum, curam abjicies. De *Lynceo*, acutissima oculorum acie celebratissimo, vid. supr. ad Sat. I, 2, 90. — *inungi*, sc. collyriis. Per *lippum* non intelligo proprie ita ab oculorum morbo dictum, sed minus tantum acute cernentem; *lippus* enim jam opponitur *Lynceo*. Scilicet Horatius, ut jam supr. ad Sat. I, 1, 120, et Sat. I, 5, 30, suspicati sumus, ex nulla alia causa tam sæpe *lipporum* in Sermonibus suis mentionem fecisse videtur, quam ut adversarios, lippitudinis vitium ipsi exprobrantes, de hoc absurdo convicii genere rideret.

30. *Desperes*, sperare non possis. — *invicti Glyconis*, videtur *Glyco* fuisse nobilis athleta, ob corporis robur et vastitatem invictus. — *Nodosa*, quia in digitorum articulis intumescens humor, quosdam quasi nodos efficit, quibus eos constringit. Sic apud Ovid. ex Pont. 1, 3, 23, *podagra* dicitur *nodosa*. *Chiragra*

Digitized by Google

Est quodam prodire tenus, si non datur ultra.
Fervet avaritia miseroque cupidine pectus?
Sunt verba et voces, quibus hunc lenire dolorem
Possis, et magnam morbi deponere partem.
Laudis amore tumes? sunt certa piacula, quæ te
Ter pure lecto poterunt recreare libello.
Invidus, iracundus, iners, vinosus, amator,
Nemo adeo ferus est, ut non mitescere possit,
Si modo culturæ patientem commodet aurem.
Virtus est vitium fugere, et sapientia prima
Stultitia caruisse. Vides, quæ maxima credis
Esse mala, exiguum censum, turpemque repulsam,

est articulorum dolor in manibus, a χεὶρ et ἄγρα. Si pedes vexet, podagra dicitur, a ποῦς et ἄγρα. Ed.

32. *Est quodam prodire*, etc. licet (*Est*, ἔστι pro: ἔξεστι) ad certum usque finem progredi, si ulterius progredi non licet. — *verba et voces*, philosophiæ præcepta, quibus homines avaritiam ex animo pellere jubentur, jam vocantur *verba et voces*, respectu, ut observant Interpretes, habito *carminum* et *cantationum*, quibus morbi ex corpore abigi atque emoveri posse putabantur; vid. Lambinum, qui comparavit quoque cum Horatio Euripidem Hippol. 491: « Εἰσὶν δ' ἐπῳδαὶ, καὶ λόγοι θελκτήριοι· Φανήσονταί τε τῇδε φάρμακον νόσου. » — *morbi*, avaritiæ; *morbus*: ut νόσος, de vitiis hominum; cf. supr. Sat. II, 3, 27 et 254.

36. *Tumes?* pro vulgari: plenus es? agitaris? et sic *tumor* de quavis graviore affectione et cupiditate, qua totus animus *intumescit*; vid. Bentl. infr. ad Epist. ad Pis. v. 197. — *sunt certa piacula, quæ te*, etc. sunt certa remedia, quibus laudis cupiditatem, qua pectus tuum turget, compescere et comprimere potes, sæpius scilicet et puro animo legendo libellos philosophorum, quorum præceptis æque ac piaculis purgari atque expiari potes.

38. *Amator*, qui mulieres sectatur, homo libidinosus. Nonnulli ad hujus versus finem interrogationem ponunt, ut continuetur forma versus 33 et 37. — *ferus est*, nemo cupiditate vel vitio adeo abripitur, effertur, ut mitescere nequeat. — *culturæ*, præceptis, quibus animus excolatur. — *Virtus est vitium fugere*, jam pars aliqua virtutis est, primus ad eam quasi gradus est, fugere vitia: initium sapientiæ est stultitiam exuere. Ed. — *Stultitia*, hæc vox eumdem hic sensum dat, quem supra in Sat. 3, lib. II.

42. *Vides, quæ*, etc. Idearum nexus est cum præced. Sane non su-

Digitized by Google

Quanto devites animi capitisque labore.
Impiger extremos curris mercator ad Indos,
Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes:
Ne cures ea, quæ stulte miraris et optas,
Discere et audire et meliori credere non vis?
Quis circum pagos et circum compita pugnax,
Magna coronari contemnat Olympia, cui spes,

bito sapientes fieri possumus, nec sine magno et constanti nisu ad perfectam virtutem accedemus; sed quanto conamine, quanto labore bona multo magis contemnenda comparare pergimus, divitias scilicet. Ed. — *exiguum censum*, exiguum rei familiaris modum: « census brevis » supr. Od. II, 15, 13 : « census longus », infr. Epist. I, 7, 56. — *turpemque repulsam*, quum is, qui honores petit, repellitur. — *capitis*, vitæ; hinc apud Liv. II, 12 : « capite dimicare » pro : de vita dimicare; *labore*, discrimine, periculo; et sic apud Livium passim *labores* et *pericula* jungi solent; Lib. IV, 35 : « pericula ac labores exhaurire; » Lib. XXIX, 27 : « terra marique laboribus periculisque interesse. »

45. *Impiger extremos*, etc. de mercatoribus in pericula, lucri causa, ruentibus, vid. Od. I, 1, 16. — *per ignes*: alii, Zonam torridam; alii summa quæque pericula; ex locutione, qua jam apud Græcos is, qui summum quodque periculum subire audet, διὰ πυρὸς βαίνειν dicitur; cf. ad Od. IV, 14, 24, et ad Sat. I, 4, 38.

47. *Ne cures ea*, etc. ut contemnas ea, quæ stulte magni facis, et possidere cupis, id tu non vis, vel philosophorum libros legendo, vel philosophos docentes audiendo discere et (*meliori*) prudentiori fidem habere? — *melior*, doctior, prudentior; in Epist. seq. v. 68 : « Nunc adhibe puro Pectore verba puer, nunc te melioribus offer. »

49. *Quis circumpagos*, etc. Quis est, qui non malit coronari in ludis Olympicis, præcipue, si palmam in illis ludis (*sine pulvere*) sine pugna consequi possit, quam, athletæ circumforanei more, circum pagos et compita pugnare? Expressit autem Horatius hac adumbrata imagine sententiam hanc : Quis est, qui humilia, qualia sunt divitiarum et honorum studia, quam virtutem, quæ sine vitæ discrimine, sine curis et laboribus exerceri potest, curare malit?—*Magna coronari Olympia*, græca constructione (στεφανοῦσθαι Ὀλύμπια) pro : coronari in *magnis* (celebratissimis) *Olympiis*; in hunc loquendi modum ab Hephæstione profertur Simonidis versus hic : « Ἴσθμια, δὶς Νέμεα, δὶς Ὀλύμπια ἐστεφανώθην. » Sic « vincere Olympia » pro : vincere in Olympiis, dixit Ennius apud Cic. de Senect. 5 : « Sicut fortis equus, spatio qui sæpe supremo Vicit Olympia, nunc senio confectu' quiescit, »

Digitized by Google

Cui sit conditio dulcis sine pulvere palmæ?
Vilius argentum est auro, virtutibus aurum.
O cives, cives! quærenda pecunia primum est,
Virtus post nummos! hæc Janus summus ab imo
Perdocet: hæc recinunt juvenes dictata senesque,
Lævo suspensi loculos tabulamque lacerto.

vid. Hemsterh. ad Lucian. tom. I, p. 338. — *Cui sit conditio palmæ*, cui sit propositum dulce palmæ præmium, *sine pulvere*, (Plin. H. N. XXXV: 11: « Citra pulveris tactum, quod vocant ἀκονιτί. » Gell. V, 6: « Sine pulvere, ut dici solet, incruentaque victoria ») h. e. sine pugna, a pugnantibus enim colligebatur excitatus pulvis; hinc supr. Od. I, 1, 3: « Pulverem Olympicum colligere. » Fieri autem poterat, ut aliquis in ludis Olympicis victor coronaretur sine pulvere, sine pugna, si nemo adesset, qui cum eo certamen inire auderet. Hoc transfer ad expressam sententiam: virtutem exercenti non, ut divitiarum congerendarum cupido, pugnandum esse cum laboribus et periculis.

52. *Vilius argentum*, etc. si viliori præferendum est melius, auro et divitiis præferri debet virtus.

53. *O cives, cives!* etc. At nostra ætate morum magistri clamant et præcipiunt: o cives, cives, ante omnia quærenda est pecunia, et post quæsitam pecuniam demum virtus; hæc (*dictata*) præcepta in Jano summo et imo, ubi fœneratores sedent, publice perdocentur; eadem juvenes senesque repetunt, dum, sicut pueri in scholam euntes, tabulam et loculos secum portant. De *Jano summo et imo* vid. supr. ad Sat. II, 3, 19; in lectione *Perdocet* variant vett. librr. alii *prodocet*, alii *prædocet*. Lambin. Cruq. Bentl. Baxt. Gesn. et Fea defendunt *Prodocet* (ἐκδιδάσκει) h. e. publice, palam docet, nam particula *pro* in compositis notat fere: palam, foris, publice, aperte, ut *producere*, *proferre*, *prodire*, etc.

56. *Lævo suspensi ... lacerto*, hunc versum elegantissimum, quo supra Sat. I, 6, 74, pueros cum tabula et loculis in scholam, ubi numeros subducere discant, euntes descripsit, Homeri et aliorum poetarum exemplo, Horatius opportune nunc repetit. Non video igitur, quomodo hic versus a Cuninghamo et ab iis, qui eum secuti sunt, pro panno assuto haberi potuerit. Ut meliore nexu hic versus cum præcedente cohæreret, Marklandus (in Explicatt. aliquot vett. auct. locorum ad Euripid. Supplices, p. 255) post *senesque* copulam *et* adjiciendam esse suspicatus est, suffragantibus Wakefieldio, Eichstadio, Fea et aliis. Sed quis pueros, a divitiarum coacervandarum cupiditate adhuc alienos, fœneratorum illam in Jano cantilenam: « quærenda pecunia primum est, virtus post nummos, » una cum juvenibus et senibus repetiisse sibi persuadeant? Immo, Horatius juvenes et senes in subducendis

Digitized by Google

Si quadringentis sex, septem millia desunt,
Est animus tibi, sunt mores, et lingua fidesque,
Plebs eris. At pueri ludentes, « Rex eris, aiunt,
Si recte facies. » Hic murus aheneus esto,
Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.
Roscia, dic sodes, melior lex, an puerorum est
Nænia, quæ regnum recte facientibus offert,
Et maribus Curiis et decantata Camillis?

numeris et rationibus plane defixos, lepide per appositionem v. 56, designat ut pueros, quum in scholam se conferunt, loculos cum tabula et calculis gestantes.

57. *Si quadring.* etc. Sensus : si quadringentis millibus HS. (quam summam possidere debebat in ordinem Equestrem recipiendus) sex vel septem millia desunt, quamvis es vir bonus, honestus, disertus et probus, tamen ad ordinem plebeium relatus, non frui potes honore, quo equites fruuntur. Sic profecto non opus est, ut v. 55, 57, 58, mutato ordine cum Bentleio et aliis legantur sic : « Est animus tibi, sunt mores, est lingua fidesque, Sed quadringentis sex septem millia desunt. » — *Plebs eris;* nullam honoris sedem obtinebis, sed inter vulgaris conditionis cives tibi vita agenda erit.—*At pueri ludentes,* pueri contra, quum ludunt, non ditiori, sed ei, *qui recte facit,* qui alios arte superat, summos in ludo honores deferunt, *regem* eum appellantes. Quod ludorum puerilium genus poeta respexerit, vix certo constitui potest.

60. *Hic murus,* etc. Dum poeta de pretio non divitiis, sed recte factis statuendo loquitur, inserit gravissimam sententiam hanc : « Nullius rei male factæ sibi conscium esse, de nullo flagitio pudore suffundi, hoc firmissime pectus munire, et ab iis, quæ turpia sunt, defendere debet. »

62. *Roscia dic sodes*, etc. Sensus : dic, quæso, num lex Roscia (secundum quam Equiti, ut quingentorum HS. possessori, sedem in spectaculis honoratiorem in quatuordecim gradibus sive cuneis, orchestræ, in qua senatores sedebant, proximis, occupare licebat) præferenda sit puerorum cantilenæ : « Rex eris, si recte facies? » h. e, utrum auro an virtuti majus tribuendum sit pretium? De lege theatrali Roscii Othonis cf. supr. ad Epod. IV, 16. — *Nænia,* proprie de cantu lugubri, nunc de cantu lætiore, sive de læta, qua victori in ludo puerili palma adjudicatur, acclamatione. — *Et maribus Curiis et decantata Camillis*, qua cantilena Curius quoque et Camillus non ætate tantum puerili, sed etiam (*mares*) ætate virili usi sunt, non divitias possidentibus, sed *recte facientibus* applaudentes. — *mares* jam de generosioris animi et masculæ virtutis viris; infr. Epist. ad Pis. 402 : « mares

Digitized by Google

Isne tibi melius suadet, qui rem facias, rem,
Si possis recte; si non, quocumque modo rem,
Ut propius spectes lacrimosa poemata Pupî:
An, qui fortunæ te responsare superbæ
Liberum et erectum præsens hortatur et optat?
Quodsi me populus Romanus forte roget, cur
Non, ut porticibus, sic judiciis fruar îsdem,

animi, » fortiter et viriliter sentientes. De Curio Cic. de Senect. cap. 16: « Curio ad focum sedenti magnum auri pondus Samnites quum attulissent, repudiati ab eo sunt; non enim aurum habere præclarum sibi videri dixit, sed iis, qui haberent aurum, imperare. » De rebus a Camillo gestis vid. Liv. V, 44 seqq.

65. *Isne tibi*, etc. Sensus : Meliusne suadet tibi is, qui tibi suadet, ut opes colligas, aut bono modo, aut, si bono modo fieri non possit, quocumque demum modo, donec tantum divitiarum tibi collegeris, ut tibi Equiti in sede propiore et honoratiore spectare liceat Pupii tragœdias? An melius tibi consulit is, qui (*præsens*) gravi voce te ut hominem liberioris et erectioris indolis fortunæ superbius contra te insurgenti non cedere jubet, et ad illam sustinendam te (*optat*) aptum optat. — *rem facere*, rei familiari augendæ operam dare; vox *res* ter repetita egregie exprimit ingenium suasoris, qui, quod suadet, iterum iterumque id repetendo graviter inculcare vult. — *lacrimosa poemata Pupî*, hoc videtur ironice dictum. Ex more satiræ, Horatius Pupii tragœdias commemorat, dum simpliciter de sedibus in theatro erat locuturus. Ed. Vet. Scholiast. « Pupius, Tragœdiographus ita affectus spectantium movit, ut eos flere compelleret. Inde istum versum fecit : Flebunt amici et bene noti mortem meam : Nam populus in me vivo lacrymatus est satis. » — *fortunæ responsare sup.* ut supr. Sat. II, 7, 85 : « responsare cupidinibus, » ubi vid. not. — *præsens*, præcepta scilicet, quæ viva voce a doctore præsente dantur, gravius auditoris vel discipuli animum impellere solent.

70. *Quodsi me populus*, etc. Sensus : Quodsi forte me roget populus, cur ego, sicuti communibus ambulacris sub porticibus, non ita quoque communi cum populo sentiendi et de rebus judicandi ratione utar, cur ego non sequar, quod populus sequitur, non fugiam, quod populus fugit, respondebo quod cauta vulpes ægroto leoni (vulpem ad se in cavernam invitanti) respondisse dicitur : *Quia me vestigia terrent Omnia te adversum spectantia, nulla retrorsum.* Vulpes leonis insidias extimescit, poeta populi Romani pravitatem corruptosque mores exhorrescit. Hanc comparationem mutuatus est Horatius ex Lucilio qui, in Sat. 30, similiter ad res politicas alludens:

Digitized by Google

Nec sequar, aut fugiam, quæ diligit ipse, vel odit:
Olim quod vulpes ægroto cauta leoni
Respondit, referam: « Quia me vestigia terrent
Omnia te adversum spectantia, nulla retrorsum. »
Bellua multorum es capitum: nam quid sequar? aut quem?
Pars hominum gestit conducere publica: sunt, qui
Crustis et pomis viduas venentur avaras,
Excipiantque senes, quos in vivaria mittant:
Multis occulto crescit res fœnore. Verum
Esto, aliis alios rebus studiisque teneri;
Iidem eadem possunt horam durare probantes?

« Deducta tum voce leo, cur tu ipsa venire non vis huc?... Quid sibi vult? quare fit ut introversus et ad te Spectent atque ferant vestigia se omnia prorsus? » Ed.

76. *Bellua multorum es capit.* populum Romanum, modo hoc, modo illud vitiorum genus sectantem alloquitur, ut monstrum multorum capitum, (θηρίον πολυκέφαλον,) quale fere fuit hydra Lernæa, cui in unius ab ejus corpore desecti capitis locum duo alia, vel plura subnascebantur.

77. *Conducere publica,* intellige inprimis vectigalia, unde, qui ea conducebant, præcipue Equites, dicti sunt *publicani;* erudite et copiose omnem hanc rem tractavit Petr. Burm. de Vectig. Pop. Rom. Sed multa alia, quæ ad *publica* pertinebant, conducebantur a mancipibus et redemtoribus; hinc Juv. Sat. III, 31 seqq. « Queis facile est ædem conducere, flumina, portus, Siccandam eluviem, portandum ad busta cadaver. » Huc refer *parochos*, de quibus supr. ad Sat. I, 5, 46.

78. *Crustis,* per *crustum* intellige particulam vel frustum placentæ. — *Excipiantque senes,* et insidiose capiant senes; *excipere* (ἐκδέχεσθαι), verbum venaticum. — *vivaria* sunt loca, ubi in futurum usum *viva* animalia, quadrupedes, aves, pisces, cochleæ, etc. servabantur. Lepide igitur capti senes, ut hæredipeta post eorum mortem captatæ hæreditatis fructus capiat, *mitti* ab eo dicuntur *in vivaria*. De hac arte captandorum senum fusius tractavit jam poeta, l. II, Sat. 5. — *occulto*, quod avari occulta fraude et clandestinis artibus faciunt.

80. *Verum esto aliis alios,* etc. Verum est alios aliis studiis indulgere, nec miror quod in tanta hominum multitudine magna quoque sit voluntatum varietas, dummodo sibi quisque constet, et in suo studio perseveret. Sed num iidem eadem, etc. Ed. — *Iidem eadem...probantes*, num iidem in iisdem, quæ modo probabant, per unam horam perstare vel sibi constare possunt? — *durare ali-*

Digitized by Google

Nullus in orbe sinus Baiis prælucet amœnis,
Si dixit dives, lacus et mare sentit amorem
Festinantis heri; cui si vitiosa libido
Fecerit auspicium, cras ferramenta Teanum
Tolletis, fabri. Lectus genialis in aula est:
Nil ait esse prius, melius nil cælibe vita;
Si non est, jurat bene solis esse maritis.
Quo teneam vultus mutantem Protea nodo?

quid dicuntur, qui firmo animo, quod susceperunt, sustinent, firmo animo in re suscepta perstant; vel refer *eadem* ad *probantes*, ut sit : num vel unam horam patienter transigere possunt probantes eadem?

85. *Nullus in orbe sinus*, etc. Horatius jam exempla levitatis et mutabilis hominum animi affert; sensus : Simulac homo aliquis dives dixit : « Nullus in toto terrarum orbe sinus Baiis amœnis pulchrius exsplendescit, » statim ille amorem, quo Baiarum amœnitate captus est, declarat festinatione, qua jam (*herus*) dominus et locator in litore domum in mare procurrentem fundare et exstruere incipit; at si hoc repentinum consilium ortum sit ex sola libidine, cui inconsideranter indulgebat, tum, mutato consilio, jam postero die fabrilia instrumenta (in alium locum) Teanum (ut ibi potius domum ædificet) transportari jubebit. Huc pertinet locus supr. Od. II, 18, 19 seqq. « Tu ... struis domos, Marisque Baiis obstrepentis urges Submovere litora, Parum locuples continente ripa; » et Od. III, 1, 34 seqq. « Contracta pisces æquora *sentiunt*, Jactis in altum molibus; huc frequens Cæmenta demittit redemtor Cum famulis, *dominusque* terræ Fastidiosus. » — *Baiis prælucet amœnis*, amœnitate anteponendus est Baiis. — *amorem*, injectam subito cupiditatem exstruendi amœnis Baiis ædificium; *amor* simpliciter non raro eam, de qua sermo est, cupiditatem designat, sic supr. Epod. II, 37 : « Quis non malarum, quas *amor* curas habet, Hæc inter obliviscitur. » Cf. Epist. seq. 37. — *Fecerit auspicium*, novam rem suaserit; aliam agendi rationem dederit; auspicia enim erant Deorum voluntates, quibusdam signis denuntiatæ, et ex quibus agebant homines. Dives autem ille non nisi vitiosas libidines et inconstantiam consulebat. Ed. — *Teanum*, Sidicinum, oppidum Campaniæ, non confundendum cum Teano, oppido Apuliæ.

87. *Lectus genialis in aula est*, si lectus conjugalis collocatus est in atrio; pro vulgari : si quis est maritus. Festus : *Lectus genialis, qui nuptiis sternitur in honorem Genii, unde appellatur.* — *Si non est*, si lectus genialis non in aula est positus, si ei non est uxor.

90. *Quo teneam*, etc. Quo vinculo divitem, formas, quas induit, Protei

Digitized by Google

Quid pauper? ride: mutat cœnacula, lectos,
Balnea, tonsores; conducto navigio æque
Nauseat ac locuples, quem ducit priva triremis.
Si curtatus inæquali tonsore capillos

instar mutantem, constrictum teneam? h. e. quomodo compescam mutabilem divitis animum? supr. Sat. II, 3, 71, Malus debitor sub variis formis, h. e. callidis artibus creditorem eludens, *Proteus* vocatur, ubi vid. notata; cf. quoque de fabula Protei Virg. Georg. IV, 387, seqq. et quæ ibi disputat Heynius. Apud Virgil. v. 369, Cyrene filium suum Aristæum alloquitur sic: « Hic tibi, nate, prius vinclis capiendus » (sc. Proteus) et v. 405: « Verum, ubi correptum manibus vinclisque *tenebis;* » hanc igitur fabulam de Cyrene et Aristæo, ut jam observavit Gesnerus, respexisse videtur Horatius.

94. *Quid pauper? ride*, etc. Quomodo autem se gerit pauper? ride mecum; pauper enim ridiculo modo æque inconstans est, ac dives; *mutat* enim *cœnacula*, etc. *cœnaculum* (ὑπερῶον), superior ædium pars ubi habitabant cœnabantque inquilini, sive pauperes; Liv. XXXIX, 14: « Cœnaculum super ædes est datum. » Cicero, Agr. II, 35: « Roma cœnaculis suspensa atque sublata; » pauperes igitur, æque mutabiles ac divites, *mutant cœnacula*, modo hoc, modo illud conducunt. Vid. Varr. de L. L. IV, pag. 65, — *lectos*, quibus discumbitur. — *Balnea*, intellige publica, quibus utebantur pauperes; nam divites in suis quisque domibus exstructa habebant balnea. — *tonsores*, quum plures in foro paterent tonstrinæ tonderi cupientibus, aliam cum alia illi pro lubitu mutare poterant. — *conducto navigio æque Nauseat ac locuples*, pauper æque ac locuples, rerum, quibus utitur, oppletur fastidio; quemadmodum enim divitem triremis, quam sibi ipsi paratam possidet, ita pauperem navigii, quod sibi conduxit tantum, capere solet satietas. *Nauseat*, hinc supr. Od. III, 1, 37: « dominusque terræ *Fastidiosus;* » et Od. III, 29, 9: « *Fastidiosam* desere copiam. » — *priva* de rebus, quarum propria est alicui possessio; Vid. Lamb.

94. Sententia, quam poeta in sequentibus amplificavit, est hæc: Si quid apud me animadvertis, quod externæ vivendi rationi repugnet, rides; at, si ego homo sum varius et inconstans, dum me ad solemnes hominum errores agere putas, non rides. — Horatius jam, ut passim alias, ad se refert, quod non proprie ad ipsum, sed ad unumquemque, qui ita, ut scribit, in publicum prodeat, vel inconstantiæ, qualem describit, culpam sibi contrahat, referendum est. Pro vulgari lectione *curtatus* v. 94, ad auctoritatem plurimorum Codd. apud Feam nonnulli legunt *curatus*, et vers. seq. *Occurro*, pro: *Occurri;* — *Si curtatus inæquali tonsore*, si capillos habens curtatos a tonsore inæquali, imperito, tibi occurro, etc. — *inæqualis* est tonsor, qui inæqualiter et per sulcos capillos tondet.

Digitized by Google

Occurri, rides: si forte subucula pexæ
Trita subest tunicæ, vel si toga dissidet impar,
Rides. Quid? mea quum pugnat sententia secum,
Quod petiit, spernit; repetit, quod nuper omisit;
Æstuat, et vitæ disconvenit ordine toto,
Diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis;
Insanire putas solemnia me, neque rides,
Nec medici credis, nec curatoris egere
A prætore dati, rerum tutela mearum
Quum sis, et prave sectum stomacheris ob unguem
De te pendentis, te respicientis amici?
Ad summam, sapiens uno minor est Jove, dives,

— *subucula*, vestis interior, quæ geritur subter tunica; — *Trita*, detrita, nihil amplius lanæ habens, opponitur tunicæ *pexæ*, lana comta adhuc obtectæ, adhuc villosæ. — *vel si toga dissidet impar*, altera parte togæ demissa, altera sursum tracta.

97. *Mea quum pugnat sententia secum*, etc. Quum mihimet ipsi, modo hoc, modo illud appetenti, repugno, quum sperno, quod petii, repeto, quod modo omisi, quum animi impetu et fervore huc illuc agitor, quum totum vitæ ordinem disturbo, etc. — *insanire solemnia*, ad solemnem hominum morem insanire. *Insanire aliquid*, ut supr. Sat. II, 3, 63: « insanire errorem. » — *curatoris a prætore dati*, mente captis, nisi eorum curam gererent agnati et gentiles, rei familiaris curator a prætore dari solebat; cf. supr. ad Sat. II, 9, 218. — *prave*, male, inepte, negligenter. — *prave sectum ob unguem*, ob rem levissimam, quæ recedit ab externa elegantia; in versu 94, Mæcenas ob capillos inæqualiter resectos *ridere*, nunc ob male sectum unguem *stomachari* dicitur. — *De te pendentis, te respic. amici?* Amici a nutu tuo plane pendentis, te in oculis gestantis, vel gratiam tuam sequentis; sic certe *respicere* apud Jul. Cæs. B. C. I, 1: « Sin Cæsarem respiciant atque ejus gratiam sequantur. » Heinsius legebat *suspicientis*, pro *respicientis*, quia minores a majoribus respiciuntur, et majores suspiciuntur a minoribus. Horatius cliens est *minor*; Mæcenas patronus est *major*. Bentleius Heinsium frustra probavit: errat uterque. Ed.

106. *Ad summam*, ut rem in pauca conferam; similiter supr. Sat. I, 3, 137: « Ne longum faciam. » Jam videtur poeta subjicere fere voluisse hoc: « Solus is, qui ad sapientiæ præcepta vitam componit, felix et beatus est, » pro eo posuit verba, quibus philosophiæ suæ præconia decantare solebant Stoici: *sapiens uno minor est*

Digitized by Google

Liber, honoratus, pulcher, rex denique regum,
Præcipue sanus, nisi quum pituita molesta est.

Jove, h. e. sapiens uni Jovi dignitate cedit: de locutione *minor est aliquis aliquo* exempla dedit Lamb.—*dives*, quia nullis rebus indiget. — *Liber*, sui juris, nullis servit cupiditatibus. *honoratus*, honores veri, incontaminati, e virtute oriuntur; Hor. Od. III, Od. IV, 9. —*pulcher*, animi lineamenta, inquit Cato, sunt pulchriora quam corporis. Ed.

107. *Rex regum*, cf. supr. Sat. I, 3, 125 et 136.—*Præcipue sanus, nisi quum*, etc. Stoici docebant etiam corporis morbos, sapienti omnino esse contemnendos, nec in malis numerandos; unde Stoicus iste inter acerrimos podagræ dolores exclamans: o podagra, nunquam me coges, ut te malum esse confitear. Aiebant igitur Stoici, quum nonnisi animi morbos agnoscerent, sapientem semper sanum esse. Quam quidem sententiam Horatius, de ambiguo verbi *sanus* sensu ludens, deridet, falso subjectis: *nisi quum pituita molesta est*: jam de pituita locutus est, sup. lib. II, Sat. 2, 76; sed hic Epicureos præsertim irridet, qui pituitam ita gravem et incommodam putabant, ut Deos incusarent, quod ea nares hominum affici paterentur. Vid. Arrianum de Epicteto. Quintilianus, lib. I, cap. 6, merito ridet eum, qui dictam *pituitam* putavit, quia *petat vitam*, dum nihil simplicius quam a verbo πιτύω, *spuo*, deducere. Ed.

Analysis. Sæpissime, ut videtur, questus erat Mæcenas quod Horatius versus lyricos jam non componeret. Poeta hac Epistola se excusat. Senescit, et ætatem suam male decent carmina. Jam se totum philosophiæ studio dedit. Nulli quidem sectæ privatim addictus est, at omnium præceptis studens, quod in quoque optimum est seligit ac sibi proprium facit. Quamvis autem perfectam sapientiam subito attingere non possit, se tamen sensim ac per partes emendat; nam philosophia cuivis animi morbo, cuivis vitio remedia suppeditat, et vitia fugere jam est virtus. Non sine magno quidem labore hoc fit; at quot et quantos labores ad divitias vel honores comparandos patiuntur homines? et tamen virtus sapientiaque, non autem aurum, æstimatione et ambitione hominum dignæ sunt. Populus quidem aliter censet; at quæ est in populi judiciis constantia ac stabilitas? quisque semper voluntates ac sententias mutat, nec illa levitas deridenda videtur, quia omnium communis est, et adeo vulgaris ut nihil omnino insoliti habeat. Sapientia igitur sola sequenda est. Hic incipit magnificis verbis sapientis definitio, quæ in jocum et salem desinit. Ed.

Digitized by Google

EPISTOLA II.

AD LOLLIUM.

Postquam poeta vitæ præcepta, quæ in Homero continentur, planiora et meliora iis, quæ philosophi tradunt, esse docuit, ipse aurea præcepta, ad quæ vita dirigenda sit, pueris præcipue proponit.

Trojani belli scriptorem, maxime Lolli,
Dum tu declamas Romæ, Præneste relegi;
Qui, quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non,
Plenius ac melius Chrysippo et Crantore dicit.
Cur ita crediderim, nisi quid te detinet, audi. 5

1. *Maxime Lolli. Lollius*, M. Lollii Palicani, ut videtur, consulis cum Q. Æmilio Lepido, filius. — *maxime*, sc. natu, ut recte Gesnerus observat; nam infra in Epistola 18, ad eumdem Lollium scripta, v. 63 fratris alicujus fit mentio. — *declamas*, dicendi arte exerceris; quod adolescentibus nobilibus in usu erat. — *Præneste*, eo enim Horatius secedere, ibique sibi Musisque vivere solebat; vid. supr. Od. III, 4, 23. Quæ urbs, in Latio sita, nunc vocatur *Palestrina*. Ed. — *quid sit pulchrum* (καλόν), honestum. — *turpe, utile*, de quibus disputant philosophi. — *Plenius*, copiosius ac minima re omissa. Alii volunt *planius*, h. e. magis lucide ac simpliciter. Ed. — *Chrysippo*, de eo vide supra ad Sat. I, 3, 127. — *Crantore*, Xenocratis discipulo, nobili philosopho Academico. Hic celeberrimos cujusque clarissimæ disciplinæ philosophos posuit poeta, Stoicæ scilicet Chrysippum, Academicæ autem Crantorem. Qui Crantor quidem librum condiderat de Luctu, de quo Cicero in sua Consolatione: « sed ego Crantorem sequor, cujus legi brevem illum quidem, sed vere aureum, et ut Panætio placuit, ad verbum ediscendum, de luctu librum, quo acute universam doloris medicinam complexus est. » Cicero idem dixit, lib. I, Tusculan. et lib. II, Academic. Ed.

5. Iis, quæ nunc sequuntur, pulchre Horatius exornavit sententiam hanc: Homerus exemplis tam stultitiæ, sceleris, libidinis et iræ, quam prudentiæ, pietatis, virtutis et conti-

Digitized by Google

Fabula, qua Paridis propter narratur amorem
Græcia Barbariæ lento collisa duello,
Stultorum regum et populorum continet æstus.
Antenor censet belli præcidere causam:
Quid Paris? ut salvus regnet vivatque beatus,
Cogi posse negat. Nestor componere lites
Inter Peliden festinat et inter Atriden:
Hunc amor, ira quidem communiter urit utrumque.
Quidquid delirant reges, plectuntur Achivi;
Seditione, dolis, scelere, atque libidine et ira,
Iliacos intra muros peccatur, et extra.

nentiæ egregie adumbratis, et ante oculos positis, planius et melius, quam philosophi, *quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile,* docuit.

6. *Fabula, qua,* etc. Homeri Ilias, ubi enarratur bellum propter Paridis amorem, sive propter Helenæ raptum inter Græcos et Trojanos exortum et in decem annos extractum, tam principum, quam populorum stulta consilia et insaniam ante oculos ponit. — *Fabula*, μῦθος, h. e. poematis compositio. Ed. — *Barbariæ* a Græcis quævis regio extra Græciam, et a Romanis quævis regio extra Italiam sita, nominatim Phrygia, appellatur. *collisa* gravius et significantius pro: commixta; qui invicem se petunt, *colliduntur;* ceterum hic versus tam ob hanc locutionem, quam ob priscam vocem *duellum* prodere videtur Ennium. — Per *æstum* intellige vehementiores animi affectiones et vitia in v. 15 commemorata.

9. *Antenor censet*, etc. Antenor, senex Trojanorum prudentissimus, censet causam, ex qua bello a Græcis petantur Trojani, e medio tollendam esse; censebat scilicet Antenor, Helenam reddendam esse, Hom. Iliad. VII, 348 seqq. Ad *præcidere* supple: Trojanos debere. — *Quid Paris?* Quid Paris ad hanc Antenoris sententiam? repugnat, et ut, reddita Helena, salvus regnet et beatus vivat, persuaderi omnino nequit. — *Cogi posse negat*, non dixit quidem Paris, se cogi non posse, sed convenienter his dictis egit; itaque *cogi posse negat* jam est: adduci et permoveri non potest.

13. *Hunc,* Agamemnonem. Amore scilicet abreptus Agamemnone Briseida Achilli eripuit; Achilles autem, apud Homerum minime amore, injuriæ autem sensu moveri et ad iram impelli videtur. Ed. — *urit,* accendit, inflammat. — *Quidquid delirant,* etc. Omnium stulte et insipienter ab Agamemnone, Menelao, Achille, etc. captorum consiliorum pœnam Achivi exsolvunt; insaniunt autem peccantque tam Græci Trojanos obsidentes, quam Trojani a Græcis obsessi.

Digitized by Google

Rursus, quid virtus et quid sapientia possit,
Utile proposuit nobis exemplar Ulyssem;
Qui domitor Trojæ, multorum providus urbes
Et mores hominum inspexit; latumque per æquor,
Dum sibi, dum sociis reditum parat, aspera multa
Pertulit, adversis rerum immersabilis undis.
Sirenum voces et Circæ pocula nôsti;
Quæ si cum sociis stultus cupidusque bibisset,
Sub domina meretrice fuisset turpis et excors,
Vixisset canis immundus, vel amica luto sus.
Nos numerus sumus, et fruges consumere nati,

17. *Rursus*, at idem Homerus in Odyssea, quam in v. 21 designat; pro: *rursus*, ad sibilum repetitæ syllabæ finalis *us* in sequente voce *virtus* evitandum, Bentleius ad unius Codicis fidem dedit *rursum*. Sed tam religiosus in molliore versuum numero non fuit Horatius.

19. *Providus*, nam qui hominum mores et ingenia diligentius cognoscere studet, is hac cognitione sibi providet et fit prudentior. — *multor. urbes Et mores hominum inspexit*, expressit tertium versum Odysseæ: « Πολλῶν δ' ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα καὶ νόον ἔγνω; » similiter infr. in Epist. ad Pis. 142: « Qui mores hominum multorum vidit et urbes. » — *immersabilis* (ἀδάπτιστος, Pind. Pyth. II, 145), elegante imagine pro vulgari: adversæ fortunæ impetu se vinci et deprimi non passus; violentiæ alicui exprimendæ passim adhibetur undarum vel fluctuum impetus; in præcedente Epist. v. 16: « mersor civilibus undis. »

23. *Sirenum voces*, Hom. Odyss. XII, 39-54 et 182-200, *et Circæ*, Hom. Odyss. X-XII. — *Quæ si cum sociis*, etc. Non dicit Horatius Ulyssem pocula Circæ non bibisse, sed bibisse non cupide et stulte, sicut comites, sed sumpto antea antidoto. Vid. Odyss. lib. X, 318. Ed. — *turpis*, pudendæ conditionis, homo abjectus. — *excors*, sanæ mentis expers. — *canis immundus*, sicuti canis immundus.

27. *Nos numerus sumus*, etc. Sensus et nexus: nos igitur, qui non virtutis et sapientiæ exemplum, quod Ulysses dedit, sequimur, nos, qui in juventute vitæ molliori nimis indulgemus, qui ad multam usque lucem dormire, et curas ex animo ad citharæ cantum pellere pulchrum esse opinamur, nos, inquam, non ad res gerendas, sed ad fruges consumendas et ad numerum tantum hominum explendum nati videmur, similes procorum Penelopæ, nepotes et luxuriosi, qualis describitur Alcinous apud Homerum. — *Nos numerus sùmus* (ἡμεῖς ἰομὲν πλῆθος ἄχρειον), nos enim inertes,

Digitized by Google

Sponsi Penelopæ, nebulones, Alcinoique,
In cute curanda plus æquo operata juventus,
Cui pulchrum fuit in medios dormire dies, et
Ad strepitum citharæ cessatum ducere curam.
Ut jugulent homines, surgunt de nocte latrones;
Ut te ipsum serves, non expergisceris? atqui
Si noles sanus, curres hydropicus: et, ni
Posces ante diem librum cum lumine, si non
Intendes animum studiis, et rebus honestis,

luxuriosi et libidinosi, præterquam quod in numerum hominum referimur, nihil omnino pretii habemus; loca in hanc loquendi formulam a Lambino e scriptoribus Græcis allata huc non pertinent; ibi enim sermo est de hominibus, qui in numerum aliquem recipiantur, indignis (οὐκ ἀριθμητοῖς).—*nati fruges consumere*, græce pro: nati ad fruges consumendas.—*Sponsi Penelopæ*, proci, amoris causa Penelopen sectantes.—*Alcinoique*. Alcinous, rex Phæacum, animi oblectationibus et corporis voluptatibus a puerili inde ætate deditissimus; ipse apud Hom. Odyss. VIII, 248, profitetur: « Αἰὲν ἡμῖν δαῖς τε φίλη, κιθαρίς τε, χοροί τε. »—*operata juventus*, nos juvenes, qui solemus operari, operam ponere in cute curanda, in corpore mollius tractando. —*fuit*, esse solet.—*Ad strepitum*, ad sonos, modos, supr. Od. IV, 3, 18: « O testudinis aureæ Dulcem quæ strepitum, Pieri, temperas. »—*cessatum ducere curam*, eo quasi ducere curam, quo illa vexare cesset; eleganter pro vulgari: curam abigere, pellere, compescere.

32. Ab ejusmodi vita desidiosa, quam Penelopes procos et Alcinoum vixisse refert Homerus, jam Horatius juvenes, nominatim Lollium, ad quem scripsit hanc Epistolam, avocat, eumque, ut, lecto ante diem relicto, strenue animum studiis et rebus honestis intendat, nec tempus animi cultui impendendum in annum differat, exhortatur.—*homines*, sic legitur in optimæ notæ Codicibus apud Feam; at Bentleius et eum secuti exhibuerunt: *hominem*, homœoteleuti, ut addit Gesnerus, evitandi gratia; sed ad hanc normam non exigendi sunt hexametri Horatiani.—*Ut te ipsum serves*, ut te tutum præstes ab iis, quæ tibi infesta sunt, ut vites improbam Sirenen, desidiam.—*atqui, Si noles sanus, curres hydropicus*, atqui, si nunc, quum bene vales, noles currere, h. e. vires tuas exercere, in posterum, quum tibi male erit, sicuti hydropicus (vel: si desidiosa et luxuriosa vita factus fueris hydropicus), curres; medici enim hydropicos *multum ambulando et nonnunquam currendo*, h. e. vires corporis exercendo valetudini succurrere jubent;

Digitized by Google

Invidia vel amore vigil torquebere. Nam cur,
Quæ lædunt oculum, festinas demere; si quid
Est animum, differs curandi tempus in annum?
Dimidium facti, qui cœpit, habet: sapere aude;
Incipe: qui recte vivendi prorogat horam,
Rusticus exspectat, dum defluat amnis; at ille
Labitur, et labetur in omne volubilis ævum.
Quæritur argentum, puerisque beata creandis
Uxor, et incultæ pacantur vomere silvæ.

vide, quem laudat Gesnerus, Cels. III, 21.—*vigil*, refer ad *ante diem* et sic explica: nisi aliquam noctis partem studio dederis, per totos dies cupidinibus vexaberis. Ed. — *Invidia vel amore torquebere*, gravioribus animi affectionibus, invidia, amore, etc. cruciaberis.

39. *Est animum* (ἐσθίει), exedit, absumit. — *curandi*, animi a vitiis liberandi.—*Dimid. facti, qui cœpit, habet*, ad proverbium Græcorum: « Ἀρχὴ δέ τοι ἥμισυ παντός, » cujus auctorem Pythagoram esse censet Hemsterh. ad Lucian. Somn. c. 3.—*prorogat horam*, tempus differt.

42. *Rusticus exspectat, dum*, etc. Is, sicut stultus ille rusticus in fabulis, dum defluat amnis, exspectat. Rusticus scilicet quidam ad amnem stetisse; et, ut sicco pede eum transiret, donec amnis defluxisset, exspectare voluisse fingitur, pro vulgari: sed *frustra* exspectat; accommodate ad rem addit: *at ille* (amnis) *volubilis* (celeri cursu) *labitur, et in omne ævum labetur*. Spectavit autem Horatius in comparatione instituta potissimum hoc: Qui tempus, quo animo emendando operam daturus est, exspectat, id frustra exspectat, sicut rusticus ille ad amnem, quem stulte defluxurum esse putabat; tempus enim celeri cursu, sicut amnis, labitur, lapsumque nunquam redit. Ceterum ad *rusticus* supplenda est particula comparandi *ut* vel *sicuti*, quam Horatius in hac una Epistola quater omisit, v. 26, ad *canis immundus*, v. 28, ad *sponsi Penelopæ*, v. 54, ad *hydropicus*, et h. l. et sic supr. Sat. I, 7, 29, ad *durus vindemiator*; Sat. II, 5, 186, ad *astuta vulpes*; cf. infr. Epist. I, 5, 18; Epist. I, 6, 63; Epist. I, 10, 5; Epist. I, 16, 22; Epist. ad Pison. versu ultimo.

44. *Quæritur argentum*, etc. Sed plurimi homines non animo excolendo et ad virtutem atque sapientiam conformando, sed divitiis colligendis augendisque unice intenti sunt.—*beata*, dives, ut sæpe.—*et incultæ pacantur vomere silvæ*, et loca inculta et vepribus obsita aratro purgantur et mitiora redduntur; *pacare* (ἡμεροῦν) est: reddere aliquid mitius, domare; Claud. Epigr. LI, de Mulabus Gallicis, v. 19: « Miraris, si voce fe-

Digitized by Google

Quod satis est, cui contigit, hic nihil amplius optet.
Non domus et fundus, non æris acervus et auri
Ægroto domini deduxit corpore febres,
Non animo curas. Valeat possessor oportet,
Si comportatis rebus bene cogitat uti.
Qui cupit, aut metuit, juvat illum sic domus et res,
Ut lippum pictæ tabulæ, fomenta podagrum,
Auriculas citharæ collecta sorde dolentes.
Sincerum est nisi vas, quodcumque infundis, acescit.
Sperne voluptates: nocet emta dolore voluptas.

ras *pacaverit* (mites reddiderit) Orpheus? » et sic plane *domare*, ut in hoc loco *pacare*, apud Virg. Æn. IX, 608 : « At patiens operum parvoque adsueta juventus. Aut rastris terram *domat*, » etc. Idem eodem sensu de tellure Georg. II, 259 : « ...Ea nec mansuescit arando. » Attamen sunt, qui lectioni nostræ, *pacantur*, præferant, quod conjecit Wakefield. *placantur*.

48. *Quod satis est*, etc. Qui habet quod sufficit. Ed. — *deduxit*, deducere, h. e. depellere valet; in hanc sententiam cf. supr. Od. III, 1, 41 sqq. Obversatus Horatio videtur Lucretius, II, 34 seqq. « Nec calida citius decedunt corpore febres, Textilibus si in picturis ostroque rubenti Jactaris, quam si plebeia in veste cubandum est. » — *Valeat*, tam corpore, quam animo. — *comportatis*, congestis, quæsitis. Ed.

51. *Qui cupit*, etc. Avarus, qui plura appetit, aut id, quod possidet, velut sacrum, contingere metuit (supr. Sat. II, 3, 110), is, perturbatus his affectionibus, non magis domo et opibus suis juvari et deliniri potest, quam lippus pictis tabulis, podagricus fomentis, surdus citharæ sonis; pro simplice : avarus nullum plane ex divitiis fructum capit. — *aut metuit*, potest quoque cogitari de malis furibus, quos avarus (ut supra loquitur Hor. Sat. I, 1, 78) « noctesque diesque Formidat. » — *fomenta*, nunc quoque podagrici calidis tegumentis pedum tam tumorem, quam dolorem lenire solent, sed, ut docet experientia, sine omni fere effectu; rectissime igitur *fomenta*, quæ alias ægrotos juvant, jam nihil omnino podagrum juvare dicuntur. Buherius igitur, qui in Anthol. Lat. (Burm.) t. II, p. 485, pro *fomenta*, legendum conjiciebat *tomenta*, applaudente Wakefieldio, non fuisse videtur podagricus. Quid enim *tomenta* cum podagricis? — *Auriculas dolentes*, male se habentes. — *sorde collecta*, quæ audiendi facultatem impedit.

54. *Sincerum est nisi vas*, etc. Hoc transfer ad animum; nisi animus vitiorum est purus, ea, quæ animum intrant, vitium trahunt. — *Sperne voluptates*, enumerat ea vitia et cu-

Digitized by Google

Semper avarus eget: certum voto pete finem.
Invidus alterius macrescit rebus opimis:
Invidia Siculi non invenere tyranni
Majus tormentum. Qui non moderabitur iræ,
Infectum volet esse, dolor quod suaserit et mens,
Dum pœnas odio per vim festinat inulto.
Ira furor brevis est; animum rege, qui, nisi paret,
Imperat: hunc frenis, hunc tu compesce catena.
Fingit equum tenera docilem cervice magister
Ire viam, qua monstret eques. Venaticus, ex quo
Tempore cervinam pellem latravit in aula,
Militat in silvis catulus. Nunc adbibe puro

piditates quibus animus est expurgandus. Ed.— *emta dolore*, ita parta et percepta, ut dolor eam sequatur.— *certum voto pete finem*, certum finem ante oculos tibi pone assequendum, ad notissimum illud præceptum, supr. Sat. I, 1, 106-7: « Est modus in rebus, sunt certi denique fines, Quos ultra citraque nequit consistere rectum, » in eadem Sat. v. 92: « Denique sit finis quærendi. »

57. *Macrescere*, μαραίνεσθαι, invidia, ut alias *tabescere*; sed *macrescere* jam pulchre respondet voci *opimis*. — *Siculi tyranni*, nominatim *Phalaridis*, cujus, ut Cicero, Off. II, 26, narrat, « præter ceteros nobilitata crudelitas.... Crudelissimus omnium taurum habuisse dicitur, quo vivos supplicii causa homines demittere, ac subjicere flammam solebat. » Cf. Val. Max. III, 3, Ext. 2; IX, 2, Ext. 9.

60. *Infectum volet esse*, etc. Qui ira abreptus fuerit, quum postea pœnitebit eum, volet irritum esse, non a se fuisse factum, quod ira incensus fecerit. Ed.—*Dum pœnas odio per vim fest. inulto*, dum, iræ expiandæ vel explendæ causa, festinanter vim infert.—*Qui, nisi paret, Imperat*, nisi tuo subjectus est imperio, ipse imperat.

64. *Fingit equum*, etc. Sed puerili ætate, ubi pectus adhuc purum et integrum est, virtuti opera danda est; equi quoque et canes venatici tenera ætate finguntur.— *magister* (domitor) *equum* (juvenem) *fingit* (docet) *viam ire, qua eques* (eum ire) *monstret* (jubeat), h. e. eo ire, quo eques eum flectat. — *Venaticus... catulus, ex quo Tempore cerv. pellem latravit in aula*, postquam adsimulatum cervum in aula allatravit, h. e. postquam ei adhuc juveni injecta est venandi cupiditas; cervus a venatoribus adsimulatur, quum pellis cervina stramine, musco, etc. impletur atque intenditur.

67. *Nunc adbibe* pro vulgari: imbibe.— *melioribus*, prudentioribus,

Digitized by Google

Pectore verba puer, nunc te melioribus offer.
Quo semel est imbuta recens, servabit odorem
Testa diu. Quod si cessas, aut strenuus anteis,
Nec tardum opperior, nec præcedentibus insto.

doctioribus, in præcedente Epist. vs. 48 : « Discere et audire et *meliori* credere non vis? » — *Quod si cessas*, etc. Finit Horatius Epistolam hoc fere, ut mihi videtur, præcepto : Sed certum modum tene ; quodsi enim in re suscepta aut cessas, aut nimis et festinantius eam urges, scias, me neque cum cessantibus, neque cum nimis festinantibus facere.

Analysis. Horatius nonnulla sapientiæ præcepta juveni Lollio daturus, ne importuni magistri partes agere videretur, non recta via, et aliud quasi cogitans, ad propositum venit. Ab Homero scilicet initium sumens, quem nunc se rure relegisse ait, ejus poemata, non jam poetice, sed philosophice considerat; et in iis omnia vitæ præcepta contineri profitetur. Brevissimam quidem utriusque poematis analysim exponens, in Iliade homines non nisi insanis cupiditatibus agi ostendit; in Odyssea autem, Ulyssis exemplum proponit, prudentissimi hominis, vulgi cupidines et pravos sensus fugientis. Unde ad vitam sapienter ducendam præcepta dat. Scilicet jam a pueritia mores emendandos et philosophiæ normas adhibendas esse, ne postea in ætate provectiori, animus pravis cupiditatibus omnino occupatus, usque ad mortem distrahatur et torqueatur. Ed.

Digitized by Google

EPISTOLA III.

AD JULIUM FLORUM.

Julium Florum de Claudio Nerone et quibusdam amicis suis interrogat.

Juli Flore, quibus terrarum militet oris
Claudius, Augusti privignus, scire laboro.
Thracane vos, Hebrusque nivali compede vinctus,
An freta vicinas inter currentia turres,
An pingues Asiæ campi collesque morantur?
Quid studiosa cohors operum struit? hæc quoque curo;
Quis sibi res gestas Augusti scribere sumit?
Bella quis et paces longum diffundit in ævum?
Quid Titius, Romana brevi venturus in ora,

1. *Claudius.* Tiberius Claudius Nero, Liviæ filius, *Augusti privignus*, quod non opus erat addere; sed Horatius hic quoque Augusti nominis cum verecundia appellandi occasionem arripit. — *laboro*, significantius pro: cupio, aveo.

3. *Hebrusque nivali comp. vinct.* Paulo sublimius pro: glacie concretus. — *vicinas turres*, Seston et Abydon, urbes munitas Hellesponti, Leandri et Herus amore satis notas. — *morantur?* vos tenent, retinent? an vos jam commoramini in pinguibus Asiæ campis et collibus?

6. *Quid studiosa*, etc. Quid (*operum*) rerum scribendarum nunc moliuntur viri docti, qui sunt in cohorte vestra, sive in comitatu Tiberii? — *studiosa* refer ad comites bonarum literarum studiosos; ad hos pertinent, quos in sequentibus commemorat: Titius, Celsus, Munatius. — *longum diffundit in ævum?* ad posteritatem propagat? æternitati consecrat?

9. *Titius. Titius Septimius*, eques Romanus (ut docet Porphyrius), idem est, quem Horatius supr. Od. II, 6, ut spectatæ fidei amicum celebrat; h. l. eum ut poetam haud vulgarem laudat, et infr. Epist. 9, 4, ut « diguum mente domoque honesta Neronis » commendat. — *Romana brevi venturus in ora?* brevi famam Ro-

Digitized by Google

Pindarici fontis qui non expalluit haustus,
Fastidire lacus, et rivos ausus apertos?
Ut valet? ut meminit nostri? fidibusne Latinis
Thebanos aptare modos studet, auspice Musa?
An tragica desævit et ampullatur in arte?
Quid mihi Celsus agit? monitus multumque monendus,
Privatas ut quærat opes, et tangere vitet
Scripta, Palatinus quæcumque recepit Apollo;
Ne, si forte suas repetitum venerit olim
Grex avium plumas, moveat cornicula risum
Furtivis nudata coloribus. Ipse quid audes?

mæ adepturus, quem sua opera, nondum in lucem edita, Romæ clarissimum efficient. Ed.—*Pindarici fontis qui non expalluit haustus*, qui a rei magnæ conatu, ab haustu fontis Pindarici, se non deterreri passus est, h. e. qui ausus est imitari Pindarum. —*expalluit*, expavit, exhorruit, extimuit. —*Fastidire lacus*, etc. Qui ausus est vulgares lacus et rivos cuique patentes contemnere, h. e. a vulgarium poetarum grege se secernere.

12. *Fidibusne Latinis Thebanos aptare modos. Thebanos modos Latinis fidibus aptare* est: Thebanos modos transferre et moderari ad fides Latinas, h. e. carmen Pindaricum latino carmine imitari; supr. Od. II, 12, 4: « molles modos citharæ aptare, » et Od. IV, 9, 4: « verba loqui socianda chordis. » —*auspice Musa*, adspirante, vel favente Musa. —*An tragica*, etc. An in scribendis tragœdiis versans poetico furore corripitur, et altiore spiritu inflatus sublimiora effectat? Dum laudat Horatius amicum suum Titium, eumdem simul ut poetam turgidum notare videtur. Ejusmodi enim reprehensio latet in vocibus *desævire* et *ampulluri*.

15. *Quid mihi agit? Mihi, tibi, sibi, nobis, vobis* sæpius cum vi quadam in salse aut jocose dictis abundant; vide quos in hanc rem laudavimus ad Catull. XXIV, 4. —*Celsus*, poeta, qui aliorum scrinia compilabat; fortasse idem *Celsus Albinovanus*, scriba Tiberii, ad quem scripta est Epistola octava.

16. *Privatas ut quærat opes*, etc. Ut doctrinæ copias ex se ipso hauriat, non ex aliorum scriptis, quæ in bibliotheca templi Apollinis Palatini servantur.—*Ne, si forte*, etc. Ne, si forte aliena, quibus se exornavit, repetantur, risum moveat, sicut in Fabula Æsopi (Phædr. I, 3) cornicula, vel graculus. —*cornicula*, sicut cornicula, cf. ad præced. Epist. vs. 42. —*Furtivis nudata coloribus*, exuta pulchris pavonis pennis, quas suas fecerat cornicula.

20. *Ipse quid audes?* Tibi tractandum perficiendumque sumsisti?

Digitized by Google

Quæ circum volitas agilis thyma? non tibi parvum
Ingenium, non incultum est, nec turpiter hirtum.
Seu linguam causis acuis, seu civica jura
Respondere paras, seu condis amabile carmen;
Prima feres hederæ victricis præmia: quod si
Frigida curarum fomenta relinquere posses,
Quo te cælestis sapientia duceret, ires.
Hoc opus, hoc studium parvi properemus et ampli,
Si patriæ volumus, si nobis vivere cari.
Debes hoc etiam rescribere, si tibi curæ,

— *agilis*, sicut *agilis* (h. e. sedula) apis. Horatius supr. Od. IV, 2, 27, de se ipso: « ego, apis Matinæ More modoque, Grata carpentis thyma per laborem Plurimum... Carmina fingo, » ubi vide, quæ de comparatione poetarum cum apibus flores carpentibus notavimus. — *Ingenium... hirtum*, ingenium non excultum comparatur cum agro, qui, si non colitur, vepribus et spinis hirtus et hispidus est.

25. *Seu linguam causis acuis*, seu te ad causas acute et diserte in judiciis dicendas te præparas; causam in judiciis dicturi apud Ciceronem quoque Orat. III, 30, eleganter « linguam ad dicendum acuere et procudere » dicuntur; et sic apud eumdem ad Attic. II, 7: « se acuere ad aliquid. » Pindaro, Pith. I, 86, hoc dicitur «χαλκεύειν γλῶσσαν πρός τινι.» Vid. eruditam Boekhii notam tom. II, P. II, pag. 238.— *civica jura Resp. Jus respondere* pro: de jure respondere, vid. Ernest. in Clav. Cic. s. v. *respondere*.— *hederæ victr. præmia.* Supr. Od. I, 1, 29: « Me doctarum hederæ præmia frontium; » ubi vid. not.

25. *Quod si Frigida curar. fom. relinq. posses*, etc. Sensus: quodsi curas, quas foves, ejicere posses ex animo, ad altiora, quo te duceret divinæ originis sapientia, evehereris, h. e. virtutis et doctrinæ gloria conspicuus exsplendesceres. Videtur Horatius Floro mollius exprobrare divitiarum cupiditatem, quæ neque parantur, neque possidentur sine curis; has igitur curas, quas alunt et *fovent* avari, eleganter vocat *curarum fomenta*, et quidem *frigida*, quia pectus, quod virtutis amore accendi, vel poetico spiritu incalescere debet, reddunt *frigidum*.

28. *Hoc opus, hoc studium*, etc. sensus: Nos omnes igitur superiores æque atque infimi summo studio agere debemus id, ut, si et patriæ et nobis cari evadere volumus, curis ex animo pulsis virtuti exercendæ adsuescamus.

30. *Si tibi curæ*, etc. *Si* (num) *Munatius tibi* sit tantæ *curæ*, *quantæ* is tibi curæ esse *conveniat* (par sit), h. e. num studiose ita erga veterem amicum Munatium te geras, uti erga illum te gerere fas sit; discordia scili-

Digitized by Google

Quantæ conveniat, Munatius: an male sarta
Gratia nequicquam coit, et rescinditur? At vos,
Seu calidus sanguis, seu rerum inscitia vexat
Indomita cervice feros, ubicumque locorum
Vivitis, indigni fraternum rumpere fœdus.
Pascitur in vestrum reditum votiva juvenca.

cet inter Florum et Munatium gliscere cœperat. — *an male sarta Gratia,* etc. An (*male*) simulanter tantum reconciliata inter vos est gratia, et renovatum amicitiæ fœdus de integro rescinditur? — *sarta... coit... rescinditur,* translata hæc sunt a vulneribus, quæ, ut *coeant,* consuuntur et colligantur, aut, postquam coierunt, *rescinduntur.* — *At vos,* etc. At vos, sive animi fervor, seu rerum inscitia: vos feros et indomitos agitat, ubicumque nunc vivitis, *indigni estis rumpere,* græce pro: qui rumpatis, non decet vos rumpere fœdus, fraterno amore junctum. — Intimus amicorum amor cum fratrum amore comparari solet. Infr. Epist. 10, 4: « ad cetera pene gemelli Fraternis animis. »

36. *Pascitur in vestrum reditum,* sospites atque incolumes, amici, ad nos redeatis, jam ad felicem vestrum reditum celebrandum juvenca ex voto pascitur: Sic supr. Od. I, 36, 2, prosper Numidæ ex Hispania reditus *vituli sanguine debito* celebratur.

Analysis. Hæc Epistola ingenium et rationem familiariter ad amicum scribentis egregie exprimit. Erat Julius Florus in comitatu Claudii Tiberii Neronis, tum Syriæ ab Augusto præfecti. Rogat igitur poeta Florum, ut sibi perscribat in qua regione nunc versetur exercitus, et quid rerum tam ipse quam ceteri amici gerant. Breviter etiam eum hortatur ad redeundum in gratiam cum Munatio; quædam etiam addit de optato omnium reditu. Ed.

Digitized by Google

EPISTOLA IV.

AD ALBIUM TIBULLUM.

Familiariter poeta ex Tibullo quærit, utrum nunc vacet scribendis carminibus, an in villa sua circumvagetur et sapienter ibi dulci otio et genio suo indulgeat.

Albi, nostrorum sermonum candide judex,
Quid nunc te dicam facere in regione Pedana?
Scribere, quod Cassi Parmensis opuscula vincat?
An tacitum silvas inter reptare salubres,
Curantem, quidquid dignum sapiente bonoque est? 5
Non tu corpus eras sine pectore. Di tibi formam,
Di tibi divitias dederant, artemque fruendi.
Quid voveat dulci nutricula majus alumno,
Qui sapere et fari possit, quæ sentiat; et cui

1. *Sermonum,* Satirarum, humili et vulgari oratione conscriptarum; cf. supr. Sat. I, 1, 42. — *reg. Pedana,* prope Pedum, Latii oppidum, inter Prænestе, Tibur, et Tusculum. — *Cassi Parmensis;* de Cassio Parmensi, distinguendo a Cassio Etrusco, vid. supr. ad Sat. I, 10, 62. — *tacitum,* non scribentem, non carmina canentem; *reptare* de iis, qui in agris non certam viam sequuntur, sed, animi causa, modo in hanc, modo in aliam partem declinant atque evagantur; — *Curantem, quidquid,* etc. cogitantem de eo, quo modo vir bonus et sapiens recte vivere et deorum muneribus prudenter frui debeat.

6. *Non tu corpus eras sine pectore,* tibi nato non deerant ingenii animique facultates. — *artem fruendi,* scientiam prudenter acceptis fruendi. — *dederant;* alii *dederunt,* quamvis media syllaba vulgo longa sit. Ed.

8. *Voveat,* optet. Ovid. Met. XII, 200: «Elige, quid voveas,» XIV, 35: «Ut tua sim, voveo.» — *nutricula,* diminutivum amicitiæ. — *alumno,* tali scilicet, qualis tu es.

9. *Qui sapere... et cui,* etc. Sic legendo, nihil est, quod moram faciat.

Digitized by Google

Gratia, fama, valetudo contingat abunde,
Et mundus victus, non deficiente crumena?
Inter spem curamque, timores inter et iras,
Omnem crede diem tibi diluxisse supremum:
Grata superveniet, quæ non sperabitur, hora.
Me pinguem et nitidum bene curata cute vises,
Quum ridere voles Epicuri de grege porcum.

Lambinus et alii; QUAM *sapere et fari* UT *possit*... UTQUE. Male: *majus* absolute ponitur; et *ut* nullibi reperitur; *et cui* in omnibus visitur. ED.—*fari*, effari, verbis eloquenter exponere.—*Gratia*, passive et active, tam favor potentiorum, quam ea vivendi ratio, qua quis aliorum animos sibi conciliat, vel aliis gratus atque jucundus est.—*fama*, propter scriptorum laudes. ED.

12. *Inter spem curamque*, etc. unumquemque diem, sive meliora speres et assequenda cures, sive mala imminentia times et animo pertarbaris, vitæ tuæ ultimum illuxisse existima, et, si non est ultimus, quod præter spem evenit, lucro appone.

15. *Pinguem*, obesum, saginatum. —*nitidum*, obesi enim, ore, corpore *nitent*, cf. supr. ad Sat. II, 2, 128.—*Quum ridere voles*, quum offerri tibi cupies aliquem, qui tibi ridendi præbeat materiem. —*Epicuri de grege porcum*, hoc refer per appositionem ad *pinguem* et *nitidum*; Epicurei scilicet, qui summam voluptatem in corpore lautioribus et largioribus cibis curando ponebant, contemtim *Epicuri de grege porci* vocabantur; hinc Cicero L. Pisonem (in orat. in Pis. c. 16.) hominem luxuriosum, Epicureum, *non ex schola, sed ex hara* (porcorum stabulo) *prodiectum* appellat. Horatius jam Epicureos scriter Sat. II, 4, exagitavit. ED.

ANALYSIS. Hoc carmen nihil nisi familiaris ad amicum Epistola est, quæ amicitiæ ac leporis plena, simplicissima est, et nullius fere explicationis indigens. ED.

Digitized by Google

EPISTOLA V.

AD TORQUATUM.

Poeta amicum suum, Torquatum, ad lætum convivium, quo natalem Cæsaris celebraturus erat, familiariter invitat.

Si potes Archaicis conviva recumbere lectis,
Nec modica cœnare times olus omne patella;
Supremo te sole domi, Torquate, manebo.
Vina bibes iterum Tauro diffusa, palustres
Inter Minturnas Sinuessanumque Petrinum.
Sin melius quid habes, arcesse, vel imperium fer.

1. *Si potes,* si potes a te impetrare hoc, ut recumbas; Virg. Æn. XI, 307: « Nec victi possunt absistere ferro, » nec victi a se impetrare possunt, ut absistant ferro. — *Archaicis,* parum elegantibus, vetusto more factis; est Græca vox ἀρχαικοῖς, significans antiquis et rudibus. Nonnulli legunt *Archiacis,* l. e. a fabro Archia confectis, quem notissimum eo tempore vulgaribus lectis conficiendis fabrum fuisse aiunt. Ed. — *times* pro vulgari: recusas; qui cibum aliquem sibi ingratum aversatur, is jocose eum *timere* dicitur. — *olus omne,* cujusvis generis. — *Supremo sole,* sole ad occasum vergente, extrema diei parte. — *manebo,* opperiar.

4. *Iterum Tauro,* scil. consule; incidit secundus consulatus Tauri in annum U. C. 727, unde Bentleius temporis, quo hæc epistola scripta sit, ratione habita, dictum vinum sex fere vel septem annorum fuisse efficit. — *diffusa,* vinum, quod e majori vase in plura minora transfunditur, *diffundi,* quod vero ex dolio in amphoras transmittitur, *defundi* dicitur. — *Minturnas,* Auruncorum oppidum ad fines Latii et Campaniæ situm; — *Petrinum,* vicum in agro Sinuessano, Campaniæ vicinum. Non optimæ notæ suum vinum esse fatetur poeta, ea enim loca designat paludosa, vitibus minime accommodata. — *Sin melius quid habes,* sin tu habes meliora iis, quæ dixi; — intellige non vinum tantummodo commemoratum, sed etiam *omne olus.* — *arcesse,* ea afferri jube; sic supr. Horatius Od. IV, 12, 16, Virgilium ad lætam compotationem afferre jubet *navalem.* Sunt, qui ad *arcesse* suppleant: *me,* ut sit: me ad te voca; sed

Digitized by Google

Jamdudum splendet focus, et tibi munda suppellex.
Mitte leves spes, et certamina divitiarum,
Et Moschi causam: cras nato Cæsare festus
Dat veniam somnumque dies; impune licebit
Æstivam sermone benigno tendere noctem.
Quo mihi fortunas, si non conceditur uti?
Parcus ob hæredis curam nimiumque severus
Assidet insano. Potare et spargere flores
Incipiam, patiarque vel inconsultus haberi.
Quid non ebrietas designat? operta recludit;
Spes jubet esse ratas; in prælia trudit inertem;

hoc mihi alienum videtur ab Horatii urbanitate atque ingenio; — *vel imperium fer,* vel, quod ego apponi jussero, æquo animo accipe.

7. *Jamdudum splendet;* hunc versum *Fea* unius libri auctoritate ante versum præcedentem posuit, quod commodum sententiarum nexum plane turbat. — *Mitte leves spes,* rerum levium et vanarum; respexit Horatius aliquid, quod nescimus; aluit fortasse Torquatus spem honorum adipiscendorum. —*certamina divitiarum,* breviter et eleganter pro: studia, quibus in divitiarum possessione *hunc atque hunc* (ut loquitur Hor. supr. Sat. I, 1, 112.) *superare* certas, sive quibus dies noctesque divitiis colligendis atque augendis insudas atque invigilas. — *Et Moschi causam,* sc. quam defendendam suscepisti. — *Moschus,* ut tradit vetus Scholiastes, Pergamenus rhetor clarissimus, quum veneficii accusatus esset, patronos, qui ejus causam dicerent, Torquatum et Asinium Pollionem nactus est. — *dies festus nato Cæsare* pro vulgari: dies natalis Cæsaris (*divi Cæsaris*), qui, ut refert Macrob. Sat. I, 12, a. d. 4, Id. Jul. a Romanis celebratus est.

10. *Veniam,* sc. otiandi, bibendi. — *somnumque,* et post noctem inter suaves confabulationes exactam edormiendi. — *tendere,* extendere producere.

12. *Quo mihi fortunas,* etc. Quorsum mihi expetam fortunas, id est, opes et alia fortunæ bona. Ed. —*Parcus,* qui parce vivit, *ob hæredis curam,* ut hæredi collectis divitiis prospiciat; *nimiumque severus,* nimiaque severitate ab iis, quæ jucunda sunt, abstinet; *assidet insano,* is proxime accedit ad insanum. — *Inconsultus,* qui liberius et dissolutius se lætitiæ tradunt, ipsi se *furere* (Od. II, 7, 23), *desipere* (Od. IV, 12, 28) velle (μαίνεσθαι Anacr. XIII, 12) aiunt.

16. *Designat,* profert, efficit. — *operta recludit,* arcana loco promovet, ut loquitur Horat. supr. Epod. XI, 14, ubi vide not. — *Spes jubet esse ratas,* cf. in hanc sententiam supr. ad Od. III, 21, 17. — *Sollicitis animis*

Digitized by Google

Sollicitis animis onus eximit; addocet artes:
Fecundi calices quem non fecere disertum?
Contracta quem non in paupertate solutum?
Hæc ego procurare et idoneus imperor, et non
Invitus: ne turpe toral, ne sordida mappa
Corruget nares, ne non et cantharus et lanx
Ostendat tibi te; ne fidos inter amicos
Sit, qui dicta foras eliminet; ut coeat par
Jungaturque pari. Butram tibi, Septimiumque,
Et nisi cœna prior potiorque puella Sabinum
Detinet, assumam: locus est et pluribus umbris;
Sed nimis arcta premunt olidæ convivia capræ.

onus eximit, curas abigit, infr. Epist. I, 15, 19. — *addocet artes*, calore ad res tentandas animum implet.

19. *Fecundi*, largi, uberes, plemi, sed haud scio, an rectius explicueris: bibentis ingenium fecundum reddentes; non vini enim copia, sed vis disertos reddit; et sic *Nilus fecundus*, agros fecundos reddens apud Plin. V, c. 9. — *Contracta*, qua res admodum tenues in angustum quasi spatium contractæ sunt, pro: angusta. — *solutum*, sc. curis, hilarem.

21. *Hæc*, quæ sequuntur: *ne turpe toral*, etc. — *et idoneus imperor*, etc. hæc mihi cura imponitur, et hanc libenter in me recipio, et sum idoneus ad id munus exsequendum. Ed. — *turpe*, illotum, ut supr. ad Sat. II, 4, 84, *illota toralia*, ubi vid. not. — *mappa*, cf. supr. ad Sat. II, 4, 81. — *Corruget nares*; nares, quum malum odorem trahunt, in rugas quasi contrahi, distorqueri et diduci solent. — *ne non et canth. et l. Ost. tibi te*, ut tam canthari, quam lancis bene detersæ et politæ splendor imaginem tuam inde reperussam tibi repræsentet; de *cantharo*, poculi genere, vid. supr. ad Od. I, 20, 2. — *eliminet*, eleganter pro: evulget, effutiat; quæ amici inter se collequuntur, ea extra limen, ubi convenerant, non emanare, h. e. cum aliis communicari et patefieri, debent. — *par*, qui alteri et ætate et sentiendi agendique ratione par est, qui eadem cum altero studia sectatur. — *Butram tibi Septimiumque*, alii legunt *Brutum* et *Septicium*. Ed. — *cœna prior*, ad quam jam ab alio vocatus es, *potior*, cœnæ apud me præferenda; pro: *potiorque*, malim: *potiorve*. — *assumam*, invitabo. — *pluribus umbris; umbræ* vocabantur qui cum aliquo conviva ipsi non accersiti ad cœnam veniebant. Supra, lib. I, sat. VIII, 22: « Quos Mæcenas adduxerat umbras. » Ed. — *Olidæ capræ*, caprinus vel hircinus fœtor sub alis hominum; *gravis hircus*, supr. Epod. XII, 5. *Trux*

Digitized by Google

Tu, quotus esse velis, rescribe; et rebus omissis
Atria servantem postico falle clientem.

caper, apud Catull. LXIX, 5. Monet Torquatum Horatius ne plures secum umbras adducat, quia quum in arcto loco multi conveniunt, fœdus iste odor gravis fit et molestus. Ed.

30. *Tu, quotus esse velis*, scilicet cum umbris, pro vulgari : rescribe, quot umbras tecum adducturus sis, vel, quot apud me cœnare tibi placeat. — *rebus*, causis, quas defendendas susceperat Torquatus. — *Atria servantem*, in atrio te opperientem. — *postico falle*, effuge egrediendo per cæcas et remotas domi fores. Ed.

Analysis. Hoc carmen Epistola familiaris est, qua poeta amicum ad cœnam vocat, cujus generis nonnullas in Odarum libris reperias. Nonnullis de convivii frugalitate, domus et mensæ munditia, convivarumque delectu dictis, quædam intermiscuit poeta, de curis omittendis, vitaque hilariter exigenda. Ed.

EPISTOLA VI.

AD NUMICIUM.

Humanam felicitatem ab animo nil admirante, h. e. neque nimium appetente, neque nimium timente quidquam, repetendam, et omnem operam in virtutis studio ponendam esse, philosophica gravitate docet.

Nil admirari prope res est una, Numici,
Solaque, quæ possit facere et servare beatum.

1. *Nil admirari*, etc. Nulla omnino re, sive læta sive tristi, graviter affici, sed æquam in rebus arduis pariter (Od. II, 3, 1.) atque in bonis mentem servare, hoc unum nos beatos reddere et præstare potest. — *admirari* jam de quavis graviore animi affectione; — *Numicius*, nisi est nomen fictum, homo fuisse videtur tam in divitiis, quam in honoribus appetendis nimius. — *Hunc solem*, etc. Sententia est: si reperiuntur qui res cælestes, solem,

Digitized by Google

Hunc solem, et stellas, et decedentia certis
Tempora momentis, sunt, qui formidine nulla
Imbuti spectent: quid censes munera terræ?
Quid maris extremos Arabas ditantis et Indos?
Ludicra quid, plausus, et amici dona Quiritis?
Quo spectanda modo, quo sensu credis et ore?
Qui timet his adversa, fere miratur eodem,
Quo cupiens, pacto; pavor est utrique molestus,
Improvisa simul species exterret utrumque.
Gaudeat, an doleat; cupiat, metuatne; quid ad rem,
Si, quicquid vidit melius pejusve sua spe,
Defixis oculis, animoque et corpore torpet?
Insani sapiens nomen ferat, æquus iniqui,

stellas et tempora, id est, quatuor anni tempestates, decedentes, id est, finem accipientes, aliis succedentibus, ot quasi abeuntes, certis mensibus ac momentis, qui hæc, inquam, spectent imbuti, id est, perculsi, affecti nulla formidine, id est, admiratione, perturbatione et religioso motu, quid censes? quomodo spectandas credis, quo vultu et animo despiciendas res multo illis cælestibus inferiores, v. g. terræ munera et maris, etc. Ed.

3. *Et decedentia certis Tempora momentis*, et quatuor anni tempora ad solis cursum præstituto momento decedentia.

5. *Quid maris*, etc. Subaudi munera. Ed. — *Ludicra*; ludos in circo et theatro edi solitos. Ed. — *et amici dona Quiritis*, honores Quiritium favori debitos. Ed. — *Qui timet his adversa*, etc. Qui timet res contrarias his supra dictis, nempe divitiis, honoribus, plausibus, qui timet repulsam paupertatem, is miratur, perturbatur, afficitur eodem modo ac ille qui cupit, dvitias et honores. Nam, ut ait Cicero in Orat. pro Sextio, « Ei qui tali rumore tenetur, plausum immortalitatem, sibilum mortem videri necesse est. » Pavet igitur uterque, is qui timet, ne eveniant quæ timet: is qui cupit, ne non eveniant quæ cupit: sic utrobique molestus simul ac species improvisa, id est, eventus non prævisus opprimit utrumque. Ed. — *species*, h. e. spectaculum, res visa; sic Virg. Æn. II, vs. 407 de Chorœbo raptam ab hostibus Cassandram vidente : « Non tulit hanc *speciem* furiata mente Chorœbus. » Ed.

13. *Gaudeat, an doleat*, etc. Quid refert gaudio an dolore, cupiditate an metu aliquis perturbetur, si quoque eventu, vel melior vel pejor sit sua exspectatione, ita percutitur et movetur, ut in eo oculos defigat quasi hebes, et animo corporeque torpeat? Ed.

Digitized by Google

Ultra quam satis est virtutem si petat ipsam.
I nunc, argentum et marmor vetus, æraque et artes
Suspice, cum gemmis Tyrios mirare colores:
Gaude, quod spectant oculi te mille loquentem:
Gnavus mane forum, et vespertinus pete tectum,
Ne plus frumenti dotalibus emetat agris
Mucius; indignum quod sit: pejoribus ortus,
Hic tibi sit potius, quam tu mirabilis illi?
Quidquid sub terra est, in apricum proferet ætas,
Defodiet condetque nitentia: quum bene notum

16. *Ultra quam satis est,* etc. Tantum abest, ut rerum vilium cupiditate perturbari debeamus, ut ne ipsa quidem virtus cum nimio ardore optari et quæri debeat: insanusque dici homo sapientissimus, et iniquus haberi homo æquissimus possit, nisi moderate et intra certos limites virtutem colat. Eodem sensu Cicero, Tuscul. lib. IV: « Studia vel optimarum rerum, sedata tamen, et tranquilla esse debent; » et paulo post: « Etiam si virtutis ipsius vehementior appetitus sit, eadem sit omnibus ad deterrendum adhibenda oratio. » Ed.

17. *I nunc,* formula, qua cum irrisione jubemus aliquem frustra aliquid tentare; infr. Epist. II, 2, 76. « I nunc, et versus tecum meditare canoros. » — *argentum,* sc. factum, h. e. vasa argentea. — *marmor vetus,* veteres statuas, veterum Græcorum artificum opera ex marmore confecta. — *æraque,* intellige vasa, lebetes et alia affabre ex ære facta; supr. Od. IV, 8, 2. « Grata æra. » — *et artes,* artis opera; vid. supr. l. l. ad v. 5; et ad Sat. lib. I, 4, 28. — *Suspice,* mirare; qui enim miratur vulgo suspicit. Ed.

19. *Loquentem,* verba facientem coram populo. — *Gnavus mane forum,* etc. Acer primo mane in forum venias vel ad causas dicendas, vel ad commercium fœnusque exercendum, vel ad postulandos honores, captandaque suffragia. Ed. — *dotalibus,* non patriis, sed uxoris dote acceptis. — *Mucius,* homo ignobilis, non sua industria, nec labore dives factus. Ed. — *indignum quod sit.* Quod indignum sane et vix ferendum, quum ignobiliore loco natus sit. — *Hic,* etc. Ergo hic abjectus animum tuum potius ad se, quam tu patricius animum ejus ad te advertas? Ed.

24. Postquam poeta hominem irrisit, qui divitias et honores expetit, ut ignobiliori loco natum superet, jam seria loquens, hæc omnia ex naturæ et temporis arbitrio pendere docet. Ed. — *Quidquid sub terra est,* etc. Jam Lambinus comparat ex Sophoclis Ajace v. 639: « Χρόνος φύει τ' ἄδηλα, καὶ φανέντα κρύπτεται. » — *Quum bene not.* etc. Postquam te (*bene notum*) et ho-

Digitized by Google

Porticus Agrippæ, et via te conspexerit Appî,
Ire tamen restat, Numa quo devenit et Ancus.
Si latus aut renes morbo tentantur acuto,
Quære fugam morbi. Vis recte vivere? quis non?
Si virtus hoc una potest dare, fortis omissis
Hoc age deliciis. Virtutem verba putes, ut
Lucum ligna? cave ne portus occupet alter;
Ne Cibyratica, ne Bithyna negotia perdas;

moribus, et magnificentia nobilem in Agrippæ porticu et via Appia conspiciendum præbueris. — Ad pretiosissima opera, quæ M. Vipsanii Agrippæ munificentiæ debebat populus Romanus, pertinebat quoque *porticus* prope Pantheon, ab eodem Agrippa exstructum; in hac beatiores deambulare, in *via Appia* autem curru maxime vecti volitare et se ostendere solebant; hinc supr. Epod. IV, 14, superbus quidam homo *Appiam mannis terere* dicitur; de *via Appia*, Roma Capuam, et inde Brundusium ducente, ab *Appio Cæco*, censore, magnifice strata, vid. Liv. IX, 29. — *Numa quo devenit et Ancus*, ut supr. Od. IV, 7, 15. « Nos, ubi decidimus, Quo pius Æneas, quo dives Tullus et Ancus, Pulvis et umbra sumus. »

28. *Si latus*, etc. Nexus et sensus: Si ægrotas, morbum pelle remediis; si vis recte vivere, age, spretis voluptatis illecebris, virtutem, quæ sola te docere potest rectiora, sequere. Quodsi vero putas, virtutem vano tantum nomine, non ipso virtutis exercitio, ut lucum arboribus solis, non pio deorum cultu, constare, i, præfer virtuti divitias, intende cursum, ne alter citius portus occupet; cave, ne quid jacturæ facias in negotiis tuis; mille talenta rotunda; accipe ex manibus Reginæ Pecuniæ quævis dona, et iis exsplendesce. — *Tentantur*, affliguntur; sic *tentare* sæpe de morbo. — *Quære f. morbi*, quære remedia, quibus in fugam compellatur morbus. — *fortis... Hoc age*, fortiter aggredere virtutis opus, *omissis deliciis*, rejecto corporis voluptatis et mollioris vitæ fructu.

32. *Portus occupet*. *Portus occupare* jam est: portus prius altero occupare, (φθάνειν) h. e. præoccupare, supr. Od. II, 12, 28: « Interdum rapere (oscula) *occupat*. » Liv. I, 14: « bellum facere occupant. » Idem I, 3: « Occupat Tullus in agrum Sabinum transire. » Mercator, qui prior altero in portum veniebat, advectas merces majore pretio vendere poterat. — *Cibyratica... Bithyna neg.* mercatores enim Romani ex urbe Phrygiæ, Cibyra, et e Bithynia (cf. supr. Od. I, 35, 7) merces suas petere solebant; quas quidem qui non maturius advehendas curabant, *negotia sua*, h. e. quæstum *perdebant*. — *Rotundentur*, colligantur, ut summa rotundi numeri efficiatur; Gall. *somme*

Digitized by Google

Mille talenta rotundentur; totidem altera porro, et
Tertia succedant, et quæ pars quadret acervum.
Scilicet uxorem cum dote, fidemque, et amicos,
Et genus et formam regina Pecunia donat:
Ac bene nummatum decorat Suadela, Venusque.
Mancipiis locuples, eget æris Cappadocum rex:
Ne fueris hic tu. Chlamydes Lucullus, ut aiunt,
Si posset centum scenæ præbere rogatus,
Qui possum tot? ait: tamen et quæram, et, quot habebo,
Mittam: post paulo scribit, sibi millia quinque

ronde, compte rond. Ed. — *altera*, sc. mille talenta; Virg. Ecl. III, 71: « Aurea mala decem misi; cras altera (sc. decem) *mittam*. » Terent. Heaut. IV, 4, 3: « Minas jam decem habet a me filia; Hasce consequentur alteræ, » sc. decem minæ. — *et quæ pars quadr. acerv.* et quæ efficit, ut quatuor millia talentorum fiant.

36. *Fidemque*: nos: *crédit.*—*genus*, nobilitatem. — *formam*, pulchritudinem. — *reg. Pec.* pecunia, cui, ut dominæ, (ut Horatius loquitur supr. Sat. II, 3, 96) *omnia parent*, apposite appellatur *regina*; comparant Hesiod. 686: « χρήματα γὰρ ψυχὴ πίλναται ἀνθρώποισι. »—*Ac bene numm. dec. Suad. Venusque*, qui dives est, in ejus comitatu Suadela et Venus conspiciuntur, h. e. ei divitiæ speciem facundiæ et amabilis gratiæ obtendunt; is, qui dives est, ab iis, qui divitias admirantur, facundus et amabilis habetur; de templo Veneri et Suadelæ, ut deabus παρέδροις, a Græcis exstructo, vid. Torrent.

39. Nexus et sensus: Coacerva divitias, non quales sunt regis Cappadociæ, quem, nil nisi servos habentem, deficit pecunia, sed quale possedisse dicitur Lucullus, qui tam dives fuit, ut, quæ possideret, ipse nesciret. Hinc ille, rogatus aliquando, ut spectaculo edendo centum paludamenta suppeditaret, quum primum dubitasset, se tot habere, rebus suis inspectis, non centum, sed quinque millia paludamentorum invenit. Illa enim domus, quæ non ita omnibus rebus abundat, ut, quantæ illæ sint, ipse dominus ignoret, tenuis et *exilis* est. —*Mancipiis locuples eget æris Cappadocum rex*: plurima incolarum Cappadociæ pars fuerunt servi, iique abjectissimi, vid. Cic. in Orat. P. Red. in Sen. c. 6; rex igitur Cappadocum dicitur: *locuples mancipiis*, sed *egens æris*; unde Cicero ad Atticum VI, 1, de Cappadocia (Asiæ minoris provincia): « Nihil illo regno spoliatius, nihil illo rege egentius. »— *Ne fueris hic*: ne tu, ut rex Cappadociæ, pecunia egueris; sive, hanc pecuniæ penuriam fugeris! ultima in *fueris* per arsin

Digitized by Google

Esse domi chlamydum; partem, vel tolleret omnes.
Exilis domus est, ubi non et multa supersunt,
Et dominum fallunt, et prosunt furibus. Ergo
Si res sola potest facere et servare beatum,
Hoc primus repetas opus, hoc postremus omittas.
Si fortunatum species et gratia præstat;
Mercemur servum, qui dictet nomina, lævum
Qui fodiat latus, et cogat trans pondera dextram

producitur. — *Chlamydes*, quæ fere fuerunt purpureæ. — *Tolleret*, sc. rei scenicæ curator, vel ædilis, a quo Lucullus rogatus fuerat. — *Exilis*, inops, tenuis, ut supr. Od. I, 4, 17. « domus exilis Plutonia... » — *Et dominum fallunt*, et ea, quæ supersunt, ipsi domino ignota sunt.

47. *Ergo Si res sola*, etc. *Ergo*, si virtutem verba, sive nomen inane putas, et *res sola*, solæ divitiæ, te beatum reddere et præstare possunt. — *Hoc primus repetas*, etc. In hoc opere, scilicet colligendarum divitiarum tam impiger sis, ut primus hoc repetas, et postremus relinquas. Ed.

49. *Si fortunatum*, etc. Postquam de divitiis generaliter locutus est, jam varios earum usus attingit poeta. Scilicet divitias exquirunt alii ut magnifice et in honore vivant, alii ut cœnæ voluptatibus fruantur, alii denique ut amori jocisque indulgeant. Ed. — *Species* jam, ut ex sequentibus apparet, externus splendor, externa dignitas, honoris amplitudo. Cicero in Pis. cap. II, « magnum nomen est, magna *species*, magna dignitas, magna majestas consulis. » — *gratia*, favor populi. — *præstat* pro : (quod modo dictum est) *facit* et *servat*. — *Mercemur servum*, age, mercare servum, qui, quum prodis in publicum, prætereuntium, quorum favorem ad consequendos honores tam salutando, quam prensando tibi concilies, nomina suggerat; hinc ejusmodi servus vocabatur *nomenclator*.

51. *Fodiat*, vel *fodicet*, iterum impellat. Fodere latus, est latina locutio, pro monere, incusso ejus, qui monetur, lateri leviter, ut fit, cubito. Terent. Hecy. act. III, sc. 5, « dic jussisse te. — Noli fodere, jussi. » Ed. — *et cogat*, et te incitet, *trans pondera dextram porrigere*, dextram trans ea, quæ obstant, extensam porrigere transeuntibus, pro simplice : prensare. Quid per *pondera* intelligendum sit, relictum est divinationibus. Hinc variæ in hoc loco explicando allatæ sunt ab Interpretibus opiniones. Ferrarius de Re Vest. III, 2, cujus explicationem acriter defendit Fea, intelligebat *pondera togæ*, sive infimum togæ limbum, quo manus tegebatur. Sed si hoc voluisset Horatius, eum vix vocem *togæ* omissurum fuisse existimes. Alii per *pondera* intelligunt quævis molesta obstacula, viam intersepientia, trans quæ dextra in-

Digitized by Google

Porrigere : Hic multum in Fabia valet, ille Velina;
Cui libet, is fasces dabit, eripietque curule,
Cui volet, importunus ebur : Frater, Pater, adde;
Ut cuique est ætas, ita quemque facetus adopta. 55.
Si, bene qui cœnat, bene vivit, lucet, eamus,
Quo ducit gula : piscemur, venemur; ut olim
Gargilius, qui mane plagas, venabula, servos
Differtum transire forum populumque jubebat,
Unus ut e multis populo spectante referret 60

clinato corpore porrigi debebat prætereuntibus. Ego autem sic : *trans pondera;* ultra æquilibrium corporis *ponderibus* suis librati (*l'aplomb du corps*) extendere manum cum periculo cadendi; ad designandam celeritatem, qua candidatus conatur civem apud tribules suos gratiosum apprehendere, cum illo jungere gradus, et in campum secum producere, ut sic populi suffragiis commendetur. Ed.

52. *Hic multum*, etc. Sunt verba nomenclatoris; *Hic*, digitum scilicet in prætereuntem intendit nomenclator. — *in Fabia... Velina*, nomina tribuum. — *Cui libet, is fasc.* etc. Hic dabit (*fasces*) consulatum ei, cui illum dare libet, et eripiet (*ebur*) sellam eburneam, h. e. curulem ei, cui illam eripere volet; designat igitur jam nomenclator viros, quorum in suffragiis ineundis multum valebat potentia et auctoritas. — *importunus* jam dicitur, qui honores petenti importune adversatur. — *Frater, Pater adde; Ut cuique est ætas*, etc. Ejusmodi virum appella, et pro cujusque ætate adde vel familiariter *Frater*, vel verecunde *Pater;* si in tua ætate constitutus est, dic *Frater;* si est senex, dic *Pater*. — *Frater*, sic de intimis amicis, supr. Epist. I, 3, 38 : « fraternum fœdus, » et inf. I, 10, 4 : « Fraterni amici. » — *facetus*, comiter, lepide. Ed. — *adopta*, tanquam adoptatum, tanquam ingentem tuam transierit, appella.

56. *Si, bene qui cœnat, bene vivit*, si ea vita fortunata est, quæ in cœnæ deliciis agitur. Ed. — *lucet*, age, jam dies illucescit : *piscemur, venemur*, pro vulgari : ut lautas nobis comparemus epulas, ideo jam poeta dixit : *piscemur, venemur*, ut captaret occasionem obiter carpendi *Gargilium*, ridiculum venatorem. Is enim, quum venatum iret, ut oculos hominum in se converteret, mane frequens forum transire solebat, retia, jacula, servos, mulos, etc. secum ducens, quasi magnam e venatione prædam reportaturus esset. Sed ecce! e multis mulis unus tantum nil nisi aprum, nec eum quidem captum, vel fixum, sed emtum reportat. Nos quoque non raro e venatione videre solemus redeuntes, qui gestant manticam, lepore non ab ipsis percusso, sed emto turgentem.

60. *Unus ut*, eo eventu, ut unus

Digitized by Google

Emtum mulus aprum. Crudi tumidique lavemur,
Quid deceat, quid non, obliti; Cærite cera
Digni; remigium vitiosum Ithacensis Ulyssei,
Cui potior patria fuit interdicta voluptas.
Si, Mimnermus uti censet, sine amore jocisque 65
Nil est jucundum, vivas in amore jocisque.
Vive, vale: si quid novisti rectius istis,
Candidus imperti; si non, his utere mecum.

mulus, etc. — *populo spectante*, et simul ridente.

61. *Crudi*, ita dicuntur, qui tam largiter se ingurgitarunt, ut cruditate laborent, asoti.—*tumidique*, sc. epulis, ut apud Persium, III, 98: « Turgidus hic epulis. » — *lavemur*, quanquam enim iis, qui cibos nondum concoxerunt, perniciosa est lavatio, ea tamen non abstinebant homines gulosi. Huc pertinet locus Juvenal. Sat. I. 142-3. « Pœna tamen præsens, quam tu deponis (in balneo) amictus *Turgidus*, et crudum pavonem in balnea portas. » — *Cærite cera digni*, digni, qui jure suffragii privati fiant, qui notentur ignominia, ut illi qui Cæritum in tabulas referuntur. Cære sive Cærete, olim Argylla, urbs Etruriæ fuit, cujus incolæ ob vestales virgines, in bello Gallico benigne receptas, jus romanæ civitatis erant adepti : sed quum a Romanis postea defecissent, ea mulctati fuere pœna, ut suffragii ferendi jure privarentur. Hinc factum est postea, ut Cæritum cera pro nota ignominiæ usurpata fuerit; et qui tribu movebantur, qui privabantur jure suffragii, illi in Cæritum tabulas referri dicerentur. Porro cera, in hoc proverbio significat tabellam ligneam cera obductam, in qua scribebantur illi qui privabantur suffragio. Ed.— *Remigium vitiosum*, sicuti *remigium vitiosum Ithacensis Ulyssei*, h. e. sicut vitiosi et corporis sensuumque voluptati dediti socii Ulyssis, qui interdictæ voluptatis fructum prætulerunt patriæ. — *interdicta*, monuerat Ulysses socios, ne Circes poculis et Sirenum cantibus se capi paterentur, sed frustra. Ad *remigium vitiosum* Horatius, ut sæpe alibi (vid. supr. ad Epist. I, 2, 42), particulam comparationis *sicuti*, *veluti*, omisit.

65. *Mimnermus*, poeta Colophonius vel Smyrnæus, qui scripsit carmina elegiaca in re amatoria versantia. *Mimnermi* laudes Propertius, I, 9, 11, 12, complexus est his duobus versibus : « Plus in amore valet Mimnermi versus Homero; Carmina mansuetus lenia quærit Amor. » — *Mimnermi* versus autem, quos respexit Horatius, Cruquius e Plutarcho et Muretus e Stobæo attulit : « Τίς δὲ βίος, τί δὲ τερπνὸν ἄτερ χρυσῆς Ἀφροδίτης ; Τεθναίην, ὅτε μοι μηκέτι ταῦτα μέλοι. » — *vivas amore jocisque*, ironice dictum. — *istis*, sc. quæ dixi de felicitate, quam una virtus dare potest.—*imperti*, participem me fac.

Digitized by Google

ANALYSIS. In hac quoque Epistola illud argumentum, jam multoties antea tractatum, attigit poeta, scilicet felicitatem in sola virtute positam esse. Docet eum qui ambitione aut aviditate laborat, aliquo semper vehementi sensu, pavore scilicet et metu torqueri. Cuncta igitur non nisi moderate appetenda, nec dolendum esse quod quis natu ignobilior nos divitiis aut honoribus superet, quum omnibus eodem, id est, ad mortem sit eundum. Divitiarum deinde varios usus explicans, honores scilicet fidemque, cœnæ voluptates, amoris et jocorum delicias, socratica quadam expositione, quam inania sint ea omnia, quam ab iis distet vera vitæ felicitas, ostendit. ED.

EPISTOLA VII.

AD MÆCENATEM.

Poeta longiorem in villa, ubi corporis reficiendi causa commorabatur, absentiam apud Mæcenatem excusat, dum, se ibi quoque beneficiorum memorem vivere fidem facit.

QUINQUE dies tibi pollicitus me rure futurum,
Sextilem totum mendax desideror. Atqui,
Si me vivere vis, recteque videre valentem,
Quam mihi das ægro, dabis ægrotare timenti,
Mæcenas, veniam; dum ficus prima calorque
Designatorem decorat lictoribus atris;

1. *Quinque dies*, etc. Quum a te, Mæcenas, in villam meam secederem, me quinque tantum dies ibi commoraturum esse tibi promisi, sed (*mendax*) non steti his promissis, nam tu jam totum Sextilem exspectas meum reditum; — mensis *Augustus* vocatur *Sextilis*, quia ille ex prisca mensium numerandorum ratione et ordine, qui a mense Martio incipit, *sextus* est. Macrob. lib. I, c. 12.—*Atqui*, nihilominus tamen. ED. — *dabis... veniam*, sc. diutius in villa mea delitescendi, (*dum*) hoc anni tempore, quod, grave valetudini, et morbos et mortem adducere solet. Scripsisse videtur hancce Epistolam sub initio mensis Septembris, appropinquante jamjam autumno, qui sup. quoque, Sat. II, 6, 19, « gravis et Libitinæ quæstus acerbæ » vocatur. Breviter autem et eleganter Horatius descripsit tempus autumni (*dum prima ficus et calor decorat*), quo fici maturitatem trahunt, et solis fervor perniciosam in corpora vim habet. — *Designatorem; desi-*

Digitized by Google

Dum pueris omnis pater et matercula pallet;
Officiosaque sedulitas, et opella forensis
Adducit febres, et testamenta resignat.
Quod si bruma nives Albanis illinet agris,
Ad mare descendet vates tuus, et sibi parcet,
Contractusque leget. Te, dulcis amice, reviset
Cum Zephyris, si concedes, et hirundine prima.
Non, quo more piris vesci Calaber jubet hospes,

gnator, qui ordinem in funere servandum moderatur, et suum cuique, qui funus sequitur, locum *designat;* nos: *maître des cérémonies.* — *decorat designatorem,* facit, efficit, ut designator funerum *decoretur* (honorifice cingatur) *atris lictoribus; lictores atri* (atra veste induti) erant administri, qui, sicut lictores consulibus, ita præsto adessent designatori ad populum submovendum, et ad alia in funeribus subeunda officia. Vid. Kirch. de Fun. Rom. IV, 9.

7. *Pallet,* metuit de illorum valetudine. Ed. — *Officiosaque sed. et op. for.* varia officiorum genera et varia negotia, quæ in urbe viventi a primo mane usque ad noctem *per caput et circa saliunt latus,* suaviter Horatius supr. Sat. II, 6, inde a v. 20. enarravit. — *opella forensis,* opera in foro navanda amicorum, vel clientium gratia. Ed. — *testamenta resignat,* qui moriuntur, eorum post mortem testamenta aperiuntur; facete igitur autumnale tempus, quo maxime mori solent homines, *resignare testamenta* dicitur.

10. *Quod si bruma,* etc. Redeunte vere demum ad te redibo; hiemem enim valetudinis confirmandæ causa in oris maritimis transigam. — *Quod si* de tempore, pro: quum, quando; jam exempla dedit ad h. l. Lambinus. — *nives illinet,* adsperget, immittet; *Albanis* (Schol. Cruq. *Latinis*) *agris,* montes certe Latini nive obtecti conspiciebantur hieme. — *Ad mare,* sc. inferum. Lambinus sinum Tarentinum intelligendum esse suspicatur, cui suspicioni favet v. 45, et locus supr. Od. II, 6, 10. seqq. — *sibi parcet,* sibi cavebit ab iis, quæ valetudini nocent, diligentem valetudinis curam habebit; sic supr. Sat. I, 4, 127: « mortis metu sibi parcere. » — *Contractusque leget: contractus,* scil. in locum angustum. Horatius ait, se, quum ex agris late patentibus se recepisset in tectum vel cubiculum angustius, *contractum* (συνεσταλμένον) ibi tempus legendo fallere velle. Similiter Horatius supr. Sat. II, 3, 11, « tectum tepidum, » ut locum carminibus scribendis aptum, laudat. — *hirundine prima,* hirundines per hyemem in loca calidiora secedere, inde autem, æstate appetente, redire quis nescit? Ed.

14. *Non, quo more piris,* etc. Tu me beasti donis, non levioribus, non piris, quæ, nihil fere pretii habentia,

Digitized by Google

Tu me fecisti locupletem.—Vescere sodes.
—Jam satis est.—At tu quantumvis tolle.—Benigne.
—Non invisa feres pueris munuscula parvis.
—Tam teneor dono, quam si dimittar onustus.
—Ut libet: hæc porcis hodie comedenda relinques.
Prodigus et stultus donat, quæ spernit et odit:
Hæc seges ingratos tulit, et feret omnibus annis.
Vir bonus et sapiens dignis ait esse paratus;
Nec tamen ignorat, quid distent æra lupinis.
Dignum præstabo me etiam pro laude merentis.

obtrudit rusticus se adeuntibus, non donis, quæ prodigus et stultus, quia nihil pretii iis statuit, largiri solet, sed talibus, qualia vir bonus et sapiens iis, quos illis dignos censet, dare paratus est. — *Calaber hospes,* pro quovis rustico.

15. *Vescere sod.* Lepide Horatius rusticum quemdam ad rusticorum ingenium colloquentem inducit cum homine, qui illum salutatum venerat; rusticus hospes offert hospiti pira, *vescere sodes,* inquiens; hospes sumit quædam, addens: *jam satis est;* at sume tibi, ait rusticus, quotquot sumere tibi placet; hospes, plura pira sumere nolens, respondet: *benigne;* utuntur hac voce, qui urbane aliquid recusant, sic καλῶς apud Græcos. — *non invisa feres,* si tibi istis non opus est, instat *Calaber,* at ea pueris tuis dabis. Ed.—*Tam ten. dono,* etc. Egregie in hoc quoque versu vulgaris hominum in dono aliquo recusando sermo exprimitur: donum tuum æque mihi gratum est, ac si illud accepissem; — *hæc porcis hod. com. rel.* en rusticum vel hominem inurbanum!

21. *Hæc seges,* etc. Ejusmodi sparsa a stultis et prodigis dona nunquam gratos animi sensus protulerunt, nec unquam proferent.

22. *Vir bonus et sapiens,* qualis tu es, Mæcenas, *dignis ait esse paratus* (ὁ καλὸς κἀγαθὸς τοῖς ἀξίοις φησὶν εἶναι πρόθυμος), græca constructio pro: *se paratum* esse *dignis,* h. e. iis, qui donis et beneficiis digni sint. Catull. IV, 2: « Phaselus ille, quem videtis, hospites, Ait fuisse navium celerrimus. » Alii legunt *paratum.* — *Nec tamen,* etc. Idem tamen probe scit, quid intersit inter vera et falsa, inter proba et improba, inter sincera et assimulata, h. e. idem tamen probe scit, qui donis digni, quive donis indigni sint; *lupinus,* leguminis est genus; *lupinos* autem non tantum pueri in ludis puerilibus pro nummis, sed etiam histriones in comœdiis pro auro annumerare solebant; hinc apud Plaut. Pœnul. III, 2, 20, *lupini* vocantur *aurum Comicum.*

24. *Dignum præstabo me etiam pro laude merentis;* id est, tuis donis ita me dignum præbebo, ut etiam lau-

Digitized by Google

Quod si me noles usquam discedere, reddes
Forte latus, nigros angusta fronte capillos;
Reddes dulce loqui; reddes ridere decorum, et
Inter vina fugam Cinaræ mœrere protervæ.
Forte per angustam tenuis nitedula rimam
Repserat in cumeram frumenti; pastaque rursus
Ire foras pleno tendebat corpore frustra :

deris, quod tua beneficia ego merucrim : non ergo *pro* laude *merentis* tmesis est, seu divisio vocis unius in duas : ut Dacerius et alii frustra contendunt. Ed.

25. *Quod si me noles usquam discedere*, quod si cupies, me nusquam a te abire, sed semper tibi Romæ adesse et lateri tuo adhærere, pristinam corporis firmitatem et pristinum animi vigorem mihi reddas, necesse est. — *Forte latus : latus* vel *latera* passim de corporis viribus, quia tam virium robur, quam earum defectus in lateribus præcipue sentitur; Horatius igitur, quia corporis vires eum deficere cœperant, reddi sibi optat *forte latus*. — *nigr. ang. fr. capillos*, ergo niger olim capillus, frontis angustæ decor, jamjam cœpit albescere. — *angusta fronte*, vel quod capilli adeo spissi erant, ut frons angusta videretur; vel quod pars venustatis fuit apud Romanos frons angusta; vid. Od. I, 33, 5, et ibi notata. Ed. — *Dulce loqui*, sermonum lepores et veneres. — *ridere decorum*, id est, ætatem quam risus decet. Ed. — *Inter vina fug. Cinaræ mœrere protervæ*. Respexit Horatius rem, quam ignoramus. Fortasse Cinara *proterva*, quam aliquando post amatoriam, ut videtur, altercationem fugisset Horatium, hac fuga ejus animum oppleverat mœrore, quem ille ne inter pocula quidem dissimulare potuit. Ceterum *Cinara*, ut ex hoc loco apparet, et supr. Od. IV, 1, 3-4 : « Non sum, qualis eram *bonæ* Sub regno Cinaræ : » cf. infr. Ep. I, 14, 33, præ aliis omnibus puellis placuisse videtur Horatio.

29. *Forte per angustam*, etc. Nexus sententiarum : Non sum homo, qui apud te, Mæcenas, pasci et pinguescere volui; non in domum tuam, ut nitedula in cumeram frumenti, irrepsi; nam si comparor cum mure illo agresti, qui unice spectaverim hoc, ut apud te pinguescerem, omnia a te accepta reddere paratus sum. In hac fabula, ab Æsopo sumpta, pro mure vulpeculam posuisse videtur Horatius. In qua emendatione sane erravisse nostrum poetam contendit Bentleius, cujus notabilem Excursum vide ad calcem hujus Epistolæ. Ed. — *Nitedula* et *nitela*, murium agrestium genus; formata hæc vox videtur a *nitendo*, *enitendo*, quia mures saltu enituntur in loca superiora. — *pleno*, impleto frumenti granis. Per oppositionem verbi *tenuis*. Hoc argumentum apud Fontanium quoque tractatum reperies lib. III,

Digitized by Google

Cui mustela procul, « Si vis, ait, effugere istinc,
Macra cavum repetes arctum, quem macra subisti. »
Hac ego si compellor imagine, cuncta resigno:
Nec somnum plebis laudo, satur altilium, nec
Otia divitiis Arabum liberrima muto.
Sæpe verecundum laudâsti; rexque paterque
Audisti coram, nec verbo parcius absens:
Inspice, si possum donata reponere lætus.
Haud male Telemachus, proles patientis Ulyssei:

Fab. 17, in qua ad verbum sic expressus est versus 33: « Vous êtes maigre entrée, il faut maigre sortir. » Ed. — *tendebat*, contendebat, significantius, quam tentabat.

34. *Hac ego si compellor imagine*, si ad me transfertur hæc fabula, quasi ego quoque hoc consilio, ut muneribus a te accipiendis fruerer, in tuam, Mæcenas, amicitiam adrepserim, cuncta *resigno*, reddo; supr. Od. III, 29, 54: « si celeres quatit (Fortuna) Pennas, resigno, quæ dedit. » — *Nec somnum plebis*, etc. Sensus: non pauperum frugales cibos et sequacem somnum laudo, postquam exquisitis dapibus saturatus sum, aliter dicturus, si ipse sobrius fieri cogerer: immo illud etiam, ubi libere mihi vivere et studiis meis vacare possum, summis quibusque divitiis præfero. Horatius igitur Mæcenati, se nequiquam lautioris vitæ causa ejus amicitiam petiisse dicit. Ed. — *altilium*, ad lautas epulas pertinent *altiles*, h. e. aves (anseres, gallinæ, etc.), quæ *aluntur* et seginantur in aviario. — *divitiis Arabum*. Supr. Od. I, 29, 1: « beatæ Arabum gazæ. »

37. *Sæpe verecundum*, etc. Tu ipse sæpe me ut hominem verecundum laudasti, et ego te, non tantum coram, sed etiam absentem, *regem* et *patrem* celebravi, et veneratus sum; *audit* aliquis *rex*, qui nomine regis insignitur, pro rege habetur. — *Inspice, si*, etc. Dixi modo, me, si forte ego tibi videar similis nitedulæ ex fabulis, *cuncta resignare velle*; vide igitar, (*si*) an ea, quæ mihi donasti, (*lætus*) prompto paratoque animo (*reponere*) reddere possim. — *reponere*, pro: reddere, Plaut. in Pers. I, 2, 38: « Ut mihi des nummos sexcentos... Quos continuo tibi *reponam* in hoc triduo, aut quatriduo. » Senec. de Benef. IV, 32: « Quid cuique debeam, scio, aliis post longum diem *repono*, aliis in antecessum. »

40. Telemachus quoque equos, dono sibi a Menelao oblatos, generoso animo recusavit. — *patientis*, (πολυτλήμονος, πολύτλαντος,) eodem sensu Ulysses supr. Epod. XVII, 16, dicitur *laboriosus*. — *Non est aptus equis Ithace locus*, etc. Non possum equos mihi oblatos accipere, nam patria mea Ithaca non apta est alendis equis; aptiores alendis equis sunt lati campi, quibus tu imperas. Expressit Hora-

Digitized by Google

« Non est aptus equis Ithace locus; ut neque planis
Porrectus spatiis, neque multæ prodigus herbæ:
Atride, magis apta tibi tua dona relinquam. »
Parvum parva decent: mihi jam non regia Roma,
Sed vacuum Tibur placet, aut imbelle Tarentum.
Strenuus et fortis, causisque Philippus agendis
Clarus, ab officiis octavam circiter horam
Dum redit, atque foro nimium distare Carinas,
Jam grandis natu, queritur, conspexit, ut aiunt,

tius Homerum Odyss. IV, 601 seqq. « Ἵππους δ' εἰς Ἰθάκην οὐκ ἄξομαι, ἀλλά σοι αὐτῷ Ἐνθάδε λείψω ἄγαλμα· σὺ γὰρ πεδίοιο ἀνάσσεις Εὐρέος... Ἐν δ' Ἰθάκῃ οὔτ' ἀρ δρόμοι εὐρέες, οὔτε τι λειμών. » *ut... Porrectus*, utpote, vel quippe porrectus, porrectus nempe; sic *ut* apud Plaut. Curcul. II, 1, 2: *Ut qui*, etc. Quippe qui.

44. *Regia Roma*, ut supr. Od. IV, 14, 44: « domina Roma, » et, Od. IV, 3, 13: « Roma princeps urbium. » — *vacuum*, ut infr. Epist. II, 2, 81: « vacuæ Athenæ; » loca dicuntur *vacua*, ubi a rebus negotium facessentibus remoti in bono otio nobis vivere et studiis nostris vacare possumus; similiter supr. Epod. V, 43: *Neapolis* dicitur *otiosa*. — *imbelle*, otiosum, voluptatibus deditum.

46. *Strenuus*, etc. Jam Horatius, ut ostendat, quam stulte agant, qui, non acquiescentes in ea, qua utuntur, sorte, lautiora et ampliora appetunt, suavem narrationem adspergit de præcone quodam, Vulteio Mena, qui, quum a Philippo, nobili jurisconsulto, se adduci passus esset, ut, agellum sibi mercatus, ex præcone fieret rusticus, stultum, quod ceperat, fuisse consilium, experientia edoctus est. — *Philippus*, si spectes laudes, quas Cicero passim *L. Philippo Q. F. e Marciis* (vid. Ernest. Clav. Cic. s. v. *L. Philippus*) tribuit, jure meritoque jam vocatur *strenuus* et *fortis*.

47. *Ab officiis*, quæ Philippus in foro causas pro clientibus dicendo obierat. — *Carinas*, intellige urbis regionem, ubi habitabat Philippus; ibidem fuerunt ædes Ciceronis, a majoribus hæreditate acceptæ, et Pompeii. Vet. Schol. « Carinæ locus apud Tellurem, ubi est Pompeiana domus. » — *conspexit, ut aiunt*, etc. Hunc locum ita intelligo: Philippus, dum queritur de molestia, quam sibi grandævo domum redeunti creet via longior, conspicit aliquem otiose in tonstrina sedentem, unguesque sibi (*leniter*) placido tranquilloque animo purgantem. Invidia tactus hujus felicioris hominis adspectu servum, qui, quis sit ille, percontetur, in tonstrinam mittit, etc. Ipsa hæc narratio eo, quod personæ tam loquentes, quam agentes inducuntur, multo, ut alibi, fit suavior et vividior; rem omnem autem, ut probaret sententiam, eos tantum recte felices dici posse, « qui

Digitized by Google

Adrasum quendam vacua tonsoris in umbra,
Cultello proprios purgantem leniter ungues.
« Demetri, (puer hic non læve jussa Philippi
Accipiebat), abi, quære, et refer : unde domo, quis,
Cujus fortunæ, quo sit patre, quove patrono. »
It, redit et narrat : Vulteium nomine Menam,
Præconem, tenui censu, sine crimine notum;
Et properare loco, et cessare, et quærere, et uti,
Gaudentem parvisque sodalibus, et lare certo,

sorte sua contenti vivant, » finxisse videtur Horatius. — *Adrasum*, vulgo explicant *libertinum*, quia capitis crines adrasi fuerint manumissis. Alii autem volunt libertinum, præcipue jam in tonstrina sedentem, vix dictum esse simpliciter adrasum; putantque Menam, postquam ejus barba abrasa fuit a tonsore, otiandi causa, in *vacua tonsoris umbra* (h. e. in otiosa tonstrina; de voce *vacuus* vide supr. ad v. 45) remansisse, et in hoc otio ipsum sibi *leniter* ungues purgasse. Ed. — *proprios*, non aliorum, ut tonsor, sed suos ipsius ungues.

52. *Demetri*, jam servum suum alloquitur Philippus. Ed. — *non læve*, ergo dextre, h. e. recte, scite, prudenter. — *unde domo, quis*, etc. Obversatus videtur Horatio modus, quo apud Homerum exquiruntur ignoti et peregrini; sic Telemachus ad Minervam. Odyss. I, 170 : « Τίς ; πόθεν εἰς ἀνδρῶν ; πόθι τοι πόλις, ἠδὲ τοκῆες ; » — *quo sit patre*, si Philippus in *adraso* agnoscere potuisset *libertum*, non servum de ejus patre quærere jussurus fuisset.

55. *It, redit et narrat;* nota expressam his verbis servi celeritatem in exsequendis heri jussis. Ed. — *tenui censu*, in tenui re constitutum, cujus res secundum censum erat tenuis; similiter supr. Od. II, 15, 13 : « census brevis. » — *sine crimine notum*, nullo crimine iis, quibuscum vivit, notum; innocentis igitur vitæ laudem Menæ tribuebant ii, quibus ille notus erat. — *Et properare loco, et cessare*, rem aliquam suo tempore aut intentius, aut remissius agere; *loco*, quæ opportuno tempore fiunt, *loco* fieri dicuntur; cf. supr. Od. IV, 12, 28 : « Dulce est desipere in loco. » — *quærere* simpliciter pro : rem quærere, colligere; supr. Sat. I, 1, 92 : « Denique sit finis quærendi. » Infr. Ep. I, 15, 32 : « Quidquid quæsierat, ventri donabat avaro. » Terent. Adelph. V, 4, 15 : « Contrivi in quærundo vitam atque ætatem meam. » — *uti*, scil. re quæsita. — *parvisque sodalibus*, parvi sodales, qui humilioris conditionis, vel in parvo pretio atque honore sunt; dixerat Horatius de se ipso, v. 24 : « Parvum parva decent. » — *et lare certo*, intellige domum vel fixam, vel propriam, e qua a nemine pelli poterat Vulteius. — *ludis*, sc. scenicis. —

Digitized by Google

Et ludis, et, post decisa negotia, Campo.
« Scitari libet ex ipso, quæcumque refers: dic
Ad cœnam veniat. » Non sane credere Mena :
Mirari secum tacitus. Quid multa? Benigne,
Respondet. — « Neget ille mihi? — Negat improbus, et te
Negligit aut horret. » Vulteium mane Philippus
Vilia vendentem tunicato scruta popello
Occupat, et salvere jubet prior. Ille Philippo
Excusare laborem, et mercenaria vincla,
Quod non mane domum venisset; denique quod non
Providisset eum. « Sic ignovisse putato

post decisa negotia, postquam Mena ut præco vel scrutarius (v. 65.) negotia sua transegit. — *Campo*, sc. Martio, ubi animi recreandi causa juvenes virique convenire, ambulare, natare et aliis gymnasticis exercitationibus detineri solebant.

60. *Scitari libet ex ipso*, jam loquitur Philippus. — *Benigne, respondet*, habeo gratiam, excusatum habe me, quæso, respondet ille. Ed. — *Negat improbus*, verba sunt servi hero respondentis. Ed. — *Quæcumque*, omnia illa, quæ. — *Improbus*, illepidus, inficetus, ineptus, qui, quod honori sibi ducere debebat, repudiat. — *horret*, te, ut, virum nobilem, adire non audet, sive præ verecundia te exhorrescit; verecundia enim nonnunquam cum timore vel horrore quodam conjuncta est.

65. *Vilia scruta*, intellige detritas vestes, vasa, instrumenta et multa alia, tempore et usu viliora facta. Ejusmodi merces, venales habebant *scrutarii*. Jam vero quum Menæ in auctionibus, ubi ille præco pretia licitantium pronuntiabat, commoda rerum obsoletarum coemendarum suppeditaretur occasio, quomodo factum sit, ut præco simul esset scrutarius, facile apparet. — *tunicato popello*, intellige homines de plebe, opifices, tabernarios, etc. qui non toga, sed tunica utebantur. — *Occupat*, antevertit, prævenit. — *salvere jubet*, eum salutat. Ed.

66. *Philippo Excusare laborem et mercenaria vincla*, se excusare apud Philippum labore et mercenariis vinculis. — per *vincula mercenaria* intellige officia præconi pro constituta mercede obeunda. — *domum*, in ædes Philippi, *venisset*, salutandi causa, clientium more. — *Providisset eum*, eum venientem vidisset, observasset et prior salutasset; Plaut. Asin. II, 4: « optume : quamdudum tu advenisti? Non hercle te provideram; quæso, ne vitio vertas, Ita iracundia obstitit oculis. » — *Sic ignovisse putato*, etc. Tibi ea lege ignoscam, ut hodie mecum cœnatum venias. — *ut libet*, quod vis faciam; responsio est Menæ. Ed. — *Post*

Digitized by Google

Me tibi, si cœnas hodie mecum.—Ut libet.—Ergo
Post nonam venies : nunc i, rem strenuus auge. »
Ut ventum ad cœnam est, dicenda, tacenda locutus,
Tandem dormitum dimittitur. Hic, ubi sæpe
Occultum visus decurrere piscis ad hamum,
Mane cliens et jam certus conviva, jubetur
Rura suburbana indictis comes ire Latinis.
Impositus mannis, arvum cælumque Sabinum
Non cessat laudare. Videt ridetque Philippus :
Et, sibi dum requiem, dum risus undique quærit,
Dum septem donat sestertia, mutua septem
Promittit, persuadet, uti mercetur agellum.
Mercatur : ne te longis ambagibus, ultra
Quam satis est, morer; ex nitido fit rusticus, atque
Sulcos et vineta crepat mera, præparat ulmos,

nonam, apud nos post tertiam horam pomeridianam.—*rem strenuus auge*, scruta tua vendere pergas. — *dicenda, tacenda* (ῥητὰ καὶ ἄῤῥητα), digna et indigna auditu, apta et inepta, nos : *parler à tort et à travers*. — *dimittitur*, sc. domum.

73. *Hic, ubi sæpe*, etc. Hunc locum ita interpretor : *Hic* (Mena), *ubi* (postquam) *sæpe* sicut *piscis ad hamum occultum* ad sedes Philippi *decurrere visus* est, *Mane* (scilicet Philippi salutandi gratia) *cliens et jam certus, quotidianus, assiduus conviva, jubetur*, etc. de particula comparandi *sicut*, ad *piscis* omissa, cf. supr. ad Epist. I, 2, 42. — *rura suburbana*, villam Philippi. — *indictis Latinis*, sc. feriis. Erant feriæ Latinæ, festa quædam toti Latio communia, et Jovi Latiali dicata, qui in Albano monte colebatur : indicebantur autem a Romano consule quotannis, hoc est, denuntiabantur et imperabantur. Ed.

77. *Mannis*, cf. supr. ad Epod. IV, 14. — *arvum cælumque Sabinum*, etc. quippe qui nunquam ex urbe egressus fuerat. — *sibi dum requiem quærit*, dum sedem sibi quærit, ubi, remotus ab hominum turba et negotiorum molestiis, quiete frui possit. — *risus*, intellige omnia, quæ vitam exhilarant. — *Septem sestertia*, septem millia sestertium (circiter 1400 fr.). — *mutua septem Promittit*, se septem millia mutuo daturum pollicetur. Ed.

82. *Ultra quam satis est*, nimis, præter modum. — *ex nitido*, ex elegantioris cultus homine urbano. — *crepat*, vid. supr. ad Od. I, 18, 5. — *præparat ulmos*, aptas reddit ulmos applicandis vitibus. — *Immoritur stu-*

Digitized by Google

Immoritur studiis, et amore senescit habendi.
Verum ubi oves furto, morbo periere capellæ,
Spem mentita seges, bos est enectus arando;
Offensus damnis, media de nocte caballum
Arripit, iratusque Philippi tendit ad ædes.
Quem simul adspexit scabrum intonsumque Philippus,
« Durus, ait, Vultei, nimis attentusque videris
Esse mihi.—Pol, me miserum, patrone, vocares,
Si velles, inquit, verum mihi ponere nomen.
Quod te per Genium, dextramque deosque Penates
Obsecro et obtestor, vitæ me redde priori. »
Qui semel adspexit, quantum dimissa petitis
Præstent, mature redeat, repetatque relicta.
Metiri se quemque suo modulo ac pede, verum est.

diis, qui totus est in aliqua re, vel se totum alicui rei tractandæ devovet, is *studio* hujus rei *immori*, et is, qui in colligendis divitiis ita se macerat et conficit, ut ante diem senescere videatur, eleganter *habendi amore senescere* dicitur; sic γηράσκειν apud Græcos. — *Mentita*, elusit, fefellit; sic sup. Od. III, 1, 30, « fundus mendax. » — *arripit*, hæc vox hominis iram denotat. — *iratusque*, sibi ipsi, quod passus fuerat se impelli, ut vitam quietam et jucundam mutaret cum vita inquieta et injucunda.

90. *Scabrum*, plenum squaloris et sordis, horridum; nam postquam Mena *ex nitido* (v. 83.) factus erat *rusticus*, externum corporis cultum neglexit.—*Durus*, duri laboris patiens, ut infr. Epist. I, 16, 70. « sine pascat durus aretque. » — *attentusque*, sc. ad rem, h. e. avarus. — *ponere nomen*, imponere, dare; supr. Sat. II, 3, 48: « qui tibi nomen Insano posuere. » Sic *La Fontaine*, lib. VIII, fab. 2; et *Florian*, lib. II, fab. 2. Ed.

96. *Qui semel adspexit*, quicumque vidit, animadvertit, intellexit. — *quantum dimissa pet. Præstent*, eam vitæ conditionem, quam reliquit, multo meliorem esse illa, quam appetiit. — *suo modulo*, sua formula et mensura. Hanc expressit sententiam in Pythior. 2, 63, Pind. «χρὴ καθ' αὑτὸν ἀεὶ Πανὸς ὁρᾶν μέτρον. » — *verum est*, æquum, rectum, fas est, decet; hinc infr. Epist. I, 12, 23, junguntur *verum* et *æquum*, et supr. Epist. I, 1, 11, *verum* et *decens*; multa exempla de hac significatione vocis *verum* dederunt Gronov. et Drakenb. ad Liv. II, 48, § 2.

Digitized by Google

EXCURSUS

Ad hunc Horatii versum : Forte per angustam tenuis *nitedula* rimam, etc. Epist. I, 7, 29, pag. 298.

Arrige aures, lector; et intento fac sis animo, dum locum hunc excutimus, et ad vivum secamus.

> Forte per angustam tenuis *vulpecula* rimam
> Repserat in cameram frumenti; pastaque rursus
> Ire foras pleno tendebat corpore frustra:
> Cui mustela procul; « Si vis, ait, effugere istinc;
> Macra cavum repetes arctum, quem macra subisti. »

Sic locum et editi omnes et scripti, quod sciam, exhibent : nostri certe sine ulla litura *vulpecula;* neque aliter legit Isidorus, Orig. I, 39 : « Ad mores, inquit, spectat Fabula : ut apud Horatium mus loquitur muri, mustela *vulpeculæ,* ut per narrationem fictam ad id quod agatur verax significatio referatur. » Sic ibi et codex manuscriptus. Respicit autem ad Sat. II, 6, 80, ubi mus loquitur muri; et ad hunc, de quo agimus, locum, ubi mustela *vulpeculæ.* Jam autem si receptam hanc lectionem, tot licet codicibus tantaque temporis longinquitate munitam, non librariis potius dormitantibus, quam auctori ipsi adscribimus; vereor equidem, ne ex Horatio Bavius nobis Mævius*ve* repente prodeat. Quid enim? *Vulpecula,* inquit, *repserat in cameram frumenti; unde pasta* (frumento scilicet) *redire non potuit.* Vestram fidem, venatores, rustici, physici! Frumento vescitur *vulpecula?* Quis vel fando hoc audivit, quis prodidit? Nulla profecto fame adigas vulpem, ut comedat frumentum; neque enim potest, quum planos latosque dentes non habeat, quibus grana comminuat; quum ventriculus id cibi genus natura non appetat. Credisne autem tam stolidum, tam vacuo capite fuisse Nostrum, ut hoc nesciverit? Neminem saltem amicorum, quibus recitare sua consueverat, aut scivisse, aut scientem erroris admonuisse? Incredibile prorsus; et tamen, quod jure mireris, solus omnium Interpretum, Dacerius, ulcus hoc detexit; utque ejus fœtorem officiose ab Horatio abigat, hanc lectionem comminiscitur :

> Forte per angustam tenuis vulpecula rimam
> Repserat in *cameram* frumenti.

Et sic sane Loscherus edidit, et interpretatur *granarium;* sed, præterquam quod omnes ubique codices repugnant, *cameram frumenti* ne latinum quidem esse, facile est evincere. *Camera* quippe est *fornix, testudo, arcus;* quis autem dixerit *fornicem frumenti?* Si quidem ea non *capere* potest frumentum, sed dumtaxat *tegere*. Dacerius quidem ex Columella I, 6, rem con-

Digitized by Google

ficere conatur : « Neque me præterit sedem *frumentis* optimam quibusdam videri horreum *camera* contectum. » Poterat et Frontinum ad partes vocare, Stratag. III, 4, 6 : « Simulato fœdere *frumenta* apud eos deposuit : deinde data opera, ut tectorum *cameræ*, in quibus id conferebatur, rescissæ pluviam reciperent. » Quid vero ex his proficiat, non video : *cameram* quidem *horrei*, et *cameram tecti* recte hinc dixeris ; *cameram frumenti* minime : ut *operculum vasis* probe dicimus, *operculum vini* aut *tritici* prave et inepte : quippe, ut jam dixi, cameræ, fornices, opercula tantummodo tegunt, non capiunt quidquam et continent. Sed ut hoc Dacerio condonemus ; videamus quo rem deducere studeat : « Si *cameram*, inquit, reponimus, salva erit Flacci existimatio ; non enim is vulpem intromittit, ut frumentum ibi comedat ; sed ut pullos et columbas captet. » Vah commentum facetum et callidum ! Frugi sane rusticus, qui in horreum pullos admiserit : sarta tecta sine dubio camera, et arcendæ pluviæ idonea, quæ etiam columbis patuerit. Atqui, o bone, quocumque te verteris, hærebit hæc Horatio macula, toto Oceano non eluenda. Ipsa enim vis constructionis flagitat, cogit, imperat, ut vulpecula vel in camera tua frumento vescatur. Quid enim attinebat *frumentum* hic memorare, nisi alimenti et pabuli causa ? An quia vera historia erat, et sic, ut res erat, narranda ? Atqui fabulam scimus esse Æsopicam, ad arbitrium auctoris confictam : ut haud necesse esset res alienas et ad exitum fabulæ non spectantes contra decorum immiscere.

Maneat ergo, quod in omnibus ubique codicibus visitur, *cumera frumenti* : quod quid sit, recte explicat Acron ad Sat. I, 1, 53 : « Cumera vas est ingens vimineum ; vel fictile, simile doliis, ubi frumentum suum reponebant agricolæ : vel vas minus, capiens quinque, sive sex modios. » Jam autem in hujus moduli vase *rima*, inquit, erat *angusta* : certe ; nam per *laxam* et *hiantem* rimam ipsum frumentum effluueret ; dominusque quantumvis negligens mature obturandam curaret. Atqui, ait per hanc rimam angustam *macra vulpecula* irrepsit. Quid audio ? per tantillam rimulam vulpes ? Vix equidem crediderim, etiamsi esset

Ossa atque pellis misera macritudine.

Neque enim, quum *vulpeculam* dicit Noster, tu parvum vulpis pullum accipies ; sed vulpem adultam. Ita Cicero de Officiis, I, 13 : « Fraus quasi vulpeculæ, vis leonis videtur. » Quodsi catulum vulpis hic intelligis, ipsa tum fabula non poterit recte procedere. Catulus enim, non pinguior solum in cumera, sed et *grandior* factus, non poterat rursus ire per *arctum cavum* ; etiamsi tam macer esset, quam quum primum intraverat. Talem igitur tu vulpem, adultam, grandem, per angustam cumeræ rimam introducis. Quid vero nobis *cumeram* narras ; qua sodes via in ipsam domum, ubi cumera sita erat, vulpes insinuavit ? Cur hoc siles ? de domestico potius et καταιδίῳ animalculo, quam de vulpe silvestri, fabulari videris. Sed ecce et majus por-

Digitized by Google

tentum : ubi semel penetraverat in cumeram, ubi secure habitare cœpit, silvarum et prioris vitæ prorsus oblita. Non enim, ne id forte nescias, pleno ventre, sed *pleno corpore*, non satura, sed *pinguis* tum primum exire tendebat. Quid Æsopus, primus hujus fabulæ auctor, sequutus sit, equidem nescio. *Plenum* tamen *ventrem* ille potius; si S. Hieronymo fides. Cui rei fortassis alludens, Cleonem exagitat Comicus, quod vacuo ventre in Prytaneum curreret, pleno excurreret: ὅτι κενῇ τῇ κοιλίᾳ Εισδραμών εἰς τὸ πρυτανεῖον, εἶτα πάλιν ἐκδεῖ πλίᾳ.

Sed in Horatiana hac fabula non saturatam modo vulpem, sed et pinguefactam esse constat. Id quod verba ipsa declarant: *macra* enim et *tenuis* irrepserat, *pleno corpore* exire frustra conabatur. Quid sit *corpus plenum* Celsus te docebit, nempe macro et tenui contrarium, pingue, obesum, lib. VIII, 9: « id agendum cibis uberioribus est, ut *corpus quam plenissimum* fiat, quo melius os vestiat. » Idem auctor, I, 3: « *Tenuis* vero homo implere se debet, *plenus* extenuare. » Quot igitur dies noctesque commorata est in cumera vulpes; dum ex macra et strigosa corpulentior atque habitior facta est? Nonne monstri simile est, intra hostium parietes, inter familiæ strepitum, tamdiu secure eam vesci et dormire potuisse? Enimvero omnibus modis portentosa erat ea vulpes: quum enim Æsopicæ illæ bestiarum omnium astutissimæ fuerint et callidissimæ; hæc contra stultitiæ et fatuitatis exemplo est; ut vel mustela, bestiola illa ignobilis, quacum vulpes illæ Æsopicæ vel fabulari nunquam dignatæ sunt, haud paulo sapientior inducatur. Appello jam te, quicumque es, qui vel de limine unquam Horatium salutasti; potesne in animum inducere, tam indecora hæc, tam absurda, tam incredibilia Venusino nostro imputanda esse? ut vulpes comedat frumentum; ea de causa in cumeram se insinuet per angustum foramen vix muribus pervium: quæ ipsa cumera intra rusticum larem et clausos parietes sita erat; ut in ipso pariete vel janua rima alia opus fuerit, qua ad cumeram penetraverit: ibi vero, bis licet captiva, tam in cumera, quam in domo, secure tamen genio litaverit, donec in rebus bonis obesula evaserit; denique tam inops consilii, tam astutiarum veterum oblita fuerit, ut qua arte egrederetur nesciverit, nisi mustela, si Musis placet, quid facto opus, irridens submonuisset. Quin jam ipse per te, opinor, intelligis, de *vulpecula* minime hic agi posse; sed de animalculo domestico, quod frumento victitare soleat, quod per rimulam repere possit, et in cumera facile latere; et, ut clare dicam, non cum *vulpe* hic mustelam, sed cum *mure* fabulari oportere.

Sane, ut in recepta lectione prava omnia et absurdissima sunt: ita contra, si *mus* aliquo pacto ad partes hic vocari poterit; nihil non erit argutum, speciosum, venustum. Utrumque enim animal in domibus versari solet; ut rite hic et decore sermonem inter se conferant. Cicero, de Nat. Deorum, lib. II, c. 6: « Si domum magnam pulchramque videris; non possis adduci, ut,

Digitized by Google

etiamsi dominum non videas, *muribus* illam et *mustelis* ædificatam putes. » Plautus in Stycho, III, 2, 7 : « *Mustela murem* nil abstulit præter pedes. » Unde et in pluribus apud Æsopum fabulis mus cum mustela loquebatur : ut Aristoph. Vespis, p. 357, ed. Basil. « Ἐτῷδα τοίνυν τῶνγε πάνυ κατ' οἰκίαν Ἐκεῖνον, ὡς σῦτω ποτ' ἦν ΜΥΣ καὶ ΓΑΛΗ. » Novi, inquit, ex domesticis fabulis illam, Ut erat *mus* et *mustela*. Denique hanc ipsam fabulam, quam ab Æsopo Horatius transtulit, de *mustela* et *mure*, non *vulpecula*, confictam olim esse, testem tibi dabo exceptione omni majorem, S. Hieronymum, Ep. ad Salvinam de Virginitate servanda : « Docet, inquit, et Æsopi fabula plenum *muris* ventrem per angustum foramen egredi non valere. » Hic igitur nobis mus e latibulo suo excitandus est ; ut Horatio periclitanti suppetias ferre possit. Sed unde, inquies, talem, qui versum hiantem implere possit et labantem sustinere ? Ecce igitur tibi, qui et id facere queat, et librariis ignotus facile eis pro mure *vulpecula* videri possit. Lege enim,

> Forte per angustam tenuis *nitedula* rimam
> Repserat in cumeram frumenti.

Nitedula, sive *nitela*, est mus agrestis, μῦς ἀρουραῖος, frumento victitans, et areas, et cumeras agricolarum infestans. Virgil. Georg. I, 181 : « Tum variæ illudunt pestes : sæpe exiguus mus Sub terris posuitque domos atque horrea fecit. » Ubi Servius ad locum : « Exiguus mus, *nitela* mus agrestis rubens ; cujus Cicero meminit in Sextiana. » Extat is locus Ciceronis, pro Publio Sextio, c. 33 : « Quoniam id etiam fatum civitatis fuit, ut illa ex vepreculis extracta *nitedula* Rempublicam conaretur arrodere. » Sic libri scripti editique ; et ne de lectione dubites, faciet Priscianus, p. 613 : « vepres, ait, veprecula, ut Cicero pro Sextio : Vepreculis extracta *nitedula*. » Arnobius, lib. II, p. 95, ed. Heraldi : « Non enim si negemus muscas, scarabæos, et cimices, *nitedulas*, curculiones, et tineas omnipotentis esse Dei opus. » Plin. Nat. Hist. VIII, 57 : « Senium (glirium) finitur hiberna quiete : conditi enim et hi cubant : simili et *nitelis* quiete, » ubi prisca editio *nitedulis*. Glossæ Philoxeni. « *Nitela*, δενδροβάτης. »

Quid amplius vis ; nisi forte ut *nitedulam* priores duas syllabas producere ostendam ? Atqui illud quoque in promptu est. Prima in versu producta est, apud Martialem, V, 38, 7 sqq. « Quæ crine vincit Bætici gregis vellus, Rhenique nodos, aureamque *nitelam*. » Quod ad secundam attinet ; quum *nitedula* eadem terminatione sit, qua *acredula*, *monedula*, *ficedula*, *querquedula* ; easdem cum illis mensuræ leges habere debet : atqui illa verba secundam longam habent. Ovid. Metam. VII, 468 : « Nigra pedem, nigris velata *monedula* pennis. » Cicero, Divin. lib. I, c. 8 : « Et matutinis *acredula* vocibus instat. » Martialis, XIII, 5, 1 : « cerea quæ patulo lucet *ficedula* lumbo. » Bentleius.

Digitized by Google

Analysis. Horatius se apud Mæcenatem excusat, quod diutius rure maneat quam fuerat pollicitus. Ait se valetudinis curandæ causa Romam per caniculæ æstum non rediturum, et per hyemem Tarentum iturum, nec nisi ineunte vere ad eum reversurum. Simul Mæcenatis liberalitatem laudat, profiteturque se omnium ejus beneficiorum semper memorem futurum; sibi autem nec eam ætatem, nec eam valetudinem esse ait, ut assidue, velut antea, eum colat, additque se omnia ab ipso accepta libentius redditurum, quam omnem vitæ libertatem amissurum. Hæc quibusdam lepidis episodis ornavit, ac præsertim narratiuncula de Philippo, nobili causarum patrono, et præcone Mena, qua quantis sæpe miseriis optatam conditionem comparemus, edocet. Hæc Epistola sane inter poetæ pulcherrimas est. In qua quidem Horatius quid Mæcenati debeat, quæ erga eum officia adimplenda habeat libenter confessus, eam tamen vivendi suo more et arbitrio facultatem vindicat, quam nemo nisi abjectus remittit. Hanc loquendi libertatem poeta delicatissima et ingeniosissima comitate decoravit. Ed.

EPISTOLA VIII.

AD CELSUM ALBINOVANUM.

Se minus mente quam corpore valere, et quodam animi veterno laborare Celso scribit poeta.

Celso gaudere et bene rem gerere Albinovano,
Musa rogata, refer, comiti scribæque Neronis.
Si quæret, quid agam, dic, multa et pulchra minantem,

1. Pro simplice epistolarum apud Latinos inscriptione *salutem*, utitur jam Horatius formula, quam Græci præfigere solent epistolis: χαίρειν καὶ εὖ πράττειν. — *comiti scribæque Neronis*, in comitatu, sive in cohorte Tiberii Claudii Neronis, tum in terris orientalibus cum exercitu versantis (vid. Wetzel, supr. in Argum. ad Epist. I, 3), erat scriba (nos: *secrétaire*) *Celsus Albinovanus*. — *minantem*, molientem et me perficere velle profitentem. Quæ fuerint *multa* illa et *pulchra*, (grata, jucunda, præclara,) quibus valetudinis causa operam dare Hor. non potuit, quis divinet? Locutio *minari aliquid* supr. Sat. II, 3, 9. («Atqui vultus erat multa et præclara minantis») ad carmina ab Horatio exspectata referenda est. —

Digitized by Google

Vivere nec recte, nec suaviter: haud quia grando
Contuderit vites, oleamve momorderit æstus,
Nec quia longinquis armentum ægrotet in agris,
Sed quia, mente minus validus, quam corpore toto,
Nil audire velim, nil discere, quod levet ægrum;
Fidis offendar medicis, irascar amicis,
Cur me funesto properent arcere veterno;
Quæ nocuere, sequar; fugiam, quæ profore credam:
Romæ Tibur amem ventosus, Tibure Romam.
Post hæc, ut valeat, quo pacto rem gerat et se;
Ut placeat Juveni, percontare, utque cohorti.
Si dicet, Recte; primum gaudere; subinde

Vivere nec recte, nec suav. ea vita *recta* est, quæ ad virtutis normam philosophiæque præcepta accommodatur; a virtute deficimus, ut vivamus *suaviter*, hoc est, ut libidinibus pareamus, et quod videtur gratum, sequamur. Ea igitur vita misera est ac sine proposito, quæ nec recte, nec suaviter vivitur. Ed.

4. *Haud quia grando*, etc. Ego crucior autem, non ut cruciari solent homines divites et avari, ubi vel grando vites perdidit, vel solis æstus oleas exussit, vel morbus armenta tentavit, sed mens mea male se habet et malo torpore deprimitur. — *grando* (χαλαζοκοπία) *Contuderit*, verberaverit. Supr. Od. III, 1, 29. « Non verberatæ (sollicitant) grandine vineæ. » — *momorderit æstus*, — *mordere*, pro: *urere* tam de frigore (sup. Sat. II, 6, 45. « Matutina parum caustos jam frigora mordent »), quam de nimio solis calore. — *Longinquis in agris*, Romanorum enim beatiores armenta in remotis regionibus, præcipue in Calabria et Lucania, ubi erant bona pascua, alere solebant; supr. Epod. I, 27, 28: « Pecusve Calabris ante sidus fervidum Lucana mutet pascua, » cf. Od. I, 31, 5.

7. *Mente minus validus quam corpore*, morbus enim, qui nunc vocatur *hypochondria*, non tam in toto corpore, quam potius in mente sedem suam habet. — *Nil audire velim*, etc. Quæ sequuntur egregie ingenium et naturam hominis *hypochondriaci* ante oculos ponunt. — ad *offendar, irascar, sequar, fugiam, amem* repete: *quia*. — *Cur*, ideo, quod. Plin. Epist. III, 5, « Repeto, me correptum ab eo, cur ambularem. » Alia exempla ex Cicerone et Livio collegit *Lambinus*. — *funesto veterno*, pernicioso mentis torpore, languore. — *ventosus*, venti instar mutabilis, inconstans, varius. Sic infr. Epist. I, 9, 37, « plebs ventosa. »

13. *Rem gerat*, ut scriba apud

Digitized by Google

Præceptum auriculis hoc instillare memento:
Ut tu fortunam, sic nos te, Celse, feremus.

Neronem; *et se*, et quid rerum ipse gerat.—*Juveni*, Tib. Cl. Neroni.—*cohorti*, præcipuis amicis et familiaribus: vid. sup. Epist. 3, v. 6, et Suet. Galba, c. 7.—*gaudere*, me dicito.—*Ut tu fortunam*, etc. Qualem tu, Celse, in fortuna, quæ tibi nunc arridet, erga nos præbebis, tales erga te nos præbebimus; si me, veterem tuum amicum, præsente tua fortuna, ut antea, amabis, vicissim ego te amabo. Ed.

Analysis. Celsus Albinovanus ad quem est hæc Epistola, idem esse videtur, quem supra Epist. I; 3, 15 sqq. ut poetam, aliorum scrinia compilantem Noster commemorat. Is sane fuit inter eos quibuscum Noster non nisi externas amicitiæ species habuit; non enim spirat hæc Epistola illum amorem, et molliores illos animi sensus, quos Horatius passim erga alios amicos in carminibus suis expressit. Quum, ut videtur, literas a Celso accepisset Noster, ad ipsum Epistolam remittit frigidam sane, eam tamen quæ urbanæ familiaritatis commercio sufficeret. De se ipso scilicet loquens, quodam animi morbo, quodam mentis torpore laborare se ait, ita ut nulli voluptati indulgeat, nulla re moveatur, vitamque agat insipidam; finit sapientiæ præcepta revocando. Ed.

EPISTOLA IX.

AD CLAUDIUM NERONEM.

Septimium commendat Tiberio, utque illum in suorum numero habere velit, rogat.

Septimius, Claudi, nimirum intelligit unus,
Quanti me facias: nam, quum rogat, et prece cogit,

1. Hic locus, mihi ita cohærere videtur; *Quanti me facias, Claudi, unus nimirum* (profecto) *intelligit Septimius;* (additur ratio, cur id unus intelligat Sept.) *nam, quum rogat,... quum censet... quid ego possim* apud te, *me ipso valdius* (clarius) *videt ac novit.*—*nimirum*, profecto, sine dubio. Cicero de Orat. c. 4. « Sed *nimirum* majus est hoc quiddam, quam

Digitized by Google

Scilicet ut tibi se laudare et tradere coner,
Dignum mente domoque legentis honesta Neronis,
Munere quum fungi propioris censet amici,
Quid possim, videt ac novit me valdius ipso.
Multa quidem dixi, cur excusatus abirem:
Sed timui, mea ne finxisse minora putarer;
Dissimulator opis propriæ, mihi commodus uni.
Sic ego, majoris fugiens opprobria culpæ,
Frontis ad urbanæ descendi præmia. Quod si
Depositum laudas ob amici jussa pudorem,

homines opinantur. Idem ad Attic. IX, 9. « Itaque *nimirum* hoc illud est, quod Cæsar scribit in ea epistola, cujus exemplum ad te misi. » — *prece cogit*, precibus me expugnat. — *Scilicet ut*, eo nomine, *ut coner*, *se* (Septimium) *tibi laudare et tradere*, commendare. — *Dignum mente domoque legentis honesta Neronis*, tanquam hominem, qui Neronis, cui nil, nisi quod pulchrum et honestum est, placet, *menti* (sentiendi judicandique rationi) respondeat, dignusque sit, quem ille ad eos, quibuscum in domo sua versatur, (ad amicos suos) recipiat. — *Munere quum fungi prop. censet amici*, et quum porro *censet*, me apud te *fungi propioris amici munere*, h. e. me arctiore tecum conjunctum esse amicitiæ vinculo: non hic agitur de primo *admissionum* gradu, quarum tria genera erga amicos instituerunt C. Gracchus et Liv. Drusus. Ed. — *valdius*, rectius, melius, magis; observa Horatii modestiam et urbanitatem; infr. in Epist. ad Pis. 321. « Valdius delectat. »

8. *Sed timui ne*, etc. Sed timui, ne in suspicionem venirem, me consulto elevasse meam apud te auctoritatem. — *Dissimulator opis propriæ: ops* vel *opis*, ut *potentia*, passim de gratia, qua quis plurimum pollet, multum efficere potest; vocat autem hanc *propriam*, quasi ea (*mihi commodus uni*) unice in suum ipsius commodum utatur.

10. *Majoris culpæ*, nam qui alium, quem pro gratia sua commendare potest, commendare refugit, hac inhumanitate *majorem culpam* sibi contrahit, quam is, qui perfricta fronte in aliis commendandis laudem captat. — *Frontis ad urbanæ descendi præmia*. Difficilis sane locutio, et quæ variis explicata est modis. Hæc autem mihi anteponenda videtur explicatio: quum urbani homines oris esse perfrictioris soleant quam rustici, ut Græci scurras δοτεῖους, sic Romani *urbanos* vocabant; Plaut. Trin. act. I, sc. II: « Urbani assidui cives, quos scurras vocant. » Et Noster huj. lib. Epist. XV, 26... « urbanus cœpit haberi, Scurra vagus. » *frons urbana*, est igitur *frons scurrilis*, frons audax, im-

Digitized by Google

Scribe tui gregis hunc, et fortem crede bonumque.

pudens; *et descendere ad præmia frontis urbanæ*, est homines impudentes imitari, qui non cessant gratiam audacter rogare, et velut mercedem persequi. Ed.

13. *Scribe tui gregis hunc*, unum cohortis tuæ jube esse Septimium;— *grex*, jam in bonam partem de honesta hominum societate; sic apud Ciceronem Orat. II, 62, et ad Div. VII, 33, *sodales* et *æquales* dicuntur *gregales*.

Analysis. Amicum suum Tiberio commendare et in familiaritatem tradere volens Horatius, eam scribit Epistolam, quæ et modestiæ et erga potentes verecundiæ exemplum est. Ne scilicet nimiam de sua apud Tiberium gratia præsumere videatur, se a Septimio coactum esse ait, ut eum commendaret; et ejus precibus ob id tantum obtemperasse, ne consulto suam apud Tiberium auctoritatem elevasse diceretur. — Quam carus autem Horatio fuerit Titius Septimius, poeta tragicus (vid. supra ad Epist. 3, 9), luculenter ex Oda sexta libri secundi apparet. Ed.

EPISTOLA X.

AD FUSCUM ARISTIUM.

Urbanæ vitæ et ambitiosæ incommoda; commoda tenuis ac rusticanæ describit.

Urbis amatorem Fuscum salvere jubemus
Ruris amatores, hac in re scilicet una
Multum dissimiles; ad cetera pæne gemelli;
Fraternis animis, quicquid negat alter, et alter;

1. *Urbis amatorem... Ruris amatores:* pulchre sibi respondent contraria, in primo loco duorum primorum versuum posita. Pro: *ad cetera* Codd. quorundam auctoritate *Bentleius* recepit: *at cetera;* quod vero ad cetera attinet; non raro certe, ut exempla a *Bentleio* allata docent, *cetera* simpliciter pro: quod ad cetera attinet, poni solet. — *gemelli*, simillimi, ut supr. Sat. I, 3, 44, « par nobile fratrum, Nequitia et nugis pra-

Digitized by Google

Annuimus pariter, vetuli notique columbi.
Tu nidum servas, ego laudo ruris amœni
Rivos, et musco circumlita saxa, nemusque.
Quid quæris? vivo et regno, simul ista reliqui,
Quæ vos ad cælum effertis rumore secundo;
Utque sacerdotis fugitivus, liba recuso;
Pane egeo, jam mellitis potiore placentis.
Vivere naturæ si convenienter oportet,

vorum et amore *gemellum.* » — *Fraternis animis*, amicis, qui intimo amore se invicem complectuntur, *fraterni animi* tribuuntur; et hinc intimæ amicitiæ fœdus supr. Epist. 3, v. 35: « fraternum fœdus » dicitur. — *et alter*, sc. negat. — *Annuim. pariter*, si alter ait, alter quoque ait, alter alteri in omni re pari modo annuit; sponte succurrit illud Gnathonis apud Terent. Eunuch. II, 2, 21, quamvis in dissimili re: « Negat quis, nego; ait, aio. » — *vetuli notique columbi*; omisit Horatius, ut sæpe, particulam comparandi: *veluti*, *sicuti*, vid. supr. ad Epist. I, 2, 42, sensus igitur: veluti *vetuli notique columbi* (intellige columbarum par) invicem sibi annuere solent; — *noti*, consuetudine invicem sibi facti noti, et mutuo amore inter se juncti; *notissimi inter se* apud Livium VIII, 8.

6. *Tu nidum servas*, accommodate ad institutam comparationem *nidum* posuit pro: urbe, ubi Fuscus, sicut columba in nido ovis incubans, hærebat. — *Rivos et musco*, etc. versus elegantissimus; cf. 1, 114.

8. *Quid quæris?* ne multa! — *vivo et regno*, etc. Simul ac ista vitæ urbanæ commoda, quæ vos urbis amatores ad cœlum usque extollitis, *reliqui*, simul ac ex urbe rus secessi, mihi in mea villa vivo ibique regno, pro animi mei arbitrio omnia facio, et ut, servus fugitivus sacerdotis, liba contemno, et pane egeo, etc. — *regno*, sc. in villa. Similiter fere Menalcas apud Virgil. Eclog. I, 70, agros, quos possederat, *regna sua* vocat. — *rumore secundo*, Virg. Æn. V, 491, « clamore secundo. » Cic. Tusc. Quæst. II, 1, « populo secundo, » h. e. probante et favente populo. — *liba* ex farre, melle, et oleo confecta, quæ in sacris offerebantur diis, Baccho (Ovid. Fast. III, 735), Cereri, Pani, etc. quum ad se transferrent sacerdotes, tanta in eorum domibus fuit liborum copia, ut illa servis comedenda præberentur. Sed servi sacerdotum, quum eos caperet hujus quotidiani cibi tædium, *recusabant liba*, h. e. malebant fugere, et pane potius, quam libis vesci. — *Pane egeo*, etc. Et, ut servus ille, mihi opus est pane, quem placentis mellitis præfero.

12. *Si oportet*, etc. Si oportet ad præcepta philosophorum *vivere naturæ convenienter* (ὁμολογουμένως τῇ φύσει ζῆν), ea tantum petere, quæ natura postulat, vitæ simplicitatem se-

Digitized by Google

Ponendæque domo quærenda est area primum,
Novistine locum potiorem rure beato?
Est ubi plus tepeant hiemes? ubi gratior aura
Leniat et rabiem Canis, et momenta Leonis,
Quum semel accepit solem furibundus acutum?
Est ubi divellat somnos minus invida cura?
Deterius Libycis olet aut nitet herba lapillis?
Purior in vicis aqua tendit rumpere plumbum,
Quam quæ per pronum trepidat cum murmure rivum?
Nempe inter varias nutritur silva columnas,

qui. — *Ponendæque... ponere*, ut passim templa, mœnia, urbes, pro: exstruere. — *area*, locus patens, in quo area construitur. Ed. — *Rure beato?* reddente beatos, qui rure vivunt; sponte succurrit dulcissimum illud Horatii carmen (Epod. II) *Beatus ille*, etc.

15. *Est ubi*, estne locus, ubi hiemes mitiores sint, vel frigus minus sentiatur? ad loca, ubi hiemes tepeant et mitiores sint, agrum Tarentinum refert supra Od. II, 6, 18, « Ver ubi longum *tepidasque* præbet Jupiter *brumas*. »—*et momenta Leonis Quum semel*, etc. et æstum solis semel accepti in furibundi Leonis sidus, vid. supr. ad Od. III, 29, 19. — *momenta*, jam de momentis temporis, quo mense Augusto Sol in sidus Leonis transit; supr. Epist. I, 6, 4: « Hunc solem, et stellas, et decedentia *certis* Tempora *momentis*. »—*Quum semel accep.* etc. In toto hoc versu vox simplex *furibundus* elegantissime amplificata est; similiter supr. Od. III, 29, 19, « Leo dicitur vesanus. »—*acutum*, acrem; *acutus* de vehementiore tam calore, quam frigore; supr. Od. I, 9, 4, « gelu acutum; » ut *urere* de calore æque ac de frigore.

18. *Divellat*, abrumpat, ubi curæ somnum minus interturbent. Ed. — *invida cura*, qua cruciantur, qui alios vel honoratiores, vel ditiores vident. Hoc præcipue fit in urbe. — *Deterius Libyci solet... herba lapillis*, num odor, aut nitor herbæ quæ calcatur in agris, postponendus est nitori marmoris Numidici? respexit Hor. ad pavimenta lapillis marmoreis distincta (*Mosaïque*). — *in vicis*, pro: in urbe. — *tendit rumpere plumbum*, per *tendit* pulchre exprimitur intenta quasi vis, qua nonnunquam aqua fistulas plumbeas, quibus in urbem deducitur, rumpit; sic supr. I, 7, 31, nitedula, frustra pleno corpore e camera frumenti prorepere annitens, *tendere foras ire* dicitur. — *trepidat* (τιλαρύζει), decurrit, festinat, ut supr. Od. II, 4, 25 et III, 27, 17.

22. *Nempe inter varias*, etc. Nexus et sensus: arte quidem, qui in urbe vivunt, parare sibi student ruris dotes atque munera; in domibus nempe

Digitized by Google

Laudaturque domus, longos quæ prospicit agros.
Naturam expellas furca, tamen usque recurret,
Et mala perrumpet furtim fastidia victrix.
Non, qui Sidonio contendere callidus ostro
Nescit Aquinatem potantia vellera fucum,
Certius accipiet damnum, propiusve medullis,
Quam qui non poterit vero distinguere falsum.
Quem res plus nimio delectavere secundæ,
Mutatæ quatient: si quid mirabere, pones.

nemora inter columnas consita nutriunt, laudantque eam domum, unde in procul sitos agros prospici potest; sed natura, quam nunc contemtim repellunt, redibit, et (*furtim*) occulta vi mala ditiorum vitæ rusticæ fastidia vincet, fugabitque. — *inter varias silva columnas*, habebant ditiores in sedium impluvio juxta porticus (*varias columnas*) viridaria, quæ ad rem augendam vocantur *silvæ* vel *nemora*, ut supr. Od. III, 10, 5: « nemus Inter pulchra satum tecta, » et apud Tibull. III, 3, 15: « Et nemora in domibus sacros imitantia lucos? » ubi vide, quæ in hanc rem observavit Heynius. — *varias*, ex marmore versicolore exstructas; sic lapides marmorei supr. Sat, II, 4, 83, appellantur *varii*.

23. Per *naturam* intelligo sensum a natura nobis insitum, et nunc quidem eum, qui animum vitæ rusticæ dulcedine perfundit. — *furca expellere*, locutio proverbialis de rebus, quas vi a nobis avertimus et pellimus; *furca* est instrumentum rusticum, quo stramenta et alia ex uno loco in alium protruduntur. — *Et mala perrumpet*, etc. et natura victrix rumpet per *mala fastidia*, h. e. mala ista fastidia ditiorum, qui a naturæ muneribus in agris abhorrent, extundet atque abiget.

26. *Non, qui*, etc. Sensus: qui adulterinum purpuræ colorem, quali Aquinates decipere solent imperitos, non discernere didicit contendendo cum genuino purpuræ colore, is haud certiores et graviores erroris et imperitiæ pœnas dabit, quam ille, qui non falsum a vero distinguere poterit. — *vellera potantia fucum Aquinatem*, h. e. apud Aquinates (incolas Aquini, oppidi Volscorum), fuco (vide supr. ad Od. III, 5, 28) tincta. — *contendere Sidonio ostro*, comparare cum « *velleribus* (ut loquitur Horat. infr. Epist. 12, 20) lanæ Tyriis muricibus iteratæ. » — *callidus*, bene alicujus rei peritus; sic supr. Sat. II, 7, 101: « subtilis et *callidus* judex, » cf. Sat. II, 3, 25. — *propiusve medullis*, et quod penitius sentiatur.

31. *Mutatæ*, sc. in adversas, pro: adversæ *quatient*, concutient, gravissime afficient; *mente quati*, supr. Od. III, 3, 4. — *si quid mirabere, pones Invitus*, si quid totum animum tuum ceperit, non facile ab eo dis-

Digitized by Google

Invitus: fuge magna: licet sub paupere tecto
Reges et regum vita præcurrere amicos.
Cervus equum pugna melior communibus herbis
Pellebat, donec minor in certamine longo
Imploravit opes hominis, frænumque recepit:
Sed postquam victor violens discessit ab hoste,
Non equitem dorso, non frænum depulit ore.
Sic, qui pauperiem veritus, potiore metallis
Libertate caret, dominum vehet improbus, atque
Serviet æternum, quia parvo nesciet uti.
Cui non conveniet sua res, ut calceus olim,

solvi poteris; « Ponere difficile est, quæ placuere diu, » ut canit poeta suavissimus, Lotichius I, 2, 64. Hinc supr. Epist. VI: « Nil admirari, » ubi vid. *not.* — *Reges*, potentiores, ditiores. — *vita*, sapienter scilicet instituta, *præcurrere* (παρελθεῖν, παδραμεῖν), prævertere, superare. Virg. Georg. IV, 132, de sene Corycio. Ed.

34. Quum Himeræi vel Himerenses Phalaridi, Agrigentinorum in Sicilia tyranno, quem in auxilium vocatum summum ducem præfecerant suo exercitui, custodiam corporis quoque dare constituissent, Stesichorus, ut refert Aristot. Rhet. II, 39, Himerenses de imprudentia, qua se traderent potentiori, fabula de cervo et equo, quam hic narrat Horatius, monuisse dicitur. Eodem redit fabula *de Equo et Apro* apud Phædr. IV, 4. Idem argumentum tractavit Fontanius noster lib. IV, Fab. 13. Ed. — *melior* (κρείττων), superior. — *minor* (ἥττων), inferior. — *violens*, hominis ope factus violentior, ferocior. — *non... depulit*, non depellere potuit, sed ab eo inde tempore equitem dorso portare et frænum ore mordere coactus est.

39. Sensus: Sic, qui, non paucis contentus, divitiarum colligendarum cupiditati rem pretiosissimam, libertatem, postponit, pecuniæ experietur imperium æternumque serviet. — *pauperiem veritus*, avarus. — *metallis*, cum contemtu pro: pecunia, ut supr. Od. II, 2, 3, *lamna*.... « inimice lamnæ Crispe Sallusti. » — *dominum vehet*, accommodate ad fabulam: Pecuniam, sicut equus equitem, dominum suum portabit, h. e. pecuniam sibi imperare patietur; pro: *vehet* ad Codd. quorundam auctoritatem *Bentleius* dedit *vehit*, quia, qui libertate caret, jam nunc vehat; sed nostram lectionem confirmat *nesciet*, in v. seq. — *improbus*, designatur avarus, qui malo et improbo studio divitias congerit; hinc sup. Od. III, 24, 62, ipsæ *divitiæ* dicuntur *improbæ*.

42. *Cui non conveniet sua res*, etc. Sensus: cui res sua non conveniet, ea, si erit nimis ampla, ut calceus, qui pede major est, illum subvertet et

Digitized by Google

Si pede major erit, subvertet; si minor, uret.
Lætus sorte tua vives sapienter, Aristi :
Nec me dimittes incastigatum, ubi plura
Cogere, quam satis est, ac non cessare videbor.
Imperat, aut servit, collecta pecunia cuique,
Tortum digna sequi potius, quam ducere funem.

prosternet; at, si est arctior, ut calceus angustior, uret eum atque vexabit; — *olim*, aliquando, ut plurimum. — *Subvertet*, pede inverso, dejiciet. — *uret*, cruciabit, oblædet. — *vives*, h. e. vive. — *Nec me dimittes*, et me castiga, reprehende, si plura colligam; et reprehende eos qui colligunt plura, etc. Ed. — *Cogere*, congerere. — *non cessare*, qui sine ulla intermissione in cujusdam rei studio intentus est, *non cessare* dicitur.

47. *Imperat, aut servit*, nil medium est : divitiæ aut servi, aut tyranni nobis sunt. Senec. de *Vita beata* : « Divitiæ apud sapientem virum in servitio sunt; apud stultum in imperio. » Nonnulli autem pro *aut*, legi volunt *haud*. Ed. — *Tortum funem sequi et ducere*; hæc locutio translata est ab animalibus, quæ fune ducta ductorem sequuntur; qui *funem ducit*, imperat, qui *funem sequitur*, paret sive servit. Ed. Dukerus in Livio XXVII, c. 37, hunc Horatii versum invocat ad explicandam *restem per manus datam*, quam in saltationibus adhibebant Romanæ Virgines. Dacerius *funem* agnoscit, de quo Sat. II, 7, vs. 20. Sed afferre malo sententiam Gallici philosophi *Diderot* (t. III, p. 188), ni qua invenitur nova quidem, sed nostro sensu subtilior versus 47 explicatio. « Les confins des villes sont fréquentés par les poètes qui y cherchent la solitude, et par les cordiers qui y trouvent un long espace pour filer leur corde; *collecta pecunia*, c'est la filasse entassée dans leur tablier. Alternativement, elle obéit au cordier, et commande au chariot. Elle obéit quand on la file; elle commande quand on la tord. Pour la seconde manœuvre, la corde filée est accrochée d'un bout à l'émérillon du rouet, et de l'autre à l'émérillon du chariot, instrument assez semblable à un petit traîneau. Ce traîneau est chargé d'un gros poids qui en ralentit la marche, qui est en sens contraire de celle du cordier. Le cordier qui file s'éloigne à reculons du rouet; le chariot qui tord s'en approche. A mesure que la corde filée se tord par le mouvement du rouet, elle se raccourcit; et, en se raccourcissant, tire le chariot vers le rouet. Horace nous fait donc entendre que l'argent, ainsi que la filasse, doit faire la fonction du chariot, et non celle du cordier; suivre la corde torse, et non la filer; rendre notre vie plus ferme, plus vigoureuse; mais non la diriger. Le choix et l'ordre des mots employés par le poète indiquent l'emprunt métaphorique d'une manœuvre que le poète avait sous les yeux, et dont son goût exquis a sauvé la bassesse. » Ed.

Digitized by Google

Hæc tibi dictabam post fanum putre Vacunæ,
Excepto, quod non simul esses, cetera lætus. 50

49. *Hæc tibi dictabam.* Hæc tibi scribenda et ad te perferenda servo vel scribæ meo dictabam; — *post fanum putre Vacunæ: Vacuna*, dea vacantium, otiosorum, apud Sabinos colebatur: alii Venerem; alii Victoriam; sed Varro Minervam dicit, quod ea gaudent, qui sapientiæ *vacant*. Ed. Hoc Vacunæ templum in agro Sabino prope lucum Vacunæ sacrum (Plin. H. N. III, 12), non procul a villa Horatii abfuisse videtur. Post illud templum igitur Horatius, qui in locis villæ suæ vicinis circumvagari solebat, in toro fortasse gramineo prostratus dictavit hanc epistolam; refecit hoc templum *Vacunæ putre* (vetustate obsoletum), ut docet *Fea* ex reperta aliqua Inscriptione, Vespasianus. — *Excepto*, hac una re excepta. — *cetera*, quod ad cetera attinet; vid. Bentl. supr. in hac Epistola ad. v. 3; et Livium, lib. I, cap. 32 et 35. Ed.

Analysis. In hac Epistola Horatius vitam rusticam commendat. Ruris amorem naturæ propiorem et homini insitum esse ait, quem si expellas, tamen usque recurrit et fastidia vincit. In urbe præterea mens variis distrahitur cupiditatibus, ambitione scilicet, et avaritia, quibus si indulseris, brevi omnem vitæ libertatem amiseris. Ad Aristium Fuscum grammaticum, oratorem et poetam scripta quoque est libri primi Oda vigesima secunda; et de illo carissimo lepida quædam narrantur lib. I, Sat. 9, vs. 61 et seqq. Ed.

EPISTOLA XI.

AD BULLATIUM.

Curas non peregrinationibus, sed prudentia et ratione pelli posse; parum ad vitam beatam interesse, quo quisque loco habitet.

Quid tibi visa Chios, Bullati, notaque Lesbos?
Quid concinna Samos? quid Crœsi regia Sardis?

1. *Quid*, cujusnam pretii, qualis. *Chios*, *Lesbos*, *Samos*, insulæ maris Ægæi; *Lesbum* vocat *notam*, non tam vini præstantioris, quod ibi nascitur (cf. supr. ad Od. I, 19, 21), quam Sapphus et Alcæi ibi natorum, ut videtur, ratione habita. *Samos*, urbs princeps insulæ, dicitur *concinna*, sine dubio ob ædificiorum concinnitatem et alias hujus urbis oppor-

Digitized by Google

Smyrna quid, et Colophon? majora minorave fama?
Cunctane præ campo et Tiberino flumine sordent?
An venit in votum Attalicis ex urbibus una?
An Lebedum laudas, odio maris atque viarum?
—Scis, Lebedus quam sit Gabiis desertior atque
Fidenis vicus; tamen illic vivere vellem,
Oblitusque meorum, obliviscendus et illis,
Neptunum procul e terra spectare furentem.
—Sed neque qui Capua Romam petit, imbre lutoque

tunitates; — *Sardis*, urbs princeps Lydiæ. — *Smyrna*, Ioniæ urbs maritima; *Colophon*, urbs Ioniæ clarissima. — *majora minorave fama?* num illæ urbes famam, qua celebrantur, superant, an minus ei respondent?— *campo*, scil. Martio. — *sordent*, displicent. — *An venit in votum Attalicis ex urbibus una*, an in una urbium Attalicarum vivere optas? Ad urbes nobiliores, quibus imperabat Attalus, rex Pergami, præter *Pergamum* pertinent *Myndus*, *Apollonia*, *Tralles*, *Thyatira*, etc.— *Lebedum*, Ioniæ urbem maritimam. — *laudas*, anteponis. — *odio maris atque viarum*, simillime supr. Od. II, 6, 7, itinerum maritimorum et pedestrium pertæsus dicitur *lassus maris et viarum*. — *Scis, Lebedus quam sit*, etc. hæc cum sequentibus non facile cohærere videntur. Nam si Horatius Bullatio diceret se libentius Lebedi, vici deserti vitam acturum esse, oblitum et obliviscendum, quam Romam rediturum, quomodo sequentibus, v. 11, ne in medio itinere lassus sistat, suaderet? ut omnino inter se cuncta connectantur, intelligam quatuor hos versus ab ipso Bullatio dici, quibus Horat. v. 11 et sq. respondeat, hoc modo: « O Horati, ait Bullatius, nosti quam tenuis, quam desertus vicus sit Lebedus; tamen illic remanere malim quam Romam redire; » respondet Horatius: « Quamvis multum molestiæ et periculi adieris in itinere, tamen consultius feceris, si Romam redieris. Nam quemadmodum is qui Capua Romam petit, » etc. Ed. — *quam sit;* parum ad latinæ linguæ normam videtur vox illa *quam* comparativo conjuncta. Unde nonnulli ita legi volunt: *scis Lebedus quid sit?* quasi interrogatio cui ipse respondet interrogans: Gabiis desertior, etc. Ed. — *Gabiis desertior*, nunc quidem, nam olim *Lebedus* urbs fuit celeberrima, sed inde a Lysimacho, qui eam evertit et incolas ejus deduxit Ephesum, deserta; hinc vocatur *vicus desertior*, (sc. ab incolis, infrequentior,) *Gabiis* (parvo oppido inter Romam et Prænestе) *atque Fidenis*, oppido Sabinorum. — *Neptunum procul e terra spect. furentem. Lambinus* comparavit Lucretii primos versus lib. sec. « Suave, mari magno turbantibus æquora ventis, E terra magnum alterius spectare laborem. »

11. Seqq. Inde ab hoc versu usque

Digitized by Google

Adspersus, volet in caupona vivere; nec, qui
Frigus collegit, furnos et balnea laudat,
Ut fortunatam plene præstantia vitam.
Nec, si te validus jactaverit Auster in alto,
Idcirco navem trans Ægæum mare vendas.
Incolumi Rhodos et Mitylene pulchra facit, quod
Penula solstitio, campestre nivalibus auris,
Per brumam Tiberis, Sextili mense caminus.
Dum licet, et vultum servat Fortuna benignum,
Romæ laudetur Samos, et Chios, et Rhodos absens.
Tu, quamcumque deus tibi fortunaverit horam,
Grata sume manu; nec dulcia differ in annum:

ad finem expressit Horatius hanc fere sententiam: « Sed, quæcumque tibi placuerit urbs vel regio, fac, queso, redeas Romam; nam, quemadmodum is, qui Capua Romam petit, non ideo in caupona volet vivere, quoniam ibi corpus imbre adspersum siccare, reficere et a luto purgare potuit, vel is, qui nunc frigore collecto furnos et balnea laudat, non ideo illa ad summam felicitatem referet; ita tu quoque non in locis, quæ te nunc delectant, hærebis; nec, in alto jactatus, vendita nave, a reditu in patriam te abstrahi patieris. Rhodos et pulchra Mitylene ei, qui non, valetudinis causa, eo se confert (*incolumi*), idem sunt, quod aliæ res, quæ, per se bonæ, nisi opportuno tempore adhibentur, nocent magis, quam prosunt. Redi, et extera loca remotus (*absens*) ab iis Romæ lauda. Fruere bonis, quæ fortuna sereno vultu tibi nunc arridens offert, ut, ubicumque fueris, te jucunde vixisse dicere possis. Nam si non loci alicujus amœnitas, sed rationis usus et considerantia curas evellit ex animo, profecto ii, qui trans mare currunt, non animum, sed cælum tantum mutant. Sed sic sumus homines; navibus et quadrigis vecti procul petimus, quod in propinquo est et ante pedes jacet. »

14. *Ut fortunatam plene præstantia vitam*, tanquam ea, in quibus perfecta vitæ felicitas posita sit.

17. *Incolumi*; si sanæ mentis es; si sapis. Ed. — *Rhodos et Mitylene*, cf. supr. ad Od. I, 7, 1. — *Penula*, vestis crassior, qua iter facientes se muniebant contra frigus et pluviam; vid. Ernest. Clav. Cic. s. v. *penula*. — *campestre*, velamentum quo, qui æstate nudi in Campo Martio certabant (unde nomen), ad obtegenda pudenda succingebantur. — *auris*, malem *horis*. Ed. — *solstitio*; per æstatem; *bruma*; per hiemem: quia sol tunc stare videtur. Ed.

20. *Vultum servat Fortuna benignum*, vanæ igitur fuisse videntur curæ, quarum deponendarum causa,

Digitized by Google

Ut, quocumque loco fueris, vixisse libenter
Te dicas; nam si ratio et prudentia curas,
Non locus effusi late maris arbiter, aufert,
Cælum, non animum, mutant, qui trans mare currunt.
Strenua nos exercet inertia: navibus atque
Quadrigis petimus bene vivere; quod petis, hic est;
Est Ulubris, animus si te non deficit æquus.

peregrinabatur Bullatius. — *Romæ*: redi Romam; et apud nos insularum illarum pulchritudinem, quantum voles, jactabis. Ed. — *dulcia differ*. Sic lib. III, Od. 8: « dona præsentis rape lætus horæ. » Ed. — *libenter*, suaviter, jucunde. — *Non locus effusi late maris arbiter*, locus, e quo libere prospici potest late patens mare, dicitur *maris arbiter*, h. e. dominus, in mare quasi dominans; locus autem, qui late effusi maris prospectum præbet, est amœnissimus, ut supra Lebedus, e cujus altis aggeribus poterat Bullatius securis oculis *Nepaunum spectare furentem*. Ed. — *cælum, non animum*, etc. Qui peregrinantur, usque secum curas portant, et loca tantum, non animos mutant. Pythagoras dicebat prudentiam non mutatione regionum doceri, aut insaniam auferri. Æschines ad Demosthenem: « οὐ γὰρ τὸν τρόπον, ἀλλὰ τὸν τοπὸν μετήλλαξας. » Ed.

28. *Strenua nos exercet inertia*. *Inertia* ex suavi oxymoro jam dicitur *strenua*; non raro enim homines inertes in iis, quæ non suscipere et exsequi debebant, gnavos se præbent atque strenuos. — *petimus bene vivere*, petimus locum, ubi bene vivamus. — *Navibus atque Quadrigis*, per longinqua; summa contentione: nos: « par terre et par mer; à pied et à cheval. » Ed. — *Est Ulubris. Ulubræ*, oppidum exiguum et desertum in agro Pomtino, ubi Augustus Cæsar tamen educatus fuerat. Ed. — *animus æquus*, qui sibi constat, non varius et mutabilis est; vel potius, qui suo statu contentus, nec se unquam attollit, nec se deprimit. Ed. Horatius igitur Bullatio paulo lenius exprobrasse videtur inconstantiam.

Analysis. Videtur hanc Epistolam amico scripsisse Horatius, qui Romæ vivendi tædio, itinera susceperat, gratiorem felicioremque vitam in aliqua Græciæ vel Asiæ urbe quæsiturus. Eum docet poeta peregrinationibus cælum tantum, non animum mutari; nonnisi ratione et prudentia curas expelli, et eum, cui animus æquus est, ubique beate vivere posse. Ed.

Digitized by Google

EPISTOLA XII.

AD ICCIUM.

Monet, ut suo contentus vivat.

FRUCTIBUS Agrippæ Siculis, quos colligis, Icci,
Si recte frueris, non est, ut copia major
Ab Jove donari possit tibi: tolle querelas;
Pauper enim non est, cui rerum suppetit usus.
Si ventri bene, si lateri est pedibusque tuis, nil
Divitiæ poterunt regales addere majus.
Si forte in medio positorum abstemius herbis

1. *Fructibus Agrippæ Siculis*, etc. Postquam Iccius spe divitiarum in bello (vid. supr. Odarum libr. I, 29) sibi comparandarum exciderat, alia, quibus voti sui compos fieret, circumspexit: neque id frustra. Agrippa enim Iccium latifundiorum suorum in Sicilia administrationi præfecerat; hinc *Agrippæ fructus Siculos colligere* dicitur. — *non est, ut possit* (Græce: οὐκ ἔστιν ὡς vel ὅπως), pro: non potest; cf. supr. Od. III, 1, 9. — *tolle querelas*, ergo jam sæpe Iccius, ut solent avari, de rerum suarum conditione querelas fuderat. — *cui rerum suppetit usus*, cui suppetunt res necessariæ in usum, vel qui tantum habet, quantum ad vitam sustentandam opus est; *rerum usus*, res, quibus in vita utimur; minus est *uti* quam *frui*: sic apud Livium, XXII, 2: « necessaria ad usus, » sunt res, quibus vita carere non potest, vitæ necessaria (τὰ δέοντα); cf. Od. II, 11, 5.

5. *Si ventri bene, si lateri est pedibusque*, si stomacho et viribus ad Venerem vales, si non podagra laboras (nos: *bon pied, bon œil*). ED. Expressit Horatius hæc ex Theogn. Sent. 724: « Ἰσόν τι πλουτοῦσιν, ὅσοις πολὺς ἄργυρος ἔστι, καὶ χρυσὸς, καὶ γῆς πυροφόρου πεδία, Ἵπποι θ' ἡμίονοί τε, καὶ ᾧ τὰ δέοντα πάρεστι, Γαστρί τε καὶ πλευραῖς καὶ ποσὶν ἁβρὰ παθεῖν. »

7. *Si forte in medio*, etc. De hoc loco plurimum dissentiunt interpretes; ego autem hanc explicationem, ut simplicem et præcedentibus apprime accommodatam, malim: sin autem inter illas opes quæ tibi suppetunt, et quæ in medio positæ, id est, in manibus tibi sunt, vivis vilibus cibis, herbis et leguminibus, sic vives protinus, uno eodemque tenore; non ali-

Digitized by Google

Vivis et urtica, sic vives protenus, ut te
Confestim liquidus fortunæ rivus inauret;
Vel quia naturam mutare pecunia nescit;
Vel quia cuncta putas una virtute minora.
Miramur, si Democriti pecus edit agellos
Cultaque, dum peregre est animus sine corpore velox;
Quum tu inter scabiem tantam et contagia lucri
Nil parvum sapias, et adhuc sublimia cures:
Quæ mare compescant causæ; quid temperet annum;
Stellæ sponte sua, jussæne vagentur et errent;

ter vivere perges, non lautius, etiamsi fortuna improvisa te suis donis, aureo fluvio inundet; vel quia hominis indoles opibus non mutatur; cupiditas affluente pecunia non minuitur: vel quia virtutem solam, ut Stoici, deliciis omnibus potiorem æstimat. Omnia hæc de avaro Iccio ironice. Ed. — *abstemius*, vino abstinens, a verbo *abstinere* et *temetum*, quæ vox antiqua vinum significat: hic *abstemius* pro *frugalis* et *sobrius* generaliter sumitur. Ed. — *urtica*. Dioscorides, lib. IV, c. 94; et Plinius, XXI, c. 15, *urticam* in cibo fuisse et in remediis testantur: et hodie pauperes teneris urticæ (magnæ vel communis) surculis igne fervefactis in Italia et passim vescuntur. Ed. — *fortunæ rivus inauret*, fortuna te donis suis cumulet. Videtur Horatius hic de Pactolo et Mida cogitasse. Ed.

12. *Miramur, si*, etc. Sensus: Quod si miramur, Democritum toto animo ita philosophiæ studio defixum fuisse, ut ille, nulla rerum domesticarum cura habita, vicinorum pecora agros suos depasci sineret, multo magis mirari debemus, te, Icci, (*inter tantam scabiem et contagia lucri*) inter tam fœdam et contagiosam ditescendi cupiditatem, ultra ea, quæ parva sunt, sapere, et in rerum sublimium, h. e. cælestium et physicarum causas atque origines, ut olim, inquirere. — *Democriti*. Schol. Cruq. « Hic dum philosophiæ intentus erat, neglexit agros suos adeo, ut vicinorum pecora ibi libere pascerentur. » De Democriti ingenio et rerum suarum negligentia Gesnerus laudat Menag. ad Diog. Laert. IX, 39. — *animus sine corpore velox*, præclare de animo, qui, sejunctus a corpore, per se viget, cogitat, ratiocinatur. — *adhuc*, nunc quoque. — *sublimia*, sublimia illa explicat 5 vers. seq.

16. *Quæ mare*, etc. Hic locus, in quo philosophorum de rerum physicarum causis quæstiones tanguntur, comparandus est cum Manil. I, 99, seqq. Virgil. Georg. II, 477, seqq. Propert. III, 5, 25, seqq. — *mare compescant*, intra terminos suos cohibeant; Propert. l. l. v. 37: « Curve suos fines altum non exeat æquor. »

Digitized by Google

Quid premat obscurum Lunæ, quid proferat orbem;
Quid velit et possit rerum concordia discors;
Empedocles, an Stertinium deliret acumen.
Verum seu pisces, seu porrum et cæpe trucidas,
Utere Pompeio Grospho; et, si quid petet, ultro
Defer: nil Grosphus nisi verum orabit et æquum.
Vilis amicorum est annona, bonis ubi quid deest.
Ne tamen ignores, quo sit Romana loco res:
Cantaber Agrippæ, Claudî virtute Neronis

— *temperet annum*, moderetur annum quatuor tempestatibus ad certas leges constitutis; Propert. l. I, v. 38: « Plenus et in partes quatuor annus eat. » *Jussæne vagentur et errent*, planetas intellige.

18. *Quid premat obscurum*, quid lunam obscuret, quid eamdem ex obscuritate proferat, et lucentem sistat; per lunam obscuratam intellige lunæ defectum, sive (ut Virgil. dicit l. l. v. 478) « lunæ labores. » — *rerum concordia discors*, ad philosophorum scilicet mentem ea, quæ in rerum natura inter se pugnant, mirifice ad mundum conservandum consentiunt; hanc *concordiam discordem* Manilius l. I. v. 141, vocat « discordiam concordem. » Ovid. Met. I, 430, seqq. « Quippe ubi temperiem sumsere humorque calorque, Concipiunt, et ab his oriuntur cuncta duobus; Quumque sit ignis aquæ pugnax, vapor humidus omnes Res creat, et *discors concordia* fœtibus apta est. » — *Empedocles*, Agrigentinus, poeta et philosophus, qui de rebus physicis scripsit (Cic. Orat. I, 50, 3.), quatuor elementis addidit concordiam (φιλίαν) et discordiam (νεῖκος). — *Stert.* de Stertinio vid. supr. ad Sat., II, 3, 33.

21. *Seu pisces*, intelligit poeta per *pisces* epulas lautiores; — per *porrum* autem et *cæpe*, parcum victum. — *trucidas*, facete dictum pro *consumis, edis*. Volunt etiam dictum hoc ad deridendum Pythagoram, qui leguminibus, quasi viventibus, abstinebat. Ed.

22. *Utere Pompeio Grospho*, utere familiariter, inter amicos habeas Pompeium Grosphum. Ed. — De *Pompeio Grospho* cf. supr. ad Od. II, 7, in Anal. — *ultro*, prompto paratoque animo. — *verum*, quod rectum et fas est; cf. supr. ad Epist. I, 7, 98.

24. *Vilis amicorum est annona, bonis*, etc. Respondet hic versus sententiæ: Grosphum nil, nisi quod rectum et æquum sit, petiturum esse; sensus igitur: facile et vili pretio comparatur bonorum virorum amicitia, quum re aliqua indigent; quum non sunt divites, quia tunc verecundi et non difficiles. Ed. — *vilis annona* proverbiali locutione de iis, quæ, sicut annona, vili pretio adquiruntur. — *deest*, una syllaba pronuntiandum, ut supra Sat. II, 2, 98: « deerit » duabus syllabis.

26. Ad res novas cum Iccio communicandas tria potissimum refert,

Digitized by Google

Armenius cecidit: jus imperiumque Phraates
Cæsaris accepit genibus minor: aurea fruges
Italiæ pleno diffudit Copia cornu.

1° quod Cantabri Agrippæ, 2° Armenii Tiberii Claudii Neronis virtute devicti sint, 3° quod Phraates, fracta tandem ipsius superbia, jus et imperium Augusti agnoverit et nunc formam supplicantis induerit. De *Cantabris*, ab Agrippa tandem perdomitis, vid. Dio, LIII, 25; hinc supr. Od. III, 8, 22: « Cantaber sera domitus catena, » quod ad verba *Claudi virtute Ner. Armenius cecidit* attinet, tenendum est, Horatium non eos sequi, qui cædem Artaxiæ, Armeniorum regis, dolo propinquorum tribuunt, sed in Tiberii gratiam vulgarem famam, qua cædes quoque Artaxiæ ad res a Tiberio gestas referebatur; Tacitus quoque, Annal. II, 3, post verba: « Occiso Artaxia per dolum propinquorum » addit: « datus a Cæsare Armeniis Tigranes, deductusque in regnum a Tiberio Nerone; » et Suetonius de Tiberio, cap. 9: « Ducto ad Orientem exercitu, regnum Armeniæ Tigrani restituit. » Verba: « jus imperiumque Phraates accepit genibus minor » interpretor, ut modo indicavi, de tempore, quo Phraates, quum imminens Romanorum bellum extimesceret, majorem Romanorum potentiam agnovit, et quodammodo juri et imperio Cæsaris sese subjecit. Justin. XLII, 5: « Finito Hispanico bello, quum Cæsar (Augustus) in Syriam ad componendum Orientis statum venisset, metum Phraati incussit, ne bellum Parthiæ inferre vellet. Itaque tota Parthia recollecti captivi ex Crassiano sive Antonii exercitu signaque cum his militaria Augusto remissa. Sed et filii nepotesque Phraatis obsides Augusto dati, » etc. Cf. Sueton. Octav. 21. — *imperium accepit*, hinc supr. Od. III, 5, 4: « præsens divus habebitur Augustus, adjectis Britannis *Imperio*, gravibusque *Persis*. » Od. IV, 14, 41: « Te Cantaber non ante domabilis, *Medusque* miratur, » et Carm. Sæc. v. 54: « Jam mari terraque manus potentes *Medus* Albanasque timet secures. » — *genibus minor*, nil nisi supplicantis adumbratio; qui *minor* alicujus genibus est, is infra ejus genua collocatus, sive ad ejus genua prostratus est. Ad hanc, quam inii, explicandi rationem neque emendatio Bentleii: *Tigranes* pro: *Phraates*, neque motæ de hoc loco a duumviris, Ruhnkenio ad Vellei. P. II, 94, et Eichstadio (*Kritischer Nachtrag zum ersten Buch der Episteln*, p. 225), dubitationes momentum facere videntur.

28. *Aurea fruges Italiæ*, etc. Cf. supr. Od. I, 17, 14 seqq. IV, 5, 17; et Carm. Sæc. v. 59. — *diffudit*, pro vulgari igitur: messis hoc anno fuit largissima; vel Dea Copia rerum omnium abundantiam Italiæ suppeditavit. Vid. *Facciolati* s. v. Copia. Ed.

Analysis. In hac Epistola Horatius comiter deridere videtur Iccium. Qui quidem quum avare parceque viveret, et de paupertate quereretur, licet

Digitized by Google

Agrippæ in Sicilia latifundiis præpositus, magnas inde divitias perciperet, ita ipsi respondet Noster: aut divitiis, inter quas positus es, frueris, nec tibi quærendi locus est, quum maximæ sint; aut iis non utens, parce et avare vivis, nec etiam tibi majorum opum optandarum locus est, quum semper deliciis et lautiore victu abstineres, vel propter innatam tibi frugalitatem, vel propter tuum virtutis studium. Finit quædam de temporis præsentis rebus nuntiando. — Iccium divitiarum colligendarum flagrasse studio, jam ex carmine ad eum scripto supr. Od. I, 29, ubi Horatius Iccium, ditescendi causa, animum ad militiam appulisse ait, colligi potest. Ex iis autem quæ in hac Epistola passim adsperguntur, eumdem fuisse hominem avarissimum, haud obscure intelligitur. Dacerius vult *Itium*, non *Iccium* dici, quod familia Romæ fuerit *Itia*, sed non *Iccia*. Scripta hæc Epist. a. U. C. 754: Horat. 46. Ed.

EPISTOLA XIII.

AD VINNIUM ASELLAM.

Dum Horatius signata carminum volumina Vinnio Asellæ ad Augustum perferenda tradit, docet quomodo illa Augusto porrigenda sint.

Ut proficiscentem docui te sæpe diuque,
Augusto reddes signata volumina, Vinni,
Si validus, si lætus erit, si denique poscet;
Ne studio nostri pecces, odiumque libellis
Sedulus importes opera vehemente minister. 5

1. *Ut proficiscent. docui te sæpe diuque. Ut*, ad eam rationem, quam docui; fuit igitur Vinnius Asella tabellarius, servilis conditionis homo, quem cum literis proficiscentem jam sæpe multumque, quomodo dextre obiret tabellarii officium, Horatius docuerat. — *signata*, sigillo impresso obsignata. — *Si validus... erit*, si prospera valetudine utetur; sic *validus* de eo, qui bene valet et salvus est, supr. Od. I, 31, 17: « male validus, » male corpore affectus, imbecillis, supr. Sat. II, 5, 45. — *poscet*, sc. tradi sibi volumina. — *Ne studio nostri pecces*, ne, dum meis rationibus inservire studes, rem meam sinistre agas. — *odiumque*, etc. Et, dum præcipitantius et nimia sedulitate libellos tradis, facias ut illi displiceant mei libri, ut illi minus grati accedant. — *minister*, tabellarius. — *vehemente opera sedulus*, male, vel nimis sedulus.

Digitized by Google

Si te forte meæ gravis uret sarcina chartæ,
Abjicito potius, quam, quo perferre juberis,
Clitellas ferus impingas, Asinæque paternum
Cognomen vertas in risum, et fabula fias.
Viribus uteris per clivos, flumina, lamas:
Victor propositi simul ac perveneris illuc,
Sic positum servabis onus, ne forte sub ala
Fasciculum portes librorum, ut rusticus agnum;
Ut vinosa glomos furtivæ Pyrrhia lanæ;
Ut cum pileolo soleas conviva tribulis.
Ne vulgo narres te sudavisse ferendo
Carmina, quæ possint oculos auresque morari

6. *Te uret*, te premet et vexabit. — *Clitellas*, apposite jam Horatius ad lusum, cui in tabellarii nomine *Asella* indulsit, librorum sarcinam vocat *clitellas*, quæ asinis ad onera portanda imponi solent. — *ferus* jam de asino, ut de equo Virgil. Æn. II, 51. — *impingas*, violenter in terram excutias, vel ipsi principi obtrudas. Ed. — *Asinæque pat. Cogn. vertas in risum*, hoc lusu in nomine *Asella*, sive *Asina* captato, Horatium abstinuisse, plures, puto, mecum velint. — *et fabula fias*, et per ora hominum traducaris; vid. supr. ad Epod. IX, 8.

10. *Lamas*, locos paludatres, paludosos, lutosos. Totus hic versus metaphorice accipiendus. Submovebis obstacula omnia, ut ad Augustum perferas onus tuum. Ed. — *Victor prop.* Propositam viam emensus. — *illuc*, in ædes Augusti. — *Sic positum servabis onus*, librorum fasciculum tenebis; *sic*, hunc in modum, h. e. apte et decenter positum; sed fortasse quoque Horatius, dum aiebat *sic*, ipse simul monstrabat; et præibat σχῆμα, quo tradenda essent carmina.

14. *Vinosa* (bibax) *Pyrrhia*. Schol. Cruq. « nomen est ancillæ in quadam fabula Titinnii, quæ, furata lanæ glomos, ita se gestavit, ut deprehensa sit. » — *glomos; glomus, eris* et *glomus, i:* lana in formam globi convoluta. — *Ut cum pileolo*, etc. Sicuti tribulis ex plebe vel rure, a superiore vel ditiore ejusdem tribus ad cœnam vocatus, soleas cum pileolo sub ala portare solet; de *solearum* usu in conviviis vid. supr. ad Sat. II, 6, 77. Rusticos autem mores, ut ex hoc loco discimus, ostendebat *tribulis*, qui, quum cœnatum iret, soleas cum pileolo sub ala gestabat. — *pileolo*, quo extrema tantum capitis pars obtegebatur. Videntur autem *pileoli* ad externum convivarum cultum pertinuisse.

16. *Ne vulgo narres*: noli jactare neque tuam diligentiam, neque *sudo-*

Digitized by Google

Cæsaris : oratus multa prece, nitere porro;
Vade, vale : cave ne titubes, mandataque frangas.

res in *ferendis carminibus* quæ possint Cæsaris oculos et aures *morari*, advertere et oblectare : *mea carmina* non ita sunt oneri, ut sudes. Infr. in Epist. ad Pis. 321 : « Fabula... Valdius oblectat populum meliusque *moratur*. » Ne quæras admirationem et exspectationem vulgi movere, sed a me toties rogatus, tace ; solerter age ; progredere ; observa accurate quæ toties te docui ; *ne titubes*. Ed. — *mandataque* sc. carmina *frangas*, corrumpas, disperdas ; accommodate ad *titubes*, quia non raro, qui titubant, cadunt, et cadendo frangunt quæ portant. Ed.

Analysis. Nihil de hac Epistola dicemus, quæ nonnisi jocus est, subito a poeta chartæ illitus, quum carmina sua Augusto mitteret. Heinsius hanc *venustissimam* appellat, quæ umbraticorum et rusticorum mores, quum ad principum palatia se conferunt, lepide describit. Ed.

EPISTOLA XIV.

Villicum suum carpit, quod urbanam vitam præferat rusticæ.

Villice silvarum et mihi me reddentis agelli,
Quem tu fastidis, habitatum quinque focis, et
Quinque bonos solitum Variam dimittere patres;
Certemus, spinas animone ego fortius, an tu

1. *Villice*, rerum in villa administrandarum curator. — *mihi me reddentis*, ubi liber et solutus invisis negotiis ad me redire, et mihi soli vivere soleo. — *quinque focis*, per *quinque focos* intelligo quinque domos vel casulas, in quibus habitabant quinque familiæ, quarum *boni patres* (facete dictum, quasi *senatores*), negotiorum causa, se inde conferre solebant *Variam*, oppidulum situm ad Anienis ripam dextram. Non sine causa autem Horatius jam ab hac parte commendat villam suam ; nam quo amplior illa fuit et frequentior, eo jucundius ibi vivere poterat villicus. — *spinas ; spinas evellere agro*, sensu proprio, *evellere animo*, sensu metaphorico de curis, quæ animum pungunt et lacerant, vel de vitiis, quæ animum corrumpunt ; infr. Epist. II, 2, 212 : « Quid te exemta juvat spinis de pluribus una? » Hinc *spinosæ curæ* apud Catull. LXIV,

Digitized by Google

Evellas agro; et melior sit Horatius, an res.
Me quamvis Lamiæ pietas et cura moratur,
Fratrem mœrentis, rapto de fratre dolentis
Insolabiliter; tamen istuc mens animusque
Fert, et amat spatiis obstantia rumpere claustra.
Rure ego viventem, tu dicis in urbe beatum:
Cui placet alterius, sua nimirum est odio sors.
Stultus uterque locum immeritum causatur inique;
In culpa est animus, qui se non effugit unquam.
Tu mediastinus tacita prece rura petebas;
Nunc urbem et ludos et balnea villicus optas:

72. Similiter in Epist. ad horti sui cultorem Bolæus: « Oh ! que de mon esprit, triste et mal ordonné, Ainsi que de ce champ par toi si bien orné, Ne puis-je faire ôter les ronces, les épines, Et de défauts sans nombre arracher les racines ! » Ed.— *et melior sit Horat. an res,* et Horatius melius se habeat, quam res, id est, ager. Ed.

6. *Lamiæ.* De *Q. Æmilio Lamia,* quem, ut ex hoc quoque loco apparet, intimo amore complexus est Horatius: vid. supr. Od. I, 26, in *Argum.* — *Lamiæ pietas et cura,* pius erga amicum meum Lamiam amor, et de eo, graviter fratris morte afflicto, cura atque sollicitudo; nisi quis *pietatem* ad fraternum amorem, et *curam* ad luctum referre malit.— *me moratur,* me Romæ retinet, me in urbe manere jubet, sc. ut in Lamiæ mei doloris societatem veniam. — *mens animusque,* totus meus animus.— *istuc fert,* in villam me trahit rapitque. — *et amat spatiis obst. rump. claustra,* et cupiditate impedimenta itineri in villam objecta e medio tollendi impellitur. — *amat,* cupit, φιλεῖ, cf. supr. ad Od. III, 16, 10. — *spatiis obstantia claustra,* locutio à ludis circensibus translata; *claustra* sunt carceres sive repagula, quibus quadrigæ in ludis circensibus, donec signum ad certamen dabatur, a *spatio* (h. e. curriculo) cohibebantur.

11. *Sua nimirum est odio sors,* is sane sorte sua non contentus est. — *Stultus uterque locum,* etc. Immerito sane ego et tu loco tribuimus, quod mihi urbana, tibi rustica vita infelix videatur; ea tantummodo animi culpa est, qui sua secum fastidia et vitia fert. Ed.— *locum,* sc. in quo collocatus est, vel vivit.— *qui se non effugit unquam;* supr. Od. II, 16, 20: « quis exsul Se quoque fugit? » pro: *unquam,* quia sermo est de loco nonnulli maluerint *usquam; non... usquam,* in nullo usquam loco.

14. *Mediastinus,* vilior servus, qui nulli certo operi adstrictus, ad quævis obeunda servitia presto adstabat, tanquam in medio atrio positus. Ed. — *tacita prece rura pet.* Tacite optabas

Digitized by Google

Me constare mihi scis, et discedere tristem,
Quandocumque trahunt invisa negotia Romam.
Non eadem miramur; eo disconvenit inter
Meque et te: nam, quæ deserta et inhospita tesqua
Credis, amœna vocat, mecum qui sentit, et odit
Quæ tu pulchra putas: fornix tibi et uncta popina
Incutiunt urbis desiderium, video; et quod
Angulus iste feret piper et thus ocius uva;
Nec vicina subest, vinum præbere, taberna,
Quæ possit tibi; nec meretrix tibicina, cujus
Ad strepitum salias terræ gravis: et tamen urges
Jampridem non tacta ligonibus arva, bovemque
Disjunctum curas, et strictis frondibus exples:

rus mitti, ubi meliori utereris conditione. Ed. — *Nunc urb.* etc. Nunc, factus villicus, desideras urbem quam reliquisti, in qua ludi et balnea tibi præsto erant. Ed. — *Me const. mihi scis*, me semper in eadem sententia manere, ac ruris amatorem esse, et, non nisi invitum, Romam redire. Ed.

18. *Non eadem miramur*, non eodem sensu de iisdem rebus afficimur. — *eo disconvenit inter Me et te*; idcirco, ob id alia mihi ac tibi sententia de rure est. Ed. — *tesqua*. Vet. Schol. « lingua Sabinorum loca difficilia et repleta sentibus sic nominantur. » Vid. Festus s. v. Varro de L. L. VI, 2. — *uncta popina*, possit quidem explicari *immunda*, uti vocatur *popina*, supr. Sat. II, 4, 62, sed *immunda* popina non potest urbis desiderium incutere; *uncta* igitur jam popina, ubi unctæ sive lautiores epulæ administrantur; sic infr. Epist. I, 17, 12, *unctus*, qui lautius vivit; « accedes siccus ad unctum. » Epist. I, 15, 44: « Verum ubi quid melius contigit et unctius. » Apud Catull. XXIX, 3: « patrimonia uncta, » opima, lautiora. — *et quod*, etc. Porro ideo in urbem redire cupis, quod (*angulus iste*) hic ager, ab urbe remotus, piper et thus, tu vero uvas præ ceteris fructibus amas, (*ocius*) potius quam vinum ferat.

24. *Nec vicina subest*; denique, quod nec in vicinitate est taberna, quæ tibi vinum præbere possit, nec præsto adest meretrix, etc. — *terræ gravis*, rustici enim, præcipue vino graves, quum saltant, gravius pulsant terram pedibus. — *et tamen urges*, etc. Sensus et nexus: et tamen non diffluis ignavo otio, quod excitare possit urbis desiderium; immo jam pridem vel insudas agro ligonibus fodiendo, vel bovem in stabulo curas, et strictas frondes ei suppeditas. — *Disjunctum*, in stabulo enim bos a

Digitized by Google

Addit opus pigro rivus, si decidit imber,
Multa mole docendus aprico parcere prato.
Nunc, age, quid nostrum concentum dividat, audi.
Quem tenues decuere togæ nitidique capilli,
Quem scis immunem Cinaræ placuisse rapaci,
Quem bibulum liquidi media de luce Falerni,
Cœna brevis juvat, et prope rivum somnus in herba:
Nec lusisse pudet, sed non incidere ludum.
Non istic obliquo oculo mea commoda quisquam
Limat; non odio obscuro morsuque venenat:
Rident vicini glebas et saxa moventem.
Cum servis urbana diaria rodere mavis:
Horum tu in numerum voto ruis. Invidet usum

jugo disjunctus est.— *Addit opus pigro rivus*, etc. Huc accedit labor, quo te invitum occupat rivus, qui, si imber decidit, *multa mole*, a pratis apricis cohibendus est; per *multam molem* intelliges aggerem, obices, stipites, etc. — *docendus parcere*, eleganter pro: coercendus; infr. in Epist. ad Pis. 68: « amnis... doctus iter melius. » — *aprico parcere prato*, ne in pratum apricum se immittat.

31. *Quid nostrum conc. dividat*, quid illud sit, quo inter me et te disconveniat, ut locutus est v. 18. — *tenues* (e tenui et subtili panno confectæ) *togæ* opponuntur *togis crassis*; supr. Sat. I, 3, 15. — *capilli nitidi*, sc. unguentis. Supr. Od. II, 7, 7: « capilli Malobathro Syrio nitentes. » — *immunem*, nullo oblato munere; hinc supr. Od. IV, 1, 3: « qualis eram *bonæ* sub regno Cinaræ. » — *rapaci*, munerum apud alios appetentissimæ; sic *rapax domina* apud Tibull. II, 4, 25. — *bibulum*, infr. Epist. I, 18, 91: « Potores bibuli media de nocte Falerni. » — *Cœna brevis*, modica, quæ brevi tempore sumitur; similiter infr. in Epist. ad Pis. 198: « mensa brevis. » — *lusisse*, amoribus et genio indulsisse. — *sed non incidere ludum*, sed non intermittere ludum illum, non finem facere juvenili proterviæ, id pudori et dedecori est.

37. *Istic*, in villa mea, in agro. — *obliquo oculo* (invidia) *Limat*, deterit, invidis limisque oculis insidiatur meis commodis. — *morsuque ven.* sicut anguis. — *glebas et saxa moventem*, me colentem et purgantem arva. Ed.

40. *Cum servis urbana*, etc. Tu cum servis urbanis scilicet, mavis ea cibaria consumere, quæ ipsis dantur in singulos dies. Ed. — *diaria*, victum unius diei. Ed. — *rodere*, apte dictum de tenui victu. Ed. — *Horum tu in numero voto ruis*, desiderio raperis.

Digitized by Google

Lignorum et pecoris tibi calo argutus, et horti.
Optat ephippia bos piger; optat arare caballus:
Quam scit uterque, libens (censebo) exerceat artem.

ardenter optas ut in eorum numero sis. Ed. — *usum Lignorum,* quorum in agris largior est copia, *pecoris,* lactis. — *calo,* vid. supr. ad Sat. I, 2, 44. — *argutus,* callidus, astutus, catus; ut supr. Sat. I, 10, 40: « arguta meretrix. » — *ephippia,* ornamentum equi, tapes v. g. quo insternitur, vel sella ejus dorso ad sedendum commodius imposita; id est, bos optat ut sessorem, tanquam equus, dorso ferat. Ed. — *bos piger,* quamvis bos pro tarditate sua non currere, ut equus, potest. — *Quam scit uterque, lib. exerc. artem.* Proverbium ex Aristophane Vesp. 1422, notum: « Ἕρδοι τις, ἣν ἕκαστος εἰδείη τέχνην. » — *uterque,* villicus et calo.

Analysis. Sub Epistolæ specie ad villicum scriptæ, poeta quædam chartæ illevit de suo ruris amore, de urbanæ vitæ incommodis: jam idem argumentum VII et X Epistolis, sed diverso modo tractavit. Bolæus noster hanc imitatur, Epist. XI: « Antoine, *Gouverneur* de mon jardin d'Auteuil. » Sed pace tanti viri dixerim, remansit Horatio longe inferior. Ed.

EPISTOLA XV.

AD C. NUMONIUM VALAM.

De Velia et Salerno interrogat, salubriter et jucunde vivendi ratione habita.

Quæ sit hiems Veliæ, quod cælum, Vala, Salerni,
Quorum hominum regio, et qualis via; (nam mihi Baias

1. *Quæ sit hiems,* etc. Oratio, duabus longioribus parenthesibus interrupta, usque ad v. 25; progreditur. Exemplum ejusmodi longioris parentheseos jam supr. Sat. I, 7, 10 seqq. occurrebat. — *Quæ,* qualis, mitisne an immitis? — *cælum,* aeris temperies (*clima*t). — *Velia,* Lucaniæ oppidum. — *Salernum,* agri Picentini oppidum maritimum in magna Græcia.

2. *Nam mihi Baias... Per medium frigus.* Sensus orationis paulo molestius junctæ est fere hic: nam Baias sive thermas valetudini meæ non prodesse, non convenire, me docuit medicus, Antonius Musa, et quamvis non mea, sed medici auctoritate utor balneis frigidis, tamen id ægre ferunt Baiarum incolæ. Schol. Cruq. « Antonius Musa ægritudine Augusti ar-

Digitized by Google

Musa supervacuas Antonius, et tamen illis
Me facit invisum, gelida quum perluor unda
Per medium frigus. Sane murteta relinqui,
Dictaque cessantem nervis elidere morbum
Sulphura contemni, vicus gemit, invidus ægris,
Qui caput et stomachum supponere fontibus audent
Clusinis, Gabiosque petunt, et frigida rura.
Mutandus locus est, et diversoria nota
Præteragendus equus: Quo tendis! non mihi Cumas
Est iter, aut Baias, læva stomachosus habena

tem suam illustravit: nam quum dolore Arthritico laboraret, et ad summam maciem perductus esset, curante Æmilio medico, qui eum adeo calidis curabat, ut tectum cubiculi ejus vellere ribus muniret; hic postea, in contrarium versis omnibus, non solum profusionibus frigidis, sed etiam gargarismis Cicerninæ aquæ, quæ est Atellæ, in domo Cæsaris, et potionibus usus est, ita, ut intra breve tempus eum curaret. Ob quam causam ab Augusto usque ad Sestertium quadringenties ex Senatusconsulto accepit. Hic autem Musa Horatio jusserat, ut lavacro frigido uteretur propter oculorum dolorem. »

5. *Sane murteta*, etc. Sensus: (*Sane*) Profecto (*vicus*) Baiarum incolæ, *murteta* sua (myrteta, loca myrtis consita) *relinqui* et *sulphura* (intellige vapores sulphureos), quæ ibi dicuntur *morbum cessantem* (inhærentem) *nervis elidere* (depellere), (*gemit*) vere dolent, (*invidus ægris*) indignantes ægris, balnea frigida alibi petentibus. Rem illustrat Celsus, III, 17: « Est et quarumdam naturalium sudationum, (sc. calor) ubi e terra profusus calidus vapor ædificio includitur, sicut super Baias in murtetis habemus; » et cap. 21: « siccæ sudationes... quales super Baias habemus in murtetis. » — *Caput et stomachum supponere fontibus*, cogitari potest de balneis, ubi aqua in lavantes guttatim destillat; nos dicimus: « prendre la douche. » — *audent*, plerique fere intelligunt: qui non reformidant periculum frigidi balnei per hyemem; ego autem melius ad Baianorum indignationem accommodari censeam, si explices: qui adeo audaces sunt, ut balnea Baiana dedignentur. Ed. — *Clusinis*, Clusii, oppidi in media Etruria. — *Gabiosque*, cf. supr. ad. Epist. I, 11, 7. — *frigida rura*, loca montana.

10. *Mutandus locus est*, parendum est medico; mutanda sunt balnea, non ad balnea Cumana aut Baiana, sed ad balnea Gabina iter dirigendum est. — Facete autem Horatius jam animo sibi fingit instans iter. Si forte equus, inquit, viam dextrorsum Baias aut Cumas ducentem ob nota sibi in

Digitized by Google

Dicet eques; sed equi frænato est auris in ore:
Major utrum populum frumenti copia pascat;
Collectosne bibant imbres, puteosne perennes
Jugis aquæ; (nam vina nihil moror illius oræ.
Rure meo possum quidvis perferre patique;
Ad mare quum veni, generosum et lene requiro,
Quod curas abigat, quod cum spe divite manet
In venas animumque meum, quod verba ministret,
Quod me Lucanæ juvenem commendet amicæ:)
Tractus uter plures lepores, uter educet apros;
Utra magis pisces et echinos æquora celent,
Pinguis ut inde domum possim Phæaxque reverti;
Scribere te nobis, tibi nos accredere, par est).
Mænius, ut, rebus maternis atque paternis
Fortiter absumtis, urbanus cœpit haberi,

hac via diversoria (ut facere apud nos solent equi mercede conducti) transire nolet, (*eques*) ego: *Quo tendis! Non mihi Cumas Est iter, aut Baias! stomachosus*, id est, iratus *habena* sinistrorsum equum flectente dicam; non audit aliter equus. — *sed equi auri sin ore frænato est*, h. e. equus non verba, sed frænum audit, et ei paret. Ed.

14. *Major utrum populum*, etc. pergit quæstiones proponere, ad quas Valam Horatio respondere par sit; *utrum populum*, incolas Veliæ et Salerni. — *Jugis aquæ*, cf. Sat. II, 6, 2.

16. *Nam vina*, etc. Jam incipit nova parenthesis. — *Nihil moror*, non curo, nihil facio. — *Rure meo possum*, etc. in villa mea, didici tolerare quodlibet vinum, etiam vilissimum. Ed. — *mare*, sc. inferum; in animo habuit Lucaniam, ut apparet ex v. 21. — *lene*, ut supr. Od, I, 7, 19: « merum mollo. » — *Quod cum spe divite*, etc. Idem jam aliter dixit supr. Od. IV, 12, 19: « spes donare novas largus, amaraque Curarum eluere efficax. » Ed. — *Juvenem*, juveniliter ardentem.

22. Resumitur quæstionum series. *Tractus uter*, utra regio, Veliæne an Salerni? — *echinos*, cf. supr. ad Sat. II, 4, 33. — *Phæaxque*, et similis Phæacum regi, Alcinoo luxuriosa vita nobili; cf. supr. ad Epist. I, 2, 28. — *Scribere te nobis*, etc. hic versus primus epistolæ esse deberet, totamque interrogationum seriem regit. Ed. — *Mænius*, jam supra Horatius *Mænium* ut vappam et nebulonem produxit, Sat. I, 1, 101;

Digitized by Google

Scurra vagus, non qui certum præsepe teneret,
Impransus non qui civem dignosceret hoste,
Quælibet in quemvis opprobria fingere sævus,
Pernicies et tempestas barathrumque macelli,
Quidquid quæsierat, ventri donabat avaro.
Hic ubi nequitiæ fautoribus et timidis nil
Aut paulum abstulerat, patinas cœnabat omasi,
Vilis et agninæ, tribus ursis quod satis esset;
Scilicet ut ventres lamna candente nepotum
Diceret urendos correctus Mænius. Idem

et Sat. I, 3, 2. — *rebus maternis atque paternis*, patrimonio. — *Fortiter*, facete dictum, impigre, sine dubitatione aut metus cogitatione. Ed. — *urbanus*, dicax, loquax, urbanæ elegantiæ laudem captare volens facete et impudenter dictis; huc pertinet inprimis locus Plauti, Trinum. I, 2, 162, seqq. « Nihil est profecto stultius, neque stolidius, Neque mendaciloquius, neque argutum magis, Neque confidentiloquius, neque perjurius, Quam urbani assidui (semper se obtrudentes) *cives, quos scurras vocant.* » — *Non cert. præsepe teneret*, tanquam vorax bellua, ut in sequentibus describitur. — *Impransus non qui*, etc. junge: *qui, impransus*, (impastus, fame exstimulatus,) *non civem hoste* (non amicum ab inimico) *dignosceret*. cfr. Theocr. XV, 147. — *Sævus*, accommodate ad bestiam, quæ impasta sævit. — *sævus fingere*, sævus in fingendo. — *Pernicies*, (φθόρος, vid. Valcken. ad Theocr. Adoniaz. p. 310, C.) sic fere Thais *fundi calamitas* apud Terent. Eunuch. I, 1, 34, vocatur. — *barathrumque*, et vorago quasi, omnia in macello venalia absorbens et deglutiens, cf. Sat. II, 3, 167. — *Quæsierat*, hinc illinc dicacitate sua collegerat, conquisiverat; de voce *quærere* cf. supr. ad Epist. I, 7, 57.

33. *Nequitiæ*, sc. scurrilitatis, nam scurra est homo nequam. — *timidis*, timentibus sibi a scurræ dicacitate. — *omasi*, intestinis pecudum. — *Vilis et agninæ*, et vilissimæ carnis agninæ. — *tribus ursis quod satis esset*; tantum ex illis cibis devorans, quantum suffecisset tribus ursis alendis. Ed. — *Scilicet*, etc. adeo ut, correctus, emendatus, diceret nepotum et helluonum ventres ferro candente urendos esse, ut pœnas intemperantiæ suæ luerent. Fuisse videtur hæc voracium servorum pœna, ut ventri ferro ardenti stigma ureretur. Alii hunc locum sic emendant.... *Diceret urendos, corrector Bestius... Idem*, etc. et explicant diceret urendos esse ventres nepotum, quasi novus corrector Bestius. Persius, Sat. VI, 37, severum morum censorem *Bestii* nomine insignit. Ed.

Digitized by Google

Quidquid erat nactus prædæ majoris, ubi omne
Verterat in fumum et cinerem, « Non hercule miror,
Aiebat, si qui comedunt bona; quum sit obeso
Nil melius turdo, nil vulva pulchrius ampla. »
Nimirum hic ego sum; nam tuta et parvula laudo,
Quum res deficiunt, satis inter vilia fortis:
Verum ubi quid melius contingit et unctius, idem
Vos sapere et solos aio bene vivere, quorum
Conspicitur nitidis fundata pecunia villis.

38. *Omne Verterat in fumum et cinerem*, omnia abligurierat, ad nihilum redegerat. — *Non miror*, etc. non miror esse homines, qui laute vescendo bona sua comedant et consumant. Ed. — *turdo*. Martial. lib. XIII, Ep. 92, inter aves turdo primam saporis gloriam adjudicat. Pers. Sat. VI, 24, salivam *turdorum* meminit. Ed. — *vulva*, scil. porcaria, quam Romani in deliciis ciborum habuere, præsertim ejectitiam. Plin. lib. XI, 37. Ed.

42. *Nimirum hic ego sum*, etc. Sensus: Talis (*hic*) ego sum, ait Horatius, Mænio nimirum, quod ad animum utrique sorti sese accommodantem attinet, similis; nam quum res deficiunt, pauperis sortem ut tutiorem divitis sorte laudo, dum (*inter vilia*) in vili et tenui victu me virum fortem et sapientem præsto; sed idem ego, si quid melius et lautius contingit, solos eos felices prædico, quibus in villa pulchre exstructa vitam transigere licet. — *unctius*, lautius, optabilius; vid. ad præcedentem Epist. v. 21. — *fundata*, bene et tuto collocata in *villis nitidis*, pulchritudine et nitore conspicuis, et proventus certos referentibus. Ed.

Analysis. Poeta, suadente medico Musa Antonio, lavandi causa, non Baias, sed Veliam et Salernum profecturus, Numonium Valam de aeris in his duobus oppidis temperie, de hominum, qui ibi vivant, moribus et ingenio, denique de via eo ducente percontatur. — In hac paulo incuriosius scripta Epistola quum expressa solutioris animi hilaritas atque levitas, tum adspersi sales et nativus jocose dictorum lepor egregie ante oculos ponunt Horatii indolem atque ingenium. — Numonium Valam Horatii familiarium non fuisse ultimum, satis docet hæc Epistola. Utrum vero idem, quod nonnulli contendunt, legatus Vari a Germanis cæsi (Vellei. Pat. II, 119) fuerit, necne, parum equidem curo. Ed.

Digitized by Google

EPISTOLA XVI.

AD QUINCTIUM.

Agri sui formam, situm, commoda describit: monet amicum subinde ut esse vir bonus, quam dici malit; qui sit vir bonus fuse docet.

Ne perconteris, fundus meus, optime Quincti,
Arvo pascat herum, an baccis opulentet olivæ,
Pomisne, an pratis, an amicta vitibus ulmo:
Scribetur tibi forma loquaciter, et situs agri.
Continui montes, nisi dissocientur opaca
Valle; sed ut veniens dextrum latus adspiciat sol,
Lævum discedens curru fugiente vaporet.
Temperiem laudes. Quid si rubicunda benigne
Corna vepres et pruna ferunt? si quercus et ilex

1. *Fundus meus Arvo pascat*, utrum villa mea frumento in agris collecto dominum alat. — *an amicta vitibus ulmo*, elegantissime pro vulgari: an vino; in arbustis enim nascuntur uvæ in vitibus, arborum, præcipue ulmorum, trunco applicatis; ulmus igitur *amicitur vitibus*, et hinc suaviter vites *ulmos* (Columell. V, 6), vel *populos* (Epod. II, 10) *maritare* dicuntur. — *loquaciter*, ut loquaces et verbosi esse solemus in descriptione rei animo nostro inprimis cara.

5. *Nisi dissoc. op. Valle*, præterquam quod perpetua eorum series valle opaca interjecta dirimitur. — *sed ut veniens*, etc. Ita tamen, ut sol (*veniens*) oriens in dextrum eorum latus radios demittat. — *Lævum discedens*, etc. Celeri vero curru ad occasum ruens, h. e. sol vero occidens lævum montium latus adspiciat; sed pro: *adspiciat* jam significantissime posuit *vaporet*; sub solis enim occasu aer secum trahere solet vapores, quibus silvæ et montes obducuntur.

8. *Temperiem*, sc. aeris, *cœlum*, ut in versu primo præcedentis Epistolæ dicitur. — *Quid si rubicunda benigne*, etc. Ergo Horatius in villa sua, ubi vepres rubicunda corna et pruna ferebant, aureæ ætatis vestigia deprehendisse videtur; Virg. Eclog. IV, 29, de aurea ætate: « Incultis-

Digitized by Google

Multa fruge pecus, multa dominum juvat umbra?
Dicas adductum propius frondere Tarentum.
Fons etiam, rivo dare nomen idoneus, ut nec
Frigidior Thracam, nec purior ambiat Hebrus,
Infirmo capiti fluit utilis, utilis alvo.
Hæ latebræ dulces, etiam, si credis, amœnæ,
Incolumem tibi me præstant Septembribus horis.
Tu recte vivis, si curas esse, quod audis:
Jactamus jampridem omnis te Roma beatum:
Sed vereor, ne cui de te plus, quam tibi credas;

que rubens pendebit sentibus uva. » — *quid si rubicunda*, etc. h. e. quid dixeris, si addiderim vepres ferre, etc. — *Multa fruge*, glandibus. — *pecus*, sues. — *Dicas adductum*, etc. Quod si spectes hujus regionis amœnitates, situm, aeris temperiem et fertilitatem, Tarentum huc translatum esse, vel te alterum Tarentum hic videre existimes; ad amœnissimas Italiæ regiones Horatius alibi quoque Tarentinam refert; cf. Od. II, 6, 10, seqq. III, 5, 56, et quia in hac amœna regione homines vivebant mollius, *Tarentum* supr. Sat. II, 4, 34, vocatur *mollis*. *Adductum frondere*, elegantius pro adductum esse.

12. *Fons etiam*, etc. Fons etiam Bandusius, quem celebravit Horatius supr. Od. III, 13 (*idoneus dare*, græce: qui det), tam largiter fluens, ut aqua sua rivum faciat, eique nomen *Digentia* det: et ita comparatus, ut nec purior, nec frigidior Hebrus Thraciam ambiat, infirmo capiti et alvo salubris fluit. — *utilis* pro salubris, ut apud Ovid. Trist. III, 5, 9: « Cibus utilis ægro, » et Met. XIII, 630: « venti utiles. » — *Hæ latebræ*; hic angulus, ut Horatius supr. Od. II, 6, 10, de Tarento. Ed. — *Dulces, etiam, si credis*, etc. Id hac mea villa, tam dulci, tam amœna, si mihi credere vis, incolumis et salvus servet, ut ad te mense septembri redeam. Huc refer, Sat. II, 6, 18 et 19: « Nec mala me ambitio perdit, nec plumbeus Auster, Autumnusque gravis, Libitinæ quæstus acerbæ. » Ed.

17. *Si curas esse, quod audis*, si studeas te talem præbere, qualis tu esse (*audis*) diceris. — *omnis Roma*, nos omnes Romani.

19. *Sed vereor, ne*, etc. Sed vereor, ne aliorum de te plus, quam tuo ipsius judicio credas (quia probe scis, te non esse eum, qui esse diceris), vereor porro, ne alium, quam eum, qui sapiens et bonus sit, beatum habeas; vereor denique, ne, licet omnes, te sanum esse et bene valere dicentes, reapse tamen ægrotes, sed similis sis ei ægroto, qui febrem sub edendi tempus, ne tibi sibi denegentur, occultat, donec febris, quam manus temere incipiunt, prodatur. —

Digitized by Google

Neve putes alium sapiente bonoque beatum;
Neu, si te populus sanum recteque valentem
Dictitet, occultam febrem sub tempus edendi
Dissimules, donec manibus tremor incidat unctis.
Stultorum incurata pudor malus ulcera celat.
Si quis bella tibi terra pugnata marique
Dicat, et his verbis vacuas permulceat aures:
« Tene magis salvum populus velit, an populum tu,
Servet in ambiguo, qui consulit et tibi et urbi
Juppiter; » Augusti laudes agnoscere possis.
Quum pateris sapiens emendatusque vocari,

Ex hoc loco, haud vulgarem Horatio cum Quinctio intercessisse amicitiam, satis certe colligi potest. Quis enim sumat sibi cuiquam, nisi intimo amico, dicere vel scribere: « tu non es is, qui esse videris, vel esse diceris; tua vitia tua, sicut ægrotas febrem, dissimulas. » — *ne cui de te plus*, etc. Baxterus commode affert versum Catonis, I, 14: « Plus aliis de te, quam tu tibi credere noli. » — *alium sapiente* (græce: ἄλλον τοῦ σοφοῦ), diversum a sapiente, alium, (vec. divitem) quam sapientem; sic infr. Epist. II, 1, 240: « alius Lysippo, » alius, quam Lysippus. — *manibus unct.* Alii intelligunt *manus* dici *unctas*, quia qui inter edendum tremunt, cibis tremore excussis, manus commaculare solent: ego vero, ob tractatos in cœna cibos, omissa tremoris cibos excutientia notione; quia sæpe veteres ad comedendum digitis utebantur; hoc est, in medio convivio. Boletus noster hæc Epist. III, 34; et IX, 39; et ibid. 24, imitatur quæ légis infr. 25: *si quis bella*, etc. Ed. — *incurata*, quibus nullæ adhibentur medicinæ ob malum pudorem; *la honte du bien*. Ed.

25. *Si quis bella tibi*, etc. Si quis dicat bella terra marique a te fuisse gesta. Ed. — *vacuas*, patentes canenti; elegantius pro vulgari: tuas. Ad verba, quæ sequuntur: *Tene magis*, vetus Schol. observat: « Hæc enim Varius de Augusto scripserat; sunt autem ex nobilissimo Panegyrico Augusti. » Horatius igitur, qui, quavis arrepta occasione, Augusti laudes carminibus suis inserit, nunc de una fidelia, quod in proverbio dicitur, duos dealbat parietes; nam Varii simul, ut magni poetæ, versus celebrat. — *Servet in ambiguo*, etc. Jupiter qui consulit tibi et Urbi, hoc semper sinat esse in ambiguo, ne scilicet alterum ab altero in amore superari appareat.

29. *Augusti laudes agnoscere possis?* Num possis esse tam stolidus, ut laudes, non tibi, sed uni Augusto convenientes, ad te transferas?

30. *Quum pateris sapiens emendatusque vocari*, græce pro: quum pateris te sapientem emendatumque

Digitized by Google

Respondesne tuo, dic sodes, nomine? — Nempe
Vir bonus et prudens dici delector ego, ac tu.
— Qui dedit hoc hodie, cras, si volet, auferet; ut, si
Detulerit fasces indigno, detrahet idem.
Pone, meum est, inquit; pono, tristisque recedo.
Idem si clamet furem, neget esse pudicum,
Contendat laqueo collum pressisse paternum;
Mordear opprobriis falsis, mutemque colores?
Falsus honor juvat, et mendax infamia terret
Quem, nisi mendosum et mendacem? vir bonus est quis?
Qui consulta patrum, qui leges juraque servat;

vocari.— *Respondesne tuo, dic sodes, nomine?* nexus est cum præcedentibus: si te vocarent magnum ducem et terræ domitorem, illos titulos denegares; et quum te vocant sapientem, hoc nomen sine dubitatione accipis: *nomine* non hic antique pro *nomini* ponitur, sed ita intelligi debet hic locus: quum vocaris sapiens, dic, quæso, num respondes, quasi tibi hoc proprie dicatur, non alteri. Ed.

32. *Vir bonus et prudens*, etc. Ita sane nos delectamur, omnis homo delectatur dici sapiens. Hoc aut a Quinctio affirmatur, ut alii volunt; aut ab Horatio, quasi a Quinctio objiciendum, ante occupatur, quod ad sensum idem est. Sequenti versu respondet poeta. Ed. — *qui dedit hoc hodie*, etc. Si populus in sua sententia constanter maneret, et illud sapientis nomen semel datum semper retinendum sineret, tuum illum sentiendi modum probarem: at quæ in populi judiciis fiducia? quid populo levius et inconsultius? quod tibi hodie dat sapientis nomen, cras auferet, eodem modo ac si detrahat auctoritatem ac magistratus, aut imperia, quæ alicui dederat. Ed.—*Pone, meum est, inquit*, etc. Quum tua illa sapientia non in te revera sit, sed tantummodo in populi judicio, si eam, quasi tibi non propriam, sed a se ipso pendentem vindicet populus, quid tibi faciendum, nisi ut quod ab eo accepisti restituas, et tristis recedas? Ed.

36. *Idem* populus *si clamet* me esse *furem*, me *pudicum esse neget*, me *collum paternum laqueo pressisse* (fregisse, me parricidam esse) *contendat*. — *Mordear opprobriis*, etc. Num cruciari debebo criminationibus falsis? num expallescam, aut erubescam? neutiquam sane: quia non sum conscius istorum scelerum. Si igitur accusationes populi cruciare me non debent, neque ipsius laudes debent me delectare. Ed.— *Falsus*, immeritus.—*mendosum*, vitiosum.—*mendacem*, mendacii amatorem. Bentl. *medicandum*, vitiis sanandum: male. Ed.

40. *Vir bonus est quis?* At quis re vera vir bonus est? — *qui consulta*, etc. An ille vir bonus est, qui servat se-

Digitized by Google

Quo multæ magnæque secantur judice lites;
Quo responsore, et quo causæ teste tenentur?
Sed videt hunc omnis domus et vicinia tota
Introrsus turpem, speciosum pelle decora.
Nec furtum feci, nec fugi; si mihi dicat
Servus: — Habes pretium, loris non ureris, aio.
— Non hominem occidi: — Non pasces in cruce corvos.
— Sum bonus et frugi: — Renuit negitatque Sabellus.
Cautus enim metuit foveam lupus, accipiterque
Suspectos laqueos, et opertum milvius hamum.

natusconsulta et leges, qui lites finit, cujus responsis et testimoniis causæ vincuntur? at ille boni viri tantummodo externam speciem habet. Ed. — *secantur*, dirimuntur, ut Sat. I, 10, 15 : « Ridiculum acri fortius et melius magnas plerumque secat res. » — *tenentur*, obtinentur, ab injuria vindicantur; vid. in Ernest. Clav. Cic. a. v. *tenere*. — *Introrsus turpem, speciosum pelle decora*, Sat. II, 1, 65 : « Detrahere et pellem, nitidus qua quisque per ora Cederet, introrsum turpis. » Pers. Sat. IV, 14 : « ...summa nequidquam pelle decorus. »

46. Jam de his loquitur qui pœnæ metu, non amore virtutis, a vitio abstinent. Exemplo servi utitur, dicentis se neque furtum fecisse, neque fugisse. Cui respondet : tu nil nisi quod facere debebas, fecisti, et hoc tibi solum pretium erit, ut non flagelleris, etc. Ed. — *Loris non ureris*, sic supr. Sat. II, 7, 58 : « virgis uri. » — *non pasces in cruce corvos*, non crucifigeris, corvis rodendus. — *Sum bonus et frugi*; si addiderit servus iste se, quia nec fur, nec interfector est, virum bonum esse, ego renuam atque negabo. — Suavissime autem Horatius se vocat Sabellum, quia in villa sua, apud Sabinos, tam sæpe commorabatur, ut se prope Sabellum factum esse dicat. Adde quod Venusia, Horatii patria, Sabellorum seu Samnitium agro vicina est. Vid. Sat. II, 1, 35. Alii volunt Sabellum hic poni, quia qui in rure vivunt liberius et apertius loquuntur. Nonnulli etiam conjiciunt fuisse nomen proprium alicujus philosophi, qui tum florebat. Ed.

50. *Cautus enim*, etc. Homo enim qui pœnæ metu scelus non admittit, sicut lupus a præda abstinet metu foveæ, non tamen idcirco laudem meretur. Ed. — *milvius*, non rapax tantum avis e genere accipitrum, sed rapax quoque piscis nomen gerit *milvii*, qui volanti similis, prædæ captandæ causa, supra mare se attollere dicitur; vid. Plin. H. N. VIII, 26. Ovid. Halieut. v. 95 : « Nam gaudent pelago, quales Scombrique Bovesque, Hippuri celeres, et nigro tergore Milvi. » *Milvius* ad piscium genus Coryphænarum pertinere videtur. — *opertum*, esca ob-

Digitized by Google

Oderunt peccare boni virtutis amore:
Tu nihil admittes in te formidine pœnæ:
Sit spes fallendi, miscebis sacra profanis:
Nam de mille fabæ modiis quum subripis unum,
Damnum est, non facinus, mihi pacto lenius isto.
Vir bonus, omne forum quem spectat et omne tribunal,
Quandocumque deos vel porco vel bove placat,
Jane pater, clare, clare quum dixit Apollo,
Labra movet, metuens audiri: Pulchra Laverna,
Da mihi fallere, da justo sanctoque videri;
Noctem peccatis, et fraudibus objice nubem.

ductum; similiter supr. Epist. I, 7, 74: « hamus occultus. »

52. *Oderunt peccare boni*, etc. Hoc boni viri proprium est, ut virtutis solius amore, etiamsi lex absit, peccatum oderit. Ed. — *Tu nihil admittes*, etc. Tu autem nonnisi pœnæ metu scelus non committes. Ed. — *Sit spes fallendi*, at si tibi forte spes sit malefacti pœnam dolo et fraude effugiendi; — *miscebis sacra profanis*, sacra et profana in nullo apud te erunt discrimine, quidquid suadet libido, facies. Infr. in Epist. ad Pis. 397: « fuit hæc sapientia quondam, Publica privatis secernere, sacra profanis. » — *Damnum est, non facinus, mihi pacto len. isto*, damnum quidem, quod mihi hoc furto paratur, lenius est; sed facinus non est lenius, est et manet furtum. Dicit autem hæc Horatius ad paradoxon Stoicorum, qui *omnia peccata paria esse* statuebant.

57. *Vir bonus*, non vere bonus, sed ex vulgari opinione, ut sequentia docent. — *quem spectat*, cum verecundia quadam observat. — *Jane pater*, Janus, ut deus, tam toto anno, quam unoquoque die rebus suscipiendis favens, invocabatur; hinc supr. Sat. II, 6, 20: « pater matutinus » vocatur. — *clare*, clara voce, ut ab omnibus audiatur. Ed.

60. *Labra movet*, mussitat. Pers. Sat. II, 8: « .... hæc clare, et ut audiat hospes: Illa sibi introrsum et sub lingua immurmurat. » Ed. — *Pulchra Laverna*: vetus Schol. « Laverna in via Salaria lucum habet; est autem dea furum (hominum fraudulentorum), dicta Laverna a lavando; nam fures lavatores dicuntur. » Hæc dea plane ad ingenium hominum, ejus præsidium sibi in asyli tenebris expetentium, vocatur *pulchra*. — *Fallere*, vid. ad v. 54: — pro: *justo sanctoque* vulgo legebatur *justum sanctumque*, sed hæc lectio prodit emendatorem, græci loquendi generis, quo sæpe usus est Horatius (vid. Sat. I, 1, 19) imperitum; confirmatur autem nostra lectio optimorum Codd. auctoritate apud Cruquium, Torrentium et Lambinum.

Digitized by Google

Qui melior servo, qui liberior sit avarus,
In triviis fixum quum se demittit ob assem,
Non video; nam qui cupiet, metuet quoque; porro
Qui metuens vivet, liber mihi non erit unquam.
Perdidit arma, locum virtutis deseruit, qui
Semper in augenda festinat et obruitur re.
Vendere quum possis captivum, occidere noli:
Serviet utiliter: sine pascat durus aretque;
Naviget, ac mediis hiemet mercator in undis;
Annonæ prosit; portet frumenta penusque.
Vir bonus et sapiens audebit dicere: — Pentheu,

66. *Qui melior servo*, etc. Quomodo avarus, quum se ob assem in triviis fixum demittit, servo melior et liberior sit, non video; repetit igitur poeta sententiam supr. Epist. X, 47, et passim propositam, *pecuniam avaris, ut servis suis, imperare*. Ex hoc loco discimus, pueros apud Romanos nummos in solo lutove vinculo quodam fixisse, ut, quum prætereuntes frustra affixos nummos tollere velle viderent, ridendi haberent materiem, Pers. V, 111: « Inque luto fixum possis transcendere nummum. »

67. *Perdidit arma*, abjecit arma, quibus contra vitia, nominatim contra avaritiam, pugnari debet; per *arma* intellige virtutis præcepta. — *locum virtutis deseruit*, locum, ubi virtus exerceri debet, deseruit homo avarus, qui divitiis semper augendis insudat, et rei pecuniariæ amplificandæ curis ac negotiis obruitur. Locutiones *arma perdere, deserere locum*, h. e. *aciem, stationem* vel *signa* (apud Græcos λειποταχτεῖν), eleganter translatæ sunt a militia.

69. *Vendere quum possis*, etc. Hic locus non facile intelligi et præced. cohærere posse videtur. Ego sic explicabo: Avarus pecuniæ servit, et in numero captivorum habendus est, quos arbitrio tuo vendas aut occidas. Ille autem tantummodo occidendus est qui animi ferocitate servitio non potest accommodari. Avarus autem cupiditate adeo in servitute deprimitur, ut ad quodlibet servile officium exsequendum paratus sit; ut libenter dure vivat, aret et omnes denique servorum labores obeat. At homo sapiens, suam semper libertatem retinens, nulli servit, ne tyranni quidem minis et truci arbitrio se subjici sinit. Ed. — *captivum*, facete *avarus*, ut desertor virtutis et servus pecuniæ vocatur *captivus*; captivi autem tam vendi, quam occidi poterant. — *durus*, duri laboris patiens; ut supr. Epist. I, 7, 91: « Durus, ait, Vultei, nimis attentusque videris Esse mihi. » — *Annonæ*, rei frumentariæ.

73. *Vir bonus et sapiens*. Respondet hic versus et seqq. versui 57, et

Digitized by Google

Rector Thebarum, quid me perferre patique
Indignum coges?— Adimam bona.—Nempe pecus, rem,
Lectos, argentum: tollas licet.—In manicis et
Compedibus sævo te sub custode tenebo.
—Ipse deus, simul atque volam, me solvet.—Opinor,
Hoc sentit: Moriar; mors ultima linea rerum est.

seq. ubi sermo est de viro bono ex opinione vulgi. Longe aliter res se habet, ait Horatius, cum viro vere bono et sapiente; is enim vim sibi allaturo sine omni timore audebit dicere, quod captivus vinctusque Bacchus Pentheo, Cadmi in regno Thebarum successori, apud Euripidem in Bacch. dixit v. 492 (edit. *Beck.*): Εἶφ' ὅ τι παθεῖν δεῖ· τί με τὸ δεινὸν (atrox, Horat. indignum) ἐργάσῃ; v. 494. Penth. πρῶτον μὲν ἄβρὸν βόστρυχον τεμῶ σίθεν. Horatius pro *cincinnis* in rem suam posuit *bona*. — v. 497. Penth. Εἱρκταῖσί τ' ἔνδον σῶμα σὸν φυλάξομεν; v. 498. Bacch. Αὐσει μ' ὁ δαίμων αὐτὸς, ὅταν ἐγὼ θέλω. Hoc ultimum a Baccho, Penthei potentiam ridente, ambigue dictum jam transfertur ad mortem, sive (*simul atque volam*) ad Stoicorum αὐτοχειρίαν. — *Tollas licet*, potes ea omnia auferre, si tibi libuerit. — *Opinor, hoc sentit;* ita loquendo sapiens, ut opinor, intelligit se morte liberandum esse. Ed. — *ultima linea rerum*, ultimus peracti cursus terminus, meta, calx, rerum humanarum finis est mors. Ed.

Analysis. Quinctius Hirpinus, ut conjici potest, per Epistolas questus erat quod Horatius diutius in agris moraretur; et de villa sua, in qua tam beate viveret, nonnulla quæsierat. Villam suam paucis describit poeta, et occasione usus, ad graviora transit. Ostendit veram hominis felicitatem non in ceterorum judiciis et opinione, sed in animi pace et bona conscientia sitam esse. Deinde quis sit vir bonus examinat, confutatisque omnibus quæ vulgo viri boni dantur definitionibus, hunc tantummodo virum bonum esse statuit, qui liber, nec metui, nec cupiditati obnoxius, sibi ipsi semper imperat, semperque tyrannorum furores potest contemnere. Ad eumdem Quinctium Hirpinum est Oda libri secundi undecima. Ed.

Digitized by Google

EPISTOLA XVII.

AD SCÆVAM.

Scævam docet quomodo cum potentibus sit vivendum.

Quamvis, Scæva, satis per te tibi consulis, et scis,
Quo tandem pacto deceat majoribus uti;
Disce, docendus adhuc quæ censet amiculus, ut, si
Cæcus iter monstrare velit; tamen adspice, si quid
Et nos, quod cures proprium fecisse, loquamur.
Si te grata quies et primam somnus in horam
Delectat; si te pulvis strepitusque rotarum,
Si lædit caupona; Ferentinum ire jubebo.
Nam neque divitibus contingunt gaudia solis;
Nec vixit male, qui natus moriensque fefellit.

1. *Per te*, tua ipsius prudentia. — *majoribus uti*, se gerere erga potentiores, versari cum potentioribus. — *amiculus*, modeste dictum pro *amicus*. — *ut, si*, ac si, quasi ego velut cæcus (τυφλὸς ὁδηγὸς), iter monstrare tibi velim. — *tamen adspice*, nihilominus tamen considera. — *proprium fecisse*, in usum tuum convertisse.

6. *Si te grata quies*, etc. Si sectari vis ea, quæ animo tuo grata et jucunda sunt, quietem et dulce otium; vitare autem ea, quæ tibi ingrata et molesta sunt, vehiculorum in urbe strepitum, excitatum pulverem, clamores in cauponis, age, secede Ferentinum; non solis enim divitibus concessa est vitæ feliciter transigendæ facultas; at si familiæ tuæ rationibus consulere, et tuum ipsius simul corpus mollius curare voles, age, concilia tibi divitem, ubi lautius vivitur. — *primam in horam*, apud nos: ad septimam usque horam. — *Ferentinum*, parvum et infrequens apud Hernicos, non in Etruria, oppidum.

9. *Nam neque*, etc. Non enim soli divites vitam beatam degunt. — *Nec vixit male*, nec fuit infelix. — *fefellit*, sc. lucem publicam, h. e. latuit in obscuro; *fallere* simpliciter pro: latere, apud Tacitum inprimis, sæpius. Ceterum notum est illud Epicureorum: λάθε βιώσας.

Digitized by Google

Si prodesse tuis, pauloque benignius ipsum
Te tractare voles, accedes siccus ad unctum.
— Si pranderet olus patienter, regibus uti
Nollet Aristippus. — Si sciret regibus uti,
Fastidiret olus, qui me notat. — Utrius horum
Verba probes et facta, doce; vel junior audi,
Cur sit Aristippi potior sententia: namque
Mordacem Cynicum sic eludebat, ut aiunt:
« Scurror ego ipse mihi, populo tu: rectius hoc et
Splendidius multo est: equus ut me portet, alat rex,
Officium facio: tu poscis vilia rerum,

11. *Si prodesse tuis*, si tuorum commodis inservire vis. — *benignius*, refer inprimis ad largiorem epularum copiam.

12. *Siccus*, qui adhuc vixisti parce, frugaliter, sobrie. Supr. Od. IV, 5, 39, *siceis* (sobriis) opponuntur *uvidi*, et apud Cic. Agr. I, 1, *vinolenti*. — *ad unctum*, ad divitem, qui lautius et luxuriosius vivit; de voce *unctus*, cf. supr. ad Epist. I, 15, 44.

13. *Si pranderet*, etc. Diogenes Cynicus, quum aliquando olus lavaret, Aristippo se prætereunti lautioris vitæ genus exprobrasse dicitur his verbis: Si herbas comedere scires, regum favorem non captares. Cui respondit Aristippus: Et tu, si regum favorem captare scires, herbas non comederes. Vid. Dieg. Laert. II, 68. Ed. — *pranderet*, comederet, ut supr. Sat. II, 3, 245: « Prandere luscinias. » — *patienter*, ea, quæ decet philosophum, continentia et patientia. — *regibus*, diu Aristippus, Cyrenæus, summum bonum voluptate metiens, in aula Dionysii Syracusani versatus est. Horat. *reges* vocat proceres Romæ. Ed. — *qui me notat*, Diogenes.

15. *Utrius horum Verba probes et facta, doce*. Inter duas illas agendi rationes elige, et quæ tibi potior videatur, dic, quæso. — *vel junior*, etc. Aut si dubitas quæ sit eligenda, audi cur Aristippi sententia potior sit. — *Mordacem Cynicum sic eludebat*, maledicum Cynici dentem sic effugiebat, h. e. ad maledica Cynici verba respondebat hoc. — *Scurror ego ipse mihi, populo tu*, ego artibus meis scurrilibus in commodum meum placere studeo potentioribus; tu philosophica scurrilitate placere studes populo. — *rectius hoc et Splendidius*, ego sane rectius et splendidius ago. — *equus ut me portet*, etc. Scilicet ego regibus placere studeo, ut ab iis omnia vitæ commoda obtineam, equum, victum, etc. — *Officium facio*; fungor omni urbanitatis munere, et pro me meum loquitur officium, ita ut nihil petens, omnia obtineam. — *tu poscis vilia rerum*, etc. Tu vero, quamvis jactites te nullius rei egere, sordide

Digitized by Google

Dante minor, quamvis fers te nullius egentem. »
Omnis Aristippum decuit color, et status et res,
Tentantem majora, fere præsentibus æquum.
Contra, quem duplici panno patientia velat,
Mirabor, vitæ via si conversa decebit.
Alter purpureum non exspectabit amictum,
Quidlibet indutus celeberrima per loca vadet,
Personamque feret non inconcinnus utramque:
Alter Mileti textam cane pejus et angue

poscis, et quidem vilissimas res. Ed. — *Dante minor*, inferior eo, qui dat, danti quodammodo subjectus; philosophi enim fere mendicabant nonnunquam; at scurræ mensis ditiorum adhibebantur.

23. *Omnis Aristippum*, etc. Aristippus ad omnem fortunam et rerum conditionem decenter se composuit, majora vero assequi tentavit et præsentia æquo animo tulit; at Cynicus, qui philosophica patientia pallio, e crassiore panno confecto, sese involvit, vix decenter, puto, ad fortunæ quamdam mutationem sese accommodabit. — *color*, externa fortunæ species et conditio; supr. Sat. II, 1, 60: « Quisquis erit vitæ color. » — *fere*, hanc emendationem addit Horatius, quia difficile videtur præsentibus omnino esse contentus ille, qui majora cupit. *Fere* hic est pro nostro: *à peu près*. Ed. — *duplici panno*; pallio duplicato, quia Cynici non tunicam sub pallio gerebant, vel pallio super alterum humerum rejecto, et quasi duplici. Ed. Nonnullis vero videtur esse *pannus duplex*, (δίπλαξ, δίμιτον apud Hom. Iliad. III, 126, opponuntur ἁπλοΐδες. Boettiger, Vasen. Gem. tom. I, Il. 3, p. 39), crassior, densior, ut *amiculum duplex* apud Corn. Nep. Datam. c. 3. — *patientiam* facit poeta phraseos nominativum, pro: qui adeo patiens est, ut nonnisi duplicem, gravem, crassiorem pannum gerat. Ed. — *Vitæ via conversa*, mutata fortuna, mutata vitæ ratio.

27. *Alter purpureum*, etc. Aristippus, iter facturus, non desiderabit amictum splendidum, sed qualibet vel vilissima veste indutus loca celeberrima peragrabit; et in utraque sorte, sive amictus pulcher et tenuis, sive vilis et crassus ei gestandus sit, partes suas apte sustinebit; at Cynicus chlamydem e lana pretiosa contextam, ut rem perniciosam et abominabilem fugiet. — *personamque feret non inconcinnus utramque*: refert Plutarchus id in Aristippo admirandum esse, quod vel vili ac trito, vel Milesio pallio indutus, eadem corporis dignitate, eodem lepore emineret. Aristippo etiam quadam die dixisse Plato fertur: « tu solus vilissimam et purpuream vestem eleganter geris. » Ed. — *Cane pejus et angue*, proverbium,

Digitized by Google

Vitabit chlamydem; morietur frigore, si non
Rettuleris pannum; refer, et sine vivat ineptus.
Res gerere, et captos ostendere civibus hostes,
Attingit solium Jovis, et cœlestia tentat.
Principibus placuisse viris, non ultima laus est.
Non cuivis homini contingit adire Corinthum.
Sedit, qui timuit, ne non succederet: esto:
Quid, qui pervenit, fecitne viriliter? Atqui
Hic est, aut nusquam, quod quærimus: hic onus horret,

id est, fugiet Milesiam chlamydem vehementius quam fugeret anguem vel canem, rabiosum scilicet. Ed. — *morietur frigore, si non* etc. Ad hunc locum vetus Schol. affert hæc: « Aiunt Aristippum, invitato Diogene ad balneas, dedisse operam, ut omnes prius egrederentur, ipsiusque pallium induisse, illique purpureum reliquisse; quod Diogenes quum induere noluisset, suum repetiit. Tunc Aristippus increpuit Cynicum, famæ servientem, qui algere mallet, quam conspici in veste purpurea. » — *Mileti,* urbis in Ionia, ubi lana nascebatur præstantissima. Diodor. Sic. IV, 26. Hinc celebrantur στρώματα Μιλήσια, τάπητες Μιλήσιοι. Valken. ad Adoniaz. p. 406. C. Virgil. Georg. IV, 334: « .... Milesia vellera nymphæ Carpebant. » Ed. — *refer, et sine vivat ineptus,* reddas igitur illi pannum; et eum inepte vivere, quatenus sic vult vivere, sinas. Ed.

33. *Res gerere,* domi militiæque præclare res gerere, sive rebus gestis bene mereri de republica, — *et capt. ost. civ. hostes,* et victo hoste triumphum agere; in triumpho enim capti et ante currum triumphantis incedentes hostes civibus ostendebantur. — *Attingit solium Jovis,* id (ut supr. Od. I, 1, 6. Hor. loquitur) « evehit ad deos terrarum dominos. » — *Principibus,* in latiore significatione, de primoribus, potentioribus, nobilioribus, ditioribus.

36. *Non cuivis homini contingit ad. Corinthum,* non omnibus contingit placuisse principibus; poeta expressit notum Græcorum proverbium: Οὐ παντὸς ἀνδρὸς εἰς Κόρινθόν ἐσθ' ὁ πλοῦς, non cuivis homini, sed ditioribus tantum, vel majora strenue et gnaviter tentantibus. Nemo enim urbem illam opulentissimam sine magnis sumtibus adire et frequentare poterat. — *Sedit, qui timuit,* etc. Qui de successu hujus itineris anxius atque sollicitus fuit, deses domi mansit. Sit ita. Quid vero? nonne is, qui eo pervenit, virum se præstitit?

39. *Atqui Hic est, aut nusquam,* etc. Atqui ea, quæ quærimus et assequi studemus, unice hoc ipso viriliter tentandi omnia studio, aut nusquam, reperiuntur et impetrantur; (*hic*) alius rei alicujus suscipiendæ molestiam refugit, tanquam ei perferendæ exiguæ

Digitized by Google

Ut parvis animis et parvo corpore majus:
Hic subit et perfert. Aut virtus nomen inane est,
Aut decus et pretium recte petit experiens vir.
Coram rege suo de paupertate tacentes
Plus poscente ferent: distat, sumasne pudenter,
An rapias; atqui rerum caput hoc erat, et fons.
Indotata mihi soror est, paupercula mater,
Et fundus nec vendibilis, nec pascere firmus,
Qui dicit, clamat: victum date. Succinit alter,
Et mihi dividuo findetur munere quadra.
Sed tacitus pasci si posset corvus, haberet
Plus dapis, et rixæ multo minus invidiæque.

animi corporisque vires imperes sint; (*hic*) alius rem strenue aggreditur et peragit. His omnibus autem Horatius Scævæ commendat gnavum studium, quo potentiorum colligenda sit gratia. — *recte*, bono cum successu, recta via. — *experiens vir*, qui vires suas periclitando omnia tentat.

45. Jam, quasi lis dijudicata sit, et Aristippi vivendi genus potius esse constet, ad præcepta de eo vitæ genere transit. Ed. — *Coram rege*, potentiore patrono. Horatius supr. Epist. I, 7, 37, de Mæcenate: « rexque paterque Audisti coram. » — *Sumas ne pudenter*, sumas, accipias modeste et decenter quod tibi datur. *Rapias*, precibus ac querelis extorqueas. Ed. — *atquirer. cap. hoc erat et fons*: in hoc vertitur ars illa de qua agimus; ante omnia ab eo, qui aliquid recte petit, ostendi debet pudor et modestia. Vulgo enim homines precum et querelarum, quas fundunt, formulis, molestiam iis a quibus petunt, creant. Ejusmodi formula, egregie ab Horatio ad vulgarem precantium morem composita, statim sequitur.

47. *Fundus nec vendibilis*; sine dubio, quia emtor hujus agelli reperiri non poterat; nam de *fideicommisso*, ut loquuntur Jurisconsulti, equidem accipere nolim. — *nec pascere firmus* (ἀσθενός), nec satis amplus, ut me alere possit. — *qui dicit, clamat*; qui sic cum patrono queritur: habeo sororem nubilem, sed carentem dote; et is idem facit ac si clamitaret aperteque posceret victum, pecuniam etc. sed alter qui poscentem audit, nempe æmulus aliquis et competitor, succinit, id est, post illum canit, clamitat. Ed. — *Et mihi*, etc. Elegantissimo versu expressit Horatius vulgarem mendicorum cantilenam: *mihi quoque frustum placentæ!* Non male Lambinus pro: *findetur*, in notis posuit *findatur*. — *quadra*, frustum panis vel placentæ in formam quadri decisum. — *Sed*

Digitized by Google

Brundusium comes aut Surrentum ductus amœnum,
Qui queritur salebras et acerbum frigus et imbres,
Aut cistam effractam, aut subducta viatica plorat;
Nota refert meretricis acumina, sæpe catellam,
Sæpe periscelidem raptam sibi flentis; uti mox
Nulla fides damnis verisque doloribus adsit.
Nec semel irrisus triviis attollere curat
Fracto crure planum : licet illi plurima manet
Lacrima; per sanctum juratus dicat Osirim :
« Credite; non ludo; crudeles, tollite claudum. »
Quære peregrinum, vicinia rauca reclamat.

tacitus pasci, etc. Importune preces suas vociferantem comparat cum corvo, tam altos præda reperta clamores ciente, ut alii multi superveniant corvi, ortaque rixa, mulctetur, et parte dapis spolietur, qui invenit. Si tacuisset corvus, nulli supervenissent; et solus totum habuisset. Ed.

52. *Brundusium*, Apuliæ oppidum maritimum. — *Surrentum*, Campaniæ oppidum ad sinum Puteolanum. — *comes*, in divitis alicujus comitatu. — *Nota refert meretricis acumina*; facit idem, quod meretrices astutas facere constat; locum Plauti, qui huc pertinet, jam comparavit vetus Schol. vide Trucul. I, 1, 32, seqq. « Aut aurum periit, aut conscissa pellula est, Aut armariola Græca, aut aliquid semper est, Quod pereat, debeatque amans scorto suo. » Easdem artes meretricias tangit Ovid. in Art. A. I, 431 : « Quid ? quum mendaci damno mœstissima plorat, Elapsusque cava fingitur aure lapis. » — *catellam*, parvam catenam. — *periscelidem* (περισκελίδα), ornamentum pedis circum crura, sandaliorum fortasse vincula; *periscelides resolvere* est apud Petron. c. 67. Dacerius intelligit *jarretières*, quia saltantium vestes non infra genua descendebant. Ed.—*mox*, in posterum. Ed.

58. *Nec semel irrisus*, nec is, qui jam semel habitus est ludibrio. — *Fracto crure*, vere nempe fracto, sed homini jam fraude noto, qui sæpe fractum antea simulando fleverat, non fides habetur. Ed.—*planum*, circumvagum, circumforaneum, impostorem; apud Ciceronem quoque hæc vox occurrit, pro Cluent. c. 26. — *Osirim*, a plebe inprimis hic deus Ægyptiorum apud Romanos colebatur; unde quoque *planus* per Osirim jurare dicitur.

Analysis. In hac Epistola Horatius artem, qua semper usus est et quidem peritissime, commendat et exponit. Institutæ scilicet inter Cynicorum vitæ

Digitized by Google

genus, et Aristippi vivendi modum quasi disceptatione, hunc anteponendum judicat. Nempe ad Cynicorum more vivendum sufficere impudentiam; ille autem qui divitibus utitur eorumque gratiam captare studet, præditus sit oportet mille animi dotibus. Sic, quum illud vitæ genus anteponendum esse demonstravit, quædam de eo præcepta dat. Ed.

EPISTOLA XVIII.

AD LOLLIUM.

Quomodo colenda sit cum viris principibus amicitia.

Si bene te novi, metues, liberrime Lolli,
Scurrantis speciem præbere, professus amicum.
Ut matrona meretrici dispar erit atque
Discolor, infido scurræ distabit amicus.
Est hujic diversum vitio vitium prope majus,
Asperitas agrestis et inconcinna gravisque,
Quæ se commendat tonsa cute, dentibus atris;
Dum vult libertas dici mera, veraque virtus.

1. *Liberrime.* *Liber* dicitur, qui alienus ab omni simulatione, quæ sentit et judicat, libere et ingenue profert et aperit. — *Scurrantis*, cf. Epist. præced. v. 19. — *professus amicum*, si semel te alicujus amicam professus es.

4. Eleganter matrona, cujus honesta species diversa est a meretricis specie inhonesta, vocatur meretrici *discolor*, pro vulgari: dissimilis; sic *color* quoque de externa specie, vel de externo habitu et se gerendi ratione, supr. Sat. II, 1, 30: « Omnis Aristippum decuit color et status et res. » — *infido scurræ distabit amicus*, ita amicus a malæ fidei scurra discrepabit; particula *ita* post *ut*, vel *sicut*, non raro omitti solet; vid. Drakenb. ad Liv. IX, 17, § 4, ad XXXIV, 9, § 10, et ad XXXIX, 41, § 1.

5. *Huic vitio*, scurrili dicacitati et facetiis placendi studio. — *Inconcinna*, inficeta, *gravisque*, et molesta. — *Quæ se commendat*, se conspiciendam præbet; *asperitas* enim profecto se non commendat sensu proprio; *tonsa cute*, ergo, qui ad cutem usque tondebantur, faciebant aliquid, quod ad morum asperitatem pertinebat. — *Dum vult libertas*, dum asperis moribus homines videri

Digitized by Google

Virtus est medium vitiorum, et utrinque reductum.
Alter in obsequium plus æquo pronus, et imi
Derisor lecti, sic nutum divitis horret,
Sic iterat voces, et verba cadentia tollit,
Ut puerum sævo credas dictata magistro
Reddere, vel partes mimum tractare secundas.
Alter rixatur de lana sæpe caprina,
Propugnat nugis armatus : « Scilicet, ut non
Sit mihi prima fides, et, vere quod placet, ut non
Acriter elatrem, pretium ætas altera sordet. »

volunt tam candidi, qui omnia libere dicant, quam veræ virtutis studiosi. — *Virtus est medium*, etc. Sed virtus mediam quasi sedem inter duo dicta vitia tenet, pari spatio ab utroque reducta, sive remota.

10. *Alter*, scurra. — *imi Derisor lecti; Derisor*, qui alios illudendo risum captat, scurra; scurræ enim una cum convivatore in *imo lecto* triclinii accumbere solebant; hinc supr. Sat. I, 8, 40, scurræ Vibidius Balatroque *imi lecti convivæ* appellantur. Alii etiam intelligunt: qui deridet eos qui in imo lecto sunt. — *verba cadentia tollit*, verba a divite dicta, nec satis a ceteris convivis notata, excipit, laudat, notari ab aliis tanquam egregia jubet. Ed. — *horret*, plenus horroris et verecundiæ observat. — *Reddere*, recitare; *reddere* dicuntur, qui, quod edidicerunt, recitant; sic supr. Od. IV, 6, 43: « reddere carmen. » — *vel partes mimum tractare secundas*, vel, duas primas quasi partes agit patronus, eum agere secundas; quum mimi prodirent in scenam, alius *primas*, alius *secundas*, alius *tertias*, et sic porro partes agebat, ita quidem, ut histrio is, qui primas agebat, ceteros tam re et dictis, quam actione superaret. Rem illustrat jam a Lambino allatus locus Ciceronis, Div. Verr. c. 18 : « Ut in actoribus Græcis fieri videmus; sæpe illum, qui est secundarum aut tertiarum partium, quum possit aliquanto clarius dicere, quam ipse primarum, multum summittere, ut ille princeps quam maxime excellat. » Boëttigeri singularis de ea re exstat libellus *de prim. secund. et tertiarum part. actoribus*. Vinar. 1798.

15. *Alter*, homo asper et difficilis. — *de lana caprina*, ex vetere proverbio : de re vilissima. — *scilicet, ut non*, etc. Sensus : scilicet, inquit agrestis ille, non patiar, ut non mihi uni præ ceteris credatur, si quid dixero, ut non acriter defendam quod vere placet, quamvis mercedis loco mihi promittatur altera ætas, tantum vitæ, quantum hactenus egi. Ed. — *elatrem*, qui summa pulmonis intentione vociferantur, non loqui, sed, sicut canes, *latrare* (ὑλακτεῖν, βοᾶν,)

Digitized by Google

Ambigitur quid enim? Castor sciat, an Dolichos plus?
Brundusium Minucî melius via ducat, an Appî?
Quem damnosa Venus, quem præceps alea nudat,
Gloria quem supra vires et vestit et ungit,
Quem tenet argenti sitis importuna famesque,
Quem paupertatis pudor et fuga, dives amicus,
Sæpe decem vitiis instructior, odit et horret:
Aut, si non odit, regit; ac, veluti pia mater,

dicuntur; Cic. de Clar. Orat. c. 18: « *Latrant* enim jam quidam oratores, non loquuntur. » Supr. Sat. I, 3, 136: « Rumperis et *latras*, magnorum maxime regum, » hinc *elatrare*, latrando, h. e. intentissimo nisu voces emittere.

19. *Ambigitur quid enim?* de qua autem re tam gravi controversia est, quæ tantam agresti illi bilem moveat? Ed. — *Castor sciat, an Dolichos plus?* utrum Castor, an Dolichos artis gladiatoriæ peritior sit.—*plus sciat*, in suo arte sit eruditior, doctior. *Castor* et *Dolichos;* (al. Docilis.) Vet. Schol. « erant illius temporis nobiles gladiatores. » — *Minucî via*, via, a L. Minucio strata, quæ a porta urbis Minucia per Sabinos Brundusium ducebat. — *via Appî*, cf. Epod. IV, 14.

21. Jam enumerat vitia, a quibus is, qui ditioris gratia frui cupit, sibi cavere debeat. Lambinus et alii perperam, hunc locum interpretati sunt; ordo est: sæpe amicus dives odit ac fugit amicum tenuiorem qui opes damnosa aut fœda libidine, aut alea dilapidat, qui supra vires suas sumptum in mensam et vestes facit, licet ipse dives sit decies vitiosior et sceleratior amico illo tenuiori. Secundum hoc, quasi præceptum ad colendam amicitiam necessarium est, ut virtutem colat is, qui placere vult amico potentiori, quamvis scelerato; quia nemo scelus in aliis amat. Ed. — *damnosa*, non raro Venus *fundi*, ut Terentius loquitur, *est calamitas.* — *præceps alea nudat*, tria tantum, sed gravissimi ponderis verba, juvenibus præcipue alta mente reponenda; *alea* aleatores, dum eos *nudat*, bonis exuit, præcipites agit in perniciem! — *Gloria*, vana ostentatio, jactantia. — *supra vires*, supra modulum, quo quisque se metiri debet; Juvenal. III, 180: « Heic ultra vires habitus nitor: heic aliquid plus, Quam satis est. » — *importuna*, quia, qui divitis patroni venatur gratiam, *importuno tempore* habendi cupiditatem ostendit. — *Quem paupertatis pudor et fuga*, sc. tenet, h. e. eum, qui præ paupertatis pudore nomen pauperis fugit. — *Decem vitiis instructior*, decies vitiosior; loquendi genus e vita communi petitum, et apud nos quoque usitatum.

26. *Regit*, moderatur eum, rationem se gerendi ei præscribit. — *ac, veluti pia mater*, etc. Ac, veluti pia mater optare solet, ut liberi se ipsa meliores evadant, ita dives patronus eum, quem alit et patrocinio suo fo-

Digitized by Google

Plus quam se sapere, et virtutibus esse priorem
Vult; et ait prope vera: « Meæ (contendere noli)
Stultitiam patiuntur opes; tibi parvula res est:
Arcta decet sanum comitem toga; desine mecum
Certare. » Eutrapelus, cuicumque nocere volebat,
Vestimenta dabat pretiosa: beatus enim jam
Cum pulchris tunicis sumet nova consilia, et spes;
Dormiet in lucem; scorto postponet honestum
Officium; nummos alienos pascet; ad imum
Thrax erit, aut olitoris aget mercede caballum.
Arcanum neque tu scrutaberis illius unquam;
Commissumque teges, et vino tortus et ira.

vet, plus quam se sapere et virtutibus se ipso potiorem esse vult. — *Meæ (contend. noli) Stultitiam patiuntur opes*, noli mecum contendere, nam ego sum dives, cujus opes stultitiam admittunt, vel stultitiæ præsidio sunt. Verissimum sane, ut quotidiana docet experientia, sed tale quid ex ipso divitis ore audire rarissimum. Per *stultitiam* intelligo omnia quæ, divitiarum ostentandarum causa, stulte faciunt divites. — *Arcta toga*, quam pauperiores gestabant, (*exiguam togam* gestasse dicitur Cato, vid. Epist. seqq. v. 30) opponitur *togæ laxæ*, quæ erat ditiorum; vid. Epod. IV, 8.

31. *Eutrapelus*, etc. Laudi, quam homo dives opibus suis tanquam stultitiæ clypeo tribuit, statim Horatius in divitiarum contemtum subnectit narrationem de *Eutrapelo*, qui iis, quibus nocere volebat, pretiosa vestimenta dedisse et his corruptelarum illecebris a virtutis via illos abducere tentasse dicitur. De *P. Volumnio Eutrapelo*, Antonii triumviri amico, vid. Ernest. Clav. Cic. Ind. Hist. s. v. *Volumnius*, et in Ind. Græc. s. v. εὐτραπελία. — *beatus*, splendide vestitus, lautus ac dives, — *sumet nova consilia*, sic ad vulgare hominum ingenium callide judicabat Eutrapelus.

34. *Scorto postponet honest. Officium*, libidinibus potius, quam rerum honestarum administrationi, operam dabit. — *nummos alienos pascet*, augebit aliorum, scilicet fœneratorum pecuniam, usuras iis pendendo; Pers. Sat. V, 149: « .... ut nummi quos hic quincunce modesto Nutrieras; » id est, alueras, auxeras. Alii falso explicant nummos mutuo sumtos absumet et abliguriet. Ed. — *ad imum*, ad extremum. — *Threx*, vel *Thrax*, cf. de hoc gladiatorum genere supr. Sat. II, 6, 44. — *aut olitoris aget mercede cabal.* eleganter pro vulgari: aut erit servus apud olitorem, cujus caballum olera venalia portantem ducet. Ed.

38. *Commissumque teges, et vino*

Digitized by Google

Nec tua laudabis studia, aut aliena reprendes:
Nec, quum venari volet ille, poemata panges.
Gratia sic fratrum geminorum, Amphionis atque
Zethi, dissiluit, donec suspecta severo
Conticuit lyra. Fraternis cessisse putatur
Moribus Amphion: tu cede potentis amici
Lenibus imperiis; quotiesque educet in agros
Ætolis onerata plagis jumenta canesque,
Surge, et inhumanæ senium depone Camœnæ,
Cœnes ut pariter pulmenta laboribus emta.
Romanis solemne viris opus, utile famæ

tortus et ira, et, quod fidei tuæ et taciturnitati creditum est, occultabis tam vino, quam ira accensus, h. e. neque inter pocula, neque ira abreptus reteges. Horat. supr. Od. III, 21, ad *Amphoram*, v. 16: « Tu sapientium Curas, et arcanum jocoso Consilium retegis Lyæo. » — *vino tortus*, infr. in Epit. ad Pis. v. 435: « Reges dicuntur multis urgere culullis, Et *torquere* mero, quem perspexisse laborant. » — *Nec tua laudabis studia*, etc. Nunquam in tuis studiis ultra modum pertinax, alienis obstes voluntatibus. — *ille*, dives amicus.

41. *Gratia sic fratrum geminorum*, etc. Jam, ut doceat, inter duos diversa studia sectantes non constare posse amicitiam, *Amphionis et Zethi*, Jovis ex Antiopa filiorum, exemplum affert. *Amphion*, celebratissimus fidicen, erat homo mitioris et mollioris ingenii; *Zethus*, pastor et rerum agrestium studiosus, *homo durus* (Propert. III, 15, 20), et *ferus* (Stat. Theb. X, 443). Fuit igitur inter hos duos fratres discordia, donec Amphion, lyram tacere jubens, fraternis moribus cessit. — *gratia*, concordia, mutuus amor. — *suspecta severo*, invisa fratri Zetho, non mitioribus studiis (arti musicæ), sed severioribus (operi rustico) adsueto; apud Lucretium quoque V, 1356, agricolæ dicuntur *severi*.

43. *Cessisse*, obsecutus esse; in gratiam fratris, musicam intermisisse. — *Ætolis*, epitheton ornans, respectu habito *Meleagri*, regis Ætoliæ, quem ingentem aprum Calydonium cepisse constat. Ovid. Met. VIII, 270, seqq. — *Et inhumanæ senium depone Camœnæ*, et depone morositatem, qua versaris in studiis a comitate et facilitate alienis; *senium*, de senili morositate et tetrica severitate, ut *triste senium morum* apud Senec. Hippol. v. 917. — *Pulmenta*, ex carne ferina confecta, cf. supr. ad Sat. II, 2, 34. — *emta*, parata; supr. Epist. I, 2, 55: « Sperne voluptates, nocet emta dolore voluptas. »

49. *Romanis solemne viris*, etc. Quod est opus usitatum Romanis et

Digitized by Google

Vitæque et membris: præsertim quum valeas, et
Vel cursu superare canem vel viribus aprum
Possis: adde, virilia quod speciosius arma
Non est, qui tractet: scis, quo clamore coronæ
Prælia sustineas campestria; denique sævam
Militiam puer et Cantabrica bella tulisti,
Sub duce, qui templis Parthorum signa refixit,
Et nunc, si quid abest, Italis adjudicat armis.
Ac, ne te retrahas et inexcusabilis abstes,
Quamvis nil extra numerum fecisse modumque

quod fortis ac patientis viri famam asserit, scilicet venari. Plinius in Traj. Panegyr. 81 : « Olim hæc experientia juventutis, hæc voluptas erat: his artibus futuri duces imbuebantur, certare cum fugacibus feris cursu; cum audacibus robore; cum callidis astu; nec mediocre pacis decus habebatur submota campis irruptio ferarum, et obsidione quadam liberatus agrestium labor.» Ed. — *adde, virilia quod*, etc. Junge: *adde, quod non est, qui arma virilia tractet speciosius*, scil. te; eleganter autem dixit *speciosius*, quia species, status, ars et dexteritas armorum tractandorum in spectantium oculos incurrit.

53. *Quo clamore*, qua acclamatione, quo applausu, *coronæ*, sc. spectatorum te cingentium. — *campestria*, exercitationis causa in Campo Martio pugnata.

55. *Sæva militia* jam opponitur incruentis in Campo exercitationibus. — *Cantabrica bella*, vid. ad Epist. I, 12, 26. — *Sub duce*, Augusto. — *qui templis Parth. signa refixit, et nunc*; supr. Od. IV, 15, 6 : « Et signa nostro restituit (Augustus) Jovi, Derepta Parthorum superbis Postibus. »—*si quid abest*, si qua terra restat, nondum ditioni Romanorum subjecta; Horatius innuisse videtur Bentleio Armeniam, eodem anno, quo signa a Parthis recepta sunt, expugnatam. — *Italis adjudicat armis*, armorum vi parere jubet (Italis) Romano imperio, vel parere (Italis armis) Romani imperii potentiæ.

58. *Ne te retrahas*, etc. Sensus hujus loci, ut mihi videtur, est hic: ac, ne te a venatione cum potentiore amico retineri patiaris, et ratione, quæ, neutiquam te excuset, inductus ab ea absis, cogita, quæso, te ipsum, quamvis ab eo, quod decet et rectum est, haud facile recedas, nonnunquam ludicra rure paterno tractare. — *se retrahere*, rem aliquam a se avertere, rei alicui se subducere, re aliqua abstinere, Catull. XXX, 9 : « Idem nunc retrahis te. »—*Extra numerum modumque : numerus et modus* sunt proprie rhythmus et certi pedes, quibus versus componitur; *extra numerum modumque*, extra normam, ad

Digitized by Google

Curas, interdum nugaris rure paterno:
Partitur lintres exercitus; Actia pugna
Te duce per pueros hostili more refertur;
Adversarius est frater; lacus, Adria; donec
Alterutrum velox victoria fronde coronet.
Consentire suis studiis qui crediderit te,
Fautor utroque tuum laudabit pollice ludum.
Protinus ut moneam (si quid monitoris eges tu),
Quid de quoque viro, et cui dicas, sæpe videto.
Percontatorem fugito, nam garrulus idem est,

quam aliquid exigi debet; et in hoc quidem loco, præter decorum, præter ea, quæ decent, et tibi conveniunt;— *fecisse... Curas,* facere soles.—*Nugari,* ut supr. Sat. II, 1, 73: « pueriliter ludere. » Sic *grœcari,* supr. Sat. II, 2, 11.

61. *Partitur lintres,* seqq. Quemadmodum puer Ascanius in honorem avi Anchisæ cum puerili agmine equestre certamen, sive *ludum Trojanum,* apud Virgil. Æn. V, 548-604, instituit, ita nunc juvenis *Lollius* in honorem Augusti simulacrum navalis pugnæ Actiacæ in villa sua paterna repræsentat. — Quis in hoc loco non admiretur summam artem, qua Horatius in hac Epistola ad Lollium παρὰ προσδοκίαν rem tangit, cujus memoria et narratione nihil quidquam Augusto poterat esse dulcius atque jucundius. — *Partitur lintres,* apud Virgilium, Æ. V. v. 562: « Agmine partito fulgent. » — *exercitus,* ex pueris conscriptus; sequitur enim *per pueros.* — *Actia pugna... refertur,* geritur, uti gesta esse dicitur; imago pugnæ Actiacæ editur: de pugna Actiaca cf. supr. Od. I, 37, et Epod. carm. IX. — *Adversarius est frater,* adversarii seu Antonii locum tenet frater tuus. — *lacus* quidam in villa paterna est jam *Adria,* mari Adriatico adsimulatus. — *velox,* est enim victoria dea alata; hanc etiam rapiditatis notionem, victoriæ, quum de pugna Actiaca agitur, addi conjiciam non sine aliquo laudandi Augusti consilio, qui tam rapide Antonium vicerat. Ed. —*fronde,* sc. laurea.

65. *Consentire,* etc. Dives amicus qui crediderit te iisdem ac ipsum studiis delectari, etc. Ed. —*suis studiis,* exempli causa, venationi.—*tuum ludum,* puerilem ludum in villa paterna. — *utroque pollice,* summo favore. —*pollex pressus,* signum favoris et gratiæ; *pollex versus, conversus, subrectus,* signum infesti animi. Juvenal. III, 35: « Manera (ludos gladiatorios) nunc edunt, et verso pollice vulgi Quemlibet occidunt populariter. » Plin. H. N. 27, c. 2: « Pollices, quum faveamus, premere etiam proverbio jubemur. » Ed.

67. *Protinus ut moneam,* ut ultc-

Digitized by Google

Nec retinent patulæ commissa fideliter aures;
Et semel emissum volat irrevocabile verbum.
Non ancilla tuum jecur ulceret ulla, puerve,
Intra marmoreum venerandi limen amici;
Ne dominus pulchri pueri caræve puellæ
Munere te parvo beet, aut incommodus angat.
Qualem commendes, etiam atque etiam adspice, ne mox
Incutiant aliena tibi peccata pudorem.
Fallimur, et quondam non dignum tradimus: ergo
Quem sua culpa premet, deceptus omitte tueri;
Ut penitus notum, si tentent crimina, serves,
Tuterisque tuo fidentem præsidio: qui
Dente Theonino quum circumroditur, ecquid

rius progrediar in te monendo. — *Percontatorem*, hominem continuo interrogantem. Ed. — *aures patulæ*, patentes audiendis narrationibus, quas illæ, quia simul sunt *rimosæ*, ut garrulorum aures Horatius vocat supr. Sat. II, 6, 46, retinere non possunt. — *Et semel emissum volat irrevocabile verbum*, eamdem sententiam expressit Hor. infr. in Epist. ad Pis. 390: « Nescit vox missa reverti. » — *volat verbum*, ἔπεα πτερόεντα apud Homerum.

72. *Jecur ulceret*. *Jecur* pro sede libidinis habebatur; paulo fœdius igitur *jecur*, quod occupat libido, *ulcerari* dicitur; hinc supr. Od. I, 25, 15: « libido... Sæviet circa jecur ulcerosum. » — *Puerve*, verna. — *Ne dominus pueri*, etc. Sensus: ne pueri puellæve dominus pro munere ampliore, quod exspectare apud eum poteras, hoc leviore te beare velle videatur, aut hujus muneris recusatione, vel jocis, quibus de hoc amore te cruciat, tibi molestus fiat.

76. *Adspice*, considera, tecum reputa, ut v. 4, in præcedente Epistola. — *Aliena*, sc. commendati hominis. — *quondam* (πότε), nonnunquam, quandoque, interdum. Supr. Od. II, 10, 18: « *quondam* citharæ suscitat Musam, » et Sat. II, 2, 82: « Hic tamen ad melius poterit transcurrere *quondam*. » — *Non dignum*, sc. qui tradatur, commendetur; quoties enim *dignus* absolute ponitur, toties aliquid ex orationis vicinitate supplendum est. — *Deceptus*, sc. culpa, qua ille premitur; — *omitte*, desine. — *tueri*, sc. eum.

80. *Ut serves*; ut possis servare: pro: *Ut*, malim cum Bentleio: *At*. Noli, ait, eum tueri, qui vere culpam sibi contraxit, at eum, qui tibi penitus notus et spectatus est, si tentetur vel petatur criminationibus, fidentem tuo præsidio serves et tueris; nam si

Digitized by Google

Ad te post paulo ventura pericula sentis?
Nam tua res agitur, paries quum proximus ardet;
Et neglecta solent incendia sumere vires.
Dulcis inexpertis cultura potentis amici:
Expertus metuit. Tu, dum tua navis in alto est,
Hoc age, ne mutata retrorsum te ferat aura.
Oderunt hilarem tristes, tristemque jocosi;
Sedatum celeres, agilem gnavumque remissi:
Potores bibuli media de nocte Falerni
Oderunt porrecta negantem pocula; quamvis

ille impune mordetur dente maledico, nonne tibi verendum est, ne idem paulo post tibi accidat?—*Dente Theonino. Theon*, ut ex hoc loco appareat, homo fuit maledicentissimus, sive iste fuerit libertinus, ut tradit Schol. Cruq. sive, quod multo probabilius, ignobilis quidam et malus poeta.

86. *Dulcis inexpertis cultura amici*, studium, quod in colendo potentiore amico ponitur, *dulce* videtur iis, qui nondum ejus fecerunt periculum; at ii, qui illud experientia cognoverunt, non sine timore et circumspectione ei operam dant. — *Tu, dum tua navis*, etc. Quum in cultu potentioris prospero successu usus es, id age, et hoc tibi sit curæ, ne de loco, quo progressus es, rejiciaris, h. e. ne secunda fortuna in adversam mutetur. Imagine a vento secundo aut adverso, vel a fausta aut infausta navigatione, ad felicem aut infelicem vitæ cursum translata, nihil frequentius.

89. *Oderunt hilarem tristes*, seqq. Horatius expressit sententiam: diversi ingenii homines non inter se conveniunt; ad ingenium igitur patroni tui te accommodare, et in ejus agendi sentiendique rationem amice conspirare debes. — *Sedatum*, quietioris et lentioris animi hominem. — *celeres*, vividioris et alacrioris ingenii homines. — *remissi*, qui vires non intendunt, arcui laxato et remisso sunt similes. — *Potores bibuli... Falerni*, bibaces vini Falerni, vino Falerno ad mediam usque noctem sese ingurgitantes; sic supr. Epist. I, 14, 34: « Quem (scis) bibulum liquidi media de luce Falerni. » Doctissimus *Quicherat* delevit hunc v. 91, tanquam absurdum, ita ut versus 92 inciperet verbo *potores*. Cur autem hic absurdum, si non est in Epist. 14? Nonnulli etiam legunt *vetuli*, Bentl. *liquidi*, pro *bibuli*, quia hanc vocem idem ac *potores* sonare aiunt; at *potores* nullam in se immodestiæ notionem habet, quam contra addit epitheton *bibulus*; qui facile et multum sorbet. Gallice, *bon buveur, biberon*. Ed.— *Oderunt porr. negantem Pocula*, etc. Te non ferre possunt, si oblata tibi pocula recusaveris, quamvis tibi a nocturnis vaporibus cavendum esse jures;

Digitized by Google

Nocturnos jures te formidare vapores.
Deme supercilio nubem: plerumque modestus
Occupat obscuri speciem, taciturnus acerbi.
Inter cuncta leges, et percontabere doctos,
Qua ratione queas traducere leniter ævum:
Ne te semper inops agitet vexetque cupido,
Ne pavor et rerum mediocriter utilium spes:
Virtutem doctrina paret, naturane donet:
Quid minuat curas, quid te tibi reddat amicum,
Quid pure tranquillet, honos, an dulce lucellum,
An secretum iter et fallentis semita vitæ.
Me quoties reficit gelidus Digentia rivus,

per *nocturnos vapores* intellige æstum, quo in somno agitantur, qui sera nocte se largius fervidiore vino invitarunt. Supr. Epod. III, 15 : « Nec tantus unquam siderum insedit vapor (æstus) Siticulosæ Apuliæ. »

94. *Deme supercilio nubem*, pelle contractam in supercilio nubem (τὸ τῶν ὀφρύων νέφος), h. e. tristitiam; frontem exporrige; — *plerumque*, non raro, sæpius, nonnunquam, ut Od. I, 34, 7; Od. III, 21, 14; Sat. I, 10, 15; Sat. II, 5, 55; Epist. ad Pis. v. 14, et 95, et passim alibi. — *Modestus occupat obscuri speciem*, qui ultra modum modestus est et prudens, speciem præ se fert hominis, quæ sentiat, tegentis et dissimulantis; — *acerbi*, acerba minantis.

96. *Inter cuncta*, præcipue, ante omnia. — *semper inops cupido*, scilicet cupido, quæ nunquam exsatiari potest, est et manet semper inops; uti *dives inter opes inops*; nisi quis *semper* ad *agitet* et *vexet* referre malit, *semper inops* una voce pronuntiari potest, ut *semper lenibus* apud Terent. Andr. I, 2, 4. — *Virtutem doctrina paret*, etc. Utrum virtus præceptis et disciplina parari possit, an naturæ debeatur. Respexit Horat. quæstionem, εἰ διδακτὸν ἡ ἀρετή, a Socrate agitatam, et ab Æschine Dial. I, ut jam observavit Gesnerus, et Platon. in Menon. copiosius tractatam. — *doctrina*, disciplina, institutio, supr. Od. IV, 4, 33 : « Doctrina sed vim promovet insitam. »

101. *Quid te tibi reddat amicum*, quid ita te agere et sentire sinat, ut tibi ipsi placeas, tibi ipsi carus sis; supr. Epist. I, 14, 1, Horatius « agellum suum se sibi reddere » ait. — *Quid pure tranquillet*, quid pura et liquida tranquillitate animum tuum perfundat. — *secretum iter*, vita secreta et remota a publica luce. — *fallentis*, sc. oculos hominum, h. e. latentis, obscuræ. Supr. Epist. I, 17, 10 : « Nec vixit male, qui natus moriensque fefellit. »

104. Jam non didactice exponit

Digitized by Google

Quem Mandela bibit, rugosus frigore pagus,
Quid sentire putas, quid credis, amice, precari?
Sit mihi, quod nunc est; etiam minus: et mihi vivam,
Quod superest ævi, si quid superesse volunt Dî:
Sit bona librorum et provisæ frugis in annum
Copia; neu fluitem dubiæ spe pendulus horæ.
Sed satis est orare Jovem, quæ donat et aufert:
Det vitam, det opes; æquum mî animum ipse parabo.

poeta quid animum tranquillet, sed semetipsum suamque vitam in hujus tranquillitatis exemplum proponit. Ed.—*Digentia rivus*, ortus ex fonte Bandusio; cf. supr. ad Od. III, 13, et ad Epist. I, 16, 12. — *Mandela*, pagus, haud procul a villa Horatii. — *rugosus frigore*, quasi frigus rugas inducat pagi incolis. — ad *sentire* et *precari* supple: me. — *provisæ*, quantum frugis opus est iis, qui sibi in unum annum provident; *providere frugis copiam in annum*, dictum est, ut apud Plin. H. N. VIII, 38: « Providere pabulum in hiemem. »

110. *Neu fluitem dubiæ spe pendulus horæ*, neu suspensus inter spem metumque de dubia futuri temporis sorte perturber. Horat. supr. Od. I, II, 8: ad Leuconoen: « Carpe diem, quam minimum credula postero. » — *quæ donat et aufert*, ea, quæ Jupiter et dat, et aufert, vitam scilicet et opes; — *æquum mî animum ipse parabo*, quod attinet ad animi tranquillitatem, quam deus non dat, eam mihi ipse parabo. Cicero. de Nat. Deor. lib. III: « Atque hoc quidem omnes mortales sic habent, externas commoditates, vineta, segetes, oliveta, ubertatem frugum et fructuum, omnem denique commoditatem prosperitatemque a diis se habere, virtutem autem nemo unquam acceptam Deo retulit. Nimirum recte: propter virtutem enim jure laudamur, et in virtute recte gloriamur. Quod non contingeret, si id donum a Deo, non a nobis haberemus. » atque iterum: « Judicium hoc omnium mortalium est fortunam a Deo petendam, a se ipso sumendam esse sapientiam. » Ed.

Analysis. In prima hujus Epistolæ parte mirifice placet egregie adumbrata *scurræ* et *hominis asperi* imago; ultimam autem ejus partem nemo erectioris indolis legere potest, quin tam iis, quibus ad veræ felicitatis sibi parandæ studium excitatur Lollius, quam voto, quo hanc Epistolam Horatius finit, cum sensu suavissimo percutiatur. Ceterum *Lollius*, ut recte judicat Cl. Wetzelius, idem esse videtur, ad quem scripta est Epistola hujus libri secunda, scilicet *Maximus Lollius*, *M. Lollii Palicani* filius, ad quem scriptum est carmen cum supr. Od. IV, 9. Uti in præcedente Epist. Scævæ, ita in hac Lollio dat præcepta, ad quæ is qui gratus esse cupit potentioribus, se gerere debeat. Ed.

Digitized by Google

EPISTOLA XIX.

AD MÆCENATEM.

Suæ ætatis poetas carpit; cur suis carminibus non omnes plaudant edocet.

Prisco si credis, Mæcenas docte, Cratino,
Nulla placere diu, nec vivere carmina possunt,
Quæ scribuntur aquæ potoribus! Ut male sanos
Adscripsit Liber Satyris Faunisque poetas,
Vina fere dulces oluerunt mane Camœnæ. 5

1. *Prisco... Cratino.* Cratinus, priscus poeta (vid. supr. ad Sat. I, 4, 1.), jam ut vini amantissimus celebratur. Hinc lepide Aristophanes in Pace, v. 701, Cratinum præ dolore fractæ aliquando vini amphoræ animam efflasse ait. Cf. inprimis in Anthol. Græc. (edit. Jacobs.) Nicæneti Sam. Epig. IV, T. I, p. 106. — *vivere*, durare, propagari ad posteros; supr. Od. I, 32, 3: « si quid... Lusimus... quod et hunc in annum *vivat* et plures, » ubi vid not.—*aquæ potoribus*, calore quasi, quo agitari debent poetæ, carentibus; Nicænetus in laudato Epigr. v. 2: « Ὕδωρ δὲ πίνων οὐδὲν ἂν τύχοι σοφόν, » ad quem locum vide, quæ notavit Jacobs. in Animadv. vol. I, Part. Post. p. 431.

3. *Ut male sanos*, etc. Sensus; postquam scilicet Bacchus poetas, poetico furore correptos (*male sanos*), in Satyrorum et Faunorum societatem recepit, redolent illi vino, quo a primo mane ora proluunt.—*Ut* pro: postquam, ex quo tempore, accipio. Alii *ut* explicant: tanquam; *male sanos*, ἐνθουσιάζοντας, hinc infr. in Epist. ad Pis. 296: « excludit sanos Helicone poetas Democritus; » hinc Bacchus poetis furentibus, sive dithyrambicis præcipue favere, et in eorum pectora descendere dicitur; cf. Od. II, 19, 15, seqq. hinc chorus poetarum infr. Epist. II, 2, 18: « Bacchi clicns » dicitur; hinc « hederæ doctarum frontium præmia » supr. Od. I, 1, 29, et Virgil. Eclog. VII, 25. — *Satyris Faunisque*, Satyri enim et Fauni, lascivientes et insanientes, sunt in comitatu Bacchi. — *fere*, plerumque, ut supr. Sat. I, 10, 15, et infr. Epist. II, 1, 256. — *Camœnæ*, pro Musarum alumnis, h. e. poetis, ipsæ huc inducuntur Musæ vinum mane olentes ex hesterna cœna aut nocturna

Digitized by Google

Laudibus arguitur vini vinosus Homerus,
Ennius ipse pater nunquam, nisi potus, ad arma
Prosiluit dicenda. Forum putealque Libonis
Mandabo siccis, adimam cantare severis.
Hoc simul edixit, non cessavere poetæ
Nocturno certare mero, putere diurno.
Quid? si quis vultu torvo ferus, et pede nudo,

comessatione. — *dulces,* ut supr. Od. I, 26, 9, et Od. II, 12, 13.

6. *Laudibus arguitur,* etc. Homerus ob laudes, quas vino tribuit, *vinosus* fuisse arguitur. Ad loca, ubi vini virtutes laudantur ab Homero, quamvis breviter, referenda : Iliad. VI, 261 ; et Odyss. XIV, 463, seqq.

7. *Ennius ipse pater,* antiquissimus Romanorum poeta cum verecundia quadam vocatur *pater,* sicuti philosophi, quorum maxima est auctoritas, verecunde *patres* vocari solent, sic supr. Sat. I, 3, 126, « pater... Chrysippus. » — *ad arma dicenda,* h. e. ad bellum Punicum secundum carmine epico describendum ; cui non succurrit : arma (bella) virumque cano? — *prosiluit,* accommodate ad vim vini.

8. *Forum putealque Libonis,* ubi tractantur res seriæ ; de *Libonis puteali* vid. supr. ad Sat. II, 6, 35. — *Mandabo,* ego ex Cratini auctoritate mandabo, Cratinus meis verbis mandat. Ed. — *siccis ; sicci,* qui non vinum bibunt, ut supr. Od. I, 18, 3 ; Od. IV, 5, 39, et Sat. II, 3, 281, opponuntur, *vino madentibus, uvidis.* — *adim. cant. severis,* severos a canendis carminibus prohibebo. — *severi* iidem, qui *sicci.*

10. *Hoc simul edixit,* etc. Sensus : simul ac hanc sententiam de vi, quam vini potus in poetarum ingenia habeat, publice professus est Cratinus cujus sentiendi modum ego hic refero, statim mali poetæ et imitatóres, quasi edicto aliquo proposito (hoc latet in verbo *edicere*), dies noctesque vino indulgere cœperunt. — Ridet igitur Horatius stultitiam eorum, qui modo vino se ingurgitaverint, se poetæ partes explere posse existimarent. — *Nocturno certare mero, putere diurno,* ad eamdem orationis formam compositus est notissimus versus in Epist. ad Pis. v. 269 : « Vos exemplaria Græca Nocturna versate manu, versate diurna. »

12. *Quid? si quis,* etc. Quemadmodum nemo poetæ laudem solo vini potu, ita nemo Catonis virtutem assequi potest solo ad externum ejus habitum se componendi studio. Sed vulgo homines vitia potius, quæ alicui adhærent, quam ipsas virtutes imitantur ; — *vultu torvo ferus,* Vet. Schol. Cruq. « Cato, senator Romanus (sermo est de Catone Uticensi), ut severior appareret, intonsa barba capillisque prodibat in publicum, duroque calceamento et sæpe nullo, togaque exigua. » Plutarch. in Vita Cat.

Digitized by Google

Exiguæque togæ simulet textore Catonem,
Virtutemne repræsentet moresque Catonis?
Rupit Iarbitam Timagenis æmula lingua,
Dum studet urbanus, tenditque disertus haberi.
Decipit exemplar vitiis imitabile: quod si
Pallerem casu, biberent exsangue cuminum.
O imitatores, servum pecus, ut mihi sæpe
Bilem, sæpe jocum vestri movere tumultus!

Utic. — *Exiguæque togæ textore*, h. e. exigua toga. Toga pro panno ex qua toga conficitur; pro toga autem aut panno ipse panni textor hic ponitur, audaci sane et insolenti figura. Comparant cum hoc loquendi genere supr. Epist. I, 1, 94: « Si curtatus inæquali tonsore capillus; » sed res ibi paulo aliter se habet, nam additur vox *curatus*, vel *curtatus*; ceterum *exiguam*, vel *arctam* (in Epist. præced. v. 30) *togam* gestabant ii, qui cum elegantioribus *togam laxam* aut gestare nolebant, ut Cato, priscos mores sectans, aut pro re tenui non poterant.

15. *Timagenis lingua*, facundia et ars, *æmula*, æmulationem excitans, *Rupit Iarbitam*, fecit, ut Iarbitæ ilia rumperentur, *Dum* ille *urbanus* (elegans) *et disertus haberi studet*, *tenditque* (omnes vires intendit). — *Iarbitam*... Vet. Schol. « Facete posuit *Iarbitam* pro: *Maurum*, nam et Iarbas æmulus erat Æneæ. Hic Iarbita Maurus fuit *Cordus*, qui, dum Timagenem imitaretur, post convivium et inter pocula declamantem, propter insolentiam faciendi, quod conabatur, pæne disruptus est. » — *Timagenes*, Alexandrinus, celeberrimus Rhetor, a Gabinio Romam abductus, ibi usque ad Augusti tempora rhetoricam docuisse dicitur. — *Rupit*, notum est illud Virgilii: « rumpantur ut ilia Codro. » — *urbanus*, Cordus erat Maurus, Romanam elegantiam orationis tam venustate, quam pronuntiatione imitaturus.

17. *Exemplar vitiis imitabile*, exemplum, cui adhærent vitia, quæ simul aliquis imitari possit, facile decipit imitatores, magis ad vitiorum, quam ad virtutis imitationem propenses. Huc afferri posse videtur locus Molierii: « Quand sur une personne on prétend se régler, C'est par les beaux côtés qu'il lui faut ressembler; Et ce n'est point du tout la prendre pour modèle, Ma sœur, que de tousser et de cracher comme elle. » Ed. — *biberent*, scil. imitatores. — *cuminum exsangue*, quod sanguine represso pallorem inducit; Pers. V. 55. — *pallentis grana cumini*, de vi, quam in oris colorem *cuminum* habere dicitur, vid. Dioscorid. III, 68; et Plin. lib. XX, c. 14. Ed.

19. *Ut sæpe*, quam sæpe. — *bilem*, stomachum, iram. — *jocum*, risum. — *tumultus*, una voce egregie exprimitur vanitas, qua stulti imitatores

Digitized by Google

Libera per vacuum posui vestigia princeps:
Non aliena meo pressi pede. Qui sibi fidit,
Dux regit examen. Parios ego primus iambos
Ostendi Latio, numeros animosque secutus
Archilochi, non res et agentia verba Lycamben. 25
Ac, ne me foliis ideo brevioribus ornes,
Quod timui mutare modos et carminis artem;
Temperat Archilochi Musam pede mascula Sappho,

non sine magno strepitu studia sua jactant, et, quod in proverbio dicitur, fluctus in simpulo excitant.

21. Jam de se loquitur poeta, qui Græcorum quidem poetarum sæpius numeros et rationem mutuatus est, nunquam autem eos serviliter imitatus est. — *Libera vestigia* opponuntur servorum, imitatorum, vestigiis. — *per vacuum*, per campos, nullius adhuc pede tactos; «per avia Pieridum loca, (ut loquitur Lucretius IV, 1) nullius ante Trita solo;» hinc Horatius supra (Od. III, 30, 13) de se: « Dicar.... *Princeps* Æolium carmen ad Italos Deduxisse modos.» Cf. Propert. III, 1, 3-4. — *Dux*, ut regina apum. — *Parios iambos*, ab eorum inventore, Archilocho, cujus patria fuit *Paros*, una e Cycladibus insulis in mari Ægæo. — *Ostendi Latio*. Horatius, quum primus Romanorum poetarum usus esset in Libro Epodon iambis ab Archilocho inventis, iamborum usum *Latio ostendit*, palam fecit, h. e. iamborum usum Romanos docuit. — *animosque*, animi acerbitatem in perstringendis vitiis; infr. in Epist. ad Pis. v. 279: « Archilochum proprio rabies armavit iambo.» — *non res*, argumenta, quæ tractavit Archilochus. — *agentia verba Lycamben*, maledicta, quæ Lycamben agebant (impellebant, adigebant), sc. ad restim. Vid. ad. Epod. VI, 13.

26. *Ac, ne*, etc. Duplex hujus loci interpretatio. Alii intelligunt: ac, ne ideo carmina mea minore laude ornanda esse existimes, quod ab Archilochi numeris et ab arte, qua ille versus ad certas leges composuit, recedere nolui, Sappho quoque et Alcæus (*Musam*) carmina sua (*pede Archilochi*) ad Archilochi numeros (*temperat*) moderantur et componunt. Sed Alcæus non quærit socerum, etc. Alii sic, et melius: ne me minori corona dignum putes, quod ab Archilochi numeris non recedam, adjiciam me ita scripsisse versus iambicos ad exemplum Archilochi, ut eos temperaverim admixtis versibus Sapphicis et Alcaicis. Sed Alcæus meus, id est, versus Alcaici a me scripti, dissimiles sunt versibus Archilochi, quod spectat materiam et rerum dispositionem, nam non quæro, ut Archilochus, socerum quem carminibus insecter, nec sponsam, etc. En. — *foliis* (lauri) *brevioribus*, exiguis, minoris honoris, aut, ut alii volunt, mox flaccescentibus; corolla non diu durans, pro exiguo poetæ præmio po-

Digitized by Google

Temperat Alcæus; sed rebus et ordine dispar:
Nec socerum quærit, quem versibus oblinat atris,
Nec sponsæ laqueum famoso carmine nectit.
Hunc ego, non alio dictum prius ore, Latinus
Vulgavi fidicen. Juvat immemorata ferentem
Ingenuis oculisque legi, manibusque teneri.
Scire velis, mea cur ingratus opuscula lector
Laudet ametque domi, premat extra limen iniquus?
Non ego ventosæ plebis suffragia venor,
Impensis cœnarum, et tritæ munere vestis;
Non ego, nobilium scriptorum auditor et ultor,

nitur. — *mascula*, masculæ virtutis vel masculi ingenii mulier. — *rebus*, argumentis. — *et ordine*, dispositione. — *dispar*, Alcæus. — *Nec socerum*, etc. Neque socerum, ut Archilochus Lycamben, maledicis versibus sibi perstringendum sumit, neque sponsam, ut Archilochus Neobulen, contumelioso carmine ad suspendium adigit. — *oblinat... oblinere*, eleganter et accommodate ad versus atri coloris vel nigræ loliginis plenos pro vulgari: perstringere. — *laqueum* alicui *famoso carmine nectere*, elegantissima locutio pro vulgari: carmine ignominioso consilium alicui vitam laqueo finiendi injicere.

32. *Hunc ego*, etc. Sensus: Ad hujus Alcæi exemplum, quod nemo adhuc secutus est, ego primus inter Latinos poeta lyricus exstiti. — *Vulgavi*, supr. Od. IV, 9, 3-4: « Non ante vulgatas per artes Verba loquor socianda chordis. » — *fidicen*, poeta lyricus, plenius supr. Od. IV, 3, 23: « Romanæ fidicen lyræ. » — *Juvat immemorata ferentem*, juvat me, qui protuli carmina, qualia ante me nullus Latinorum memoravit. — *Ingenuis oculisque legi, manibusque teneri*, carmina mea lyrica manibus cultiorum teri atque ab iis legi.

35. *Ingratus*, qui carmina privatim laudat et iis delectatur, at eadem publice malevole carpit, is sane est *lector ingratus*. — *premat*, sc. invidia, vel simpliciter pro: contemnat; Cic. Qu. Tusc. IV, 28: « humana omnia premens. » — *ventosæ*, mobilis, variæ, ut supr. Epist. I, 8, 12. — *suffragia*, gratiam, plausum. — *Impensis cœnarum*, pecuniam cœnis impendendo. — *tritæ munere vestis*; de iis malis poetis, plausus captantibus Pers. Sat. I, 33: « .... Calidum scis ponere sumen Et comitem horridulum trita donare lacerna. » Ed.

39. *Non ego*, etc. Hunc locum ita interpretor: quia ego infra dignitatem meam positum esse existimo, me immiscere Grammaticis, etquæ a nobilibus scriptoribus apud illos e pulpitis recitantur, audire, et contra censuram protegere, atque illatam a calumnian-

Digitized by Google

Grammaticas ambire tribus et pulpita dignor:
Hinc illæ lacrimæ! Spissis indigna theatris
Scripta pudet recitare, et nugis addere pondus,
Si dixi: rides, ait, et Jovis auribus ista
Servas; fidis enim manare poetica mella

tibus et inepte judicantibus injuriam ulcisci. — Erant tum Romæ plures, qui altioris doctrinæ laudem, vel potius speciem præ se ferentes, auditoria quasi aperirent, in quibus recitata a scriptoribus aut probarentur, et a reprehensionibus defenderentur, aut improbarentur et damnarentur. Horum, quos salse vocat *Grammaticos*, impudentius in rebus doctis auctoritatem aliquam sibi arrogantium, societatem et consuetudinem quum fugeret Horatius, iniqua illorum de carminibus suis expertus est judicia, quæ tamen Horatius parum curavit. — *ultor*, qui aliquem a reprehensione, criminatione vel injuria aliqua defendit, is ejus est quasi *ultor*, vindex, patronus; est etiam alius hujus versus sensus: ego non dignor nobilium (ironice dictum) scriptorum illorum opera audire, nec mea coram illis legere. Sic enim plurimis interp. sonare videtur verbum *ultor*, qui eos invito ad mea vicissim audienda carmina, et isto modo ulciscor tædium quo me, sua recitando, affecerunt. Ed. — *ambire*, qui studiose aliquid sectantur et appetunt, id *ambire* dicuntur. — *Gramm. trib.* Grammaticorum, ut ita dicam, collegia facete nominat *tribus Grammaticas*, quasi penes eas jus suffragiorum sive laudis distribuendæ potestas sit.

41. *Hinc illæ lacrimæ!* hinc repetenda est Grammaticorum iniquitas et malevolentia! Hoc dictum Terentii And. I, 1, 99, jam tum de querelis, quarum causa tandem aperitur, in proverbium abiit. — *Spissis indigna theatris*, etc. Pudet me carmina, haud digna, quæ in loco, ubi magna hominum frequentia convenit, audiantur, recitare, et (*nugis addere pondus*) levibus dare velle gravitatem. Pers. Sat. V, 19: « ... bullatis ut mihi nugis Pagina turgescat, dare pondus idonea fumo. » Ed. — *Spissis theatris*, infr. Epist. II, 1, 60: « Roma... arcto stipata theatro, » et infr. in Epist. ad Pis. 205: « spissa sedilia. » — *Si dixi*, sc. spissis indigna, etc. — *rides, ait*, etc. Ait aliquis e tribu Grammatica: tu nos ludis, et carmina tua Augusti auribus servas; persuasum enim tibi habes (*fidis*), te esse solum, a cujus ore manare possint carmina mellitissima; tu tibi ipsi mirifice places! — *ait*, ut passim *inquit*, absolute, ubi incertus quidam loquens vel respondens inducitur; vid. Bentl. ad Sat. I, 4, 79. — *manare* cum accusativo, pro: emittere, edere, exsudare; Ovid. Met. VI, 312: « et lacrimas etiamnum marmora manant, » ubi plura exempla de hoc hujus verbi usu collegit N. Heinsius; similiter infr. in Epist. ad Pis. 429: « rorem aliquis ex oculis stillare » dicitur. Sic ῥέειν τι apud Græcos.

Digitized by Google

Te solum, tibi pulcher. Ad hæc ego naribus uti
Formido: et, luctantis acuto ne secer ungui,
Displicet iste locus, clamo, et diludia posco.
Ludus enim genuit trepidum certamen et iram,
Ira truces inimicitias et funebre bellum.

45. Seqq. Sententiarum nexus hujus totius loci mihi videtur esse hic: Horatius, qui a se impetrare non potuit, ut carmina sua recitaret coram tribunali hominum istorum, qui artem criticam exercebant in scriptores, v. 42, se excusat apud illos pudere, quo a prælectione nugarum suarum retineatur; — critici respondent: Superbia potius tu a carminibus tuis recitandis retineris; tu enim, tanquam omnium poetarum primus, Augusti tantum auribus digná canere tibi videris. — Ad hæc, quasi vere dicta, consulto Horatius nihil respondet, sed addit tantum: Nolo dicteriis vobiscum pugnare; nam vobiscum pugnanti timendi sunt vestri ungues; nolo versari in loco, ubi huic pugnæ expositus sum; veniam ex hoc ludo abeundi peto; ex ludo enim non raro oritur certamen et ira; ex ira inimicitiæ et bellum. — *Naribus uti* (μυκτηρίζειν) dicuntur, qui naso sursum tracto aliquem rident, vel (ut Horatius supr. Sat. I, 6, 5, loquitur) « naso adunco aliquem suspendunt. » Timeo contemptum et derisionem significare, ne iram ejusmodi hominis in me concitem. Persius, Sat. I, 40: « et nimis uncis naribus indulges: » nimium ad sales amaros et acerba dicteria promptus es. Ed. — *diludia*. Schol. Cruq. « dicuntur tempora, quæ gladiatoribus conceduntur inter dies munerum, quibus pugnatur; » ergo jam accommodate ad rem de tempore, quo ludentibus cessare, vel ludum intermittere licet. Salmasius et Sanado legunt *deludia*: sed *Facciolati* non admittit in Lexico suo hanc vocem; unde nec illis, nec Ger. Vossio adsentior, qui delent *diludia*, et Grammaticos, huic lectioni faventes, vituperant acriter et insectantur. Ed. — *genuit*, gignere solet. — *trepidum*, tumultuosum. — *Ira*; initium insaniæ, seminarium odii. Ed.

Analysis. In malos ætatis suæ poetas invehitur Horatius, quorum præcipuum hoc videtur vitium fuisse, servilis ac stulta Græcorum imitatio. A moribus scilicet incipit, carpitque insanos illos homines, quod, ex Græcorum exemplo, vino indulgentes, se poetas ideo jactitent, quod sint ebrii, ridetque illam aliorum vitia, non virtutes imitandi contentionem; deinde ad literariam transiens imitationem, de se loquitur, quem Græcos quidem identidem secutum esse, non autem serviliter imitatum esse docet. Denique in se invidiam et clamores moveri ait, quia non plebis suffragia captare tentet, sua autem opera cultiorum auribus servet. Ed.

Digitized by Google

EPISTOLA XX.

AD LIBRUM SUUM.

Librum suum exire cupientem compellat; et monet, quæ de ipso Horatio prædicare debeat.

VERTUMNUM Janumque, liber, spectare videris;
Scilicet ut prostes Sosiorum pumice mundus.
Odisti claves, et grata sigilla pudico:
Paucis ostendi gemis, et communia laudas.
Non ita nutritus! Fuge, quo discedere gestis: 5

1. *Vertumnum*. De deo *Vertumno* cf. supr. ad Sat. II, 7, 14. Non procul a templo Vertumni et Jani erant porticus, ad quarum columnas vel pilas bibliopolæ in tabernis, vel in armariis libros venales habebant. Supr. Sat. I, 4, 17: « Nulla taberna meos habeat, neque pila, libellos, » ubi cf. not. Liber igitur, qui vendi et publicari cupit, lepide dicitur *spectare* ad locum, ubi libri venduntur. — *Sosiorum*... Vet. Schol. « Sosii illo tempore fratres erant bibliopolæ celeberrimi. » Infr. in Epist. ad Pis. 345: « Hic meret æra liber Sosiis. » — *pumice mundus*, pumice lævigatus et expolitus; nam quæ in membranis erant hirta, et aspera, abradebantur pumice; vid. Catull. 1, 2, ubi est *libellus pumice expolitus*.

3. *Odisti claves*, etc. Displicet tibi, quo adhuc clausus latebas, locus angustior; ex umbra prodire gestis in solem atque pulverem. Plures interpretes Horatium respexisse putant gynæcea, quorum foribus tam claustra adfigebantur, quam sigilla imprimebantur. De *his sigillis* laudant Kirchm. de Annulis, cap. X, p. 84. Quemadmodum *pudicis* ad pudicitiam suam muniendam *grata* sunt *sigilla*, ita *modesto Libro* gratum esse debebat, quo latebat, scrinium. Respondent certe huic imagini tam verbum *prostare* de impudicis, quam sequentia in v. 5, « non ita nutritus, » non ita a me educatus es; hac sentiendi agendique ratione a me non imbutus es; talem te non finxi. Ad hunc sensum Martialis vocat librum nondum editum «virginem castam.» Simpliciter autem alii intelligunt per claves et sigilla, capsulas obseratas et sigillatas in quibus scripta ab auctore servabantur. Ed. — *discedere*, (alii *descendere*,) scilicet in loca, quæ liber *laudabat*, com-

Digitized by Google

Non erit emisso reditus tibi. Quid miser egi?
Quid volui? dices, ubi quis te læserit; et scis,
In breve te cogi, plenus quum languet amator.
Quod si non odio peccantis desipit augur,
Carus eris Romæ, donec te deserat ætas.
Contrectatus ubi manibus sordescere vulgi
Cœperis, aut tineas pasces taciturnus inertes,
Aut fugies Uticam, aut unctus mitteris Ilerdam.

munia, h. e. publica, ubi multis *ostendi*, h. e. a multis legi capiebat.

6. *Miser*, ego temeritate mea miser factus. — *In breve te cogi*, te coarctari, in angustum statum redigi, pro vulgari: ex manibus seponi; membranæ evolutæ latiorem, convolutæ et ex manibus sepositæ angustiorem locum occupant. — *plenus*, legendo lassus et exsatiatus; *plenus*, simpliciter pro: satur; apud Ovid. Amor. II, 6, 29, de mortuo psittaco: « Plenus eras minimo, » satur eras minimo cibo. Bentleius commode attulit locum Ovidii ex Pont. III, 4, 55, ubi pariter *lector* exsatiatus simpliciter dicitur *plenus*. — *amator*, accommodate ad imaginem a gynæceo ductam pro lectore.

9. *Quod si non odio peccantis*, etc. Quod si non odium erga te peccantem (in publicum scilicet discessurum invito Horatio) vaticinantis mentem pervertit. — *donec te deserat ætas*, donec ætate, qua florebas, exacta consenescas.

11. *Manibus sordescere vulgi*, similiter supr. Sat. I, 4, 72: « manus vulgi libellis insudare » dicuntur. — *taciturnus*, eleganter de libro, qui, non habens lectorem, quocum quasi sermocinetur, tacet. — *tineæ*, de iis quoque vermiculis, qui chartas et libros corrodunt; Ovid. Ep. ex Pont. I, 1, 72: « Conditus ut tineæ carpitur ore liber; » vocantur tineæ *inertes*, quia, præterquam quod rodunt, nihil agunt; sunt enim, ut loquitur Virgilius de fucis, *ignavum pecus*; nisi *tineas inertes* explicare malis: artibus infestas. — *Aut fugies Uticam, aut*, etc. Uticam mitteris, aut ut tanquam novus illic legaris, aut ut merces involvas. — Unctus mitteris *Ilerdam*, involucrum fies pinguium mercium; nam magnum Romanorum cum hac urbe commercium erat; et salsamenta, garum, piper, thus, aliaque ejusmodi chartis inutilibus vel inficetis, involvi solebant: ut ipse, lib. II, Epist. I, 270; ut Catul. XCV, 8; ut Persius, Sat. I, 43; ut Martialis, IV, Epig. 87, 8; ut Bolæus noster, Sat. IX, 71; et Epist. I, 38; et A. P. II, 100. Ed. — Alii autem pro *unctus* legunt *vinctus*, et sic explicant: aut ex urbe, ubi contemneris, in terras longe remotas ibis constrictus funiculis, quibus ligantur libri, vel epistolæ in loca longinqua mittendæ. Ed. — Pro terris longe remotis ideo, ut Gesnerus monet, *Uticam* (nobilem

Digitized by Google

Ridebit monitor non exauditus; ut ille,
Qui male parentem in rupes protrusit asellum
Iratus: quis enim invitum servare laboret?
Hoc quoque te manet, ut pueros elementa docentem
Occupet extremis in vicis balba senectus.
Quum tibi sol tepidus plures admoverit aures,
Me libertino natum patre, et in tenui re
Majores pennas nido extendisse loqueris:
Ut quantum generi demas, virtutibus addas.

illam urbem in Africa extrema) et *Ilerdam* (urbem in Hispania) potuit, quia tum in his locis Romanarum literarum studia tractari et fervere incipiebant. In Epist. ad Pis. v. 345, de bonæ frugis libro: « Hic meret æra liber Sosiis, *hic et mare transit.* »

14. *Ridebit monitor*, etc. Sensus: Tum ego te, qui non exaudisti, quæ monui, ridebo, sicut ille in fabulis risit asellum, qui, quum parere nollet, ab eo irato in rupem protrusus se inde præcipitem dedit; quis enim curet servare repugnantem?

17. *Hoc quoque*, etc. Sensus: hæc quoque tibi destinata est sors, ut pueros in extremis vicis elementa docendo consenescas. — Quum esset apud Romanos hic mos, ut pueris, quibus in ludis, qui erant in extremis vicis vel compitis, prima elementa tradebantur, nobilium poetarum carmina, quæ illi ediscerent, a ludi magistris *dictarentur*; jam Horatius sua quoque carmina in ludis dictatum iri vaticinatur. Nec hic carminum suorum in scholis minoribus usus dedecori esse potuit Horatio. Scribit quidem ille Sat. I, 10, 78: « An tua demens Vilibus in ludis *dictari* carmina malis? » sed idem Sat. II, 1, 71, plagosum Orbilium antiquissimi poetæ Livii Andronici carmina sibi *dictasse* ait. — *senectus balba*, non raro enim vox grandævorum blæsa et balba esse solet. — *Occupet*, sc. te, te opprimat, tibi obrepat; supr. v. 10, dixit: « donec te deserat ætas. »

19. *Sol tepidus*, iis horis pomeridianis, quibus solis calor est mitior; —videntur scilicet hoc tempore (apud nos circa horam ferme nonam), parentes vel alii ludos adiisse, et, quæ ibi docerentur pueri, audivisse. Hinc supra Sat. I, 6, 82, Horatius de patre suo: « Ipse mihi custos incorruptissimus omnes Circum doctores aderat. » —*aures*, auditores.—*libertino patre*, cf. supr. Sat. I, 6, 45; fuit autem pater Horatii *coactor*, vid. l. l. v. 86.— *Majores pennas nido*, etc. Me, in re tenui natum, majora et altiora assequi studuisse; expressit hoc imagine, ab avium pullis ducta, qui majores pennas nacti, quum evolarunt e nido, ad altiora tendunt. — *Ut quantum*, etc. Ita quidem, ut gentis meæ ignobilitatem compenses virtutum mearum nobilitate; ad *addas* supple *tantum*, quod vel ante *quantum* sæpius omitti

Digitized by Google

Me primis urbis belli placuisse domique,
Corporis exigui, præcanum, solibus aptum,
Irasci celerem, tamen ut placabilis essem.
Forte meum si quis te percontabitur ævum,
Me quater undenos sciat implevisse Decembres,
Collegam Lepidum quo duxit Lollius anno.

solet; vid. Drakenb. ad Liv. II, 10, § 12, t. I, p. 281.

23. *Primis urbis*, nominatim Mæcenati; supr. Sat. II, l. 76, dicit: « tamen me *cum magnis* vixisse invita fatebitur usque Invidia. » — *belli*, Horatius militavit tribunus *Bruto militiæ duce*, Od. II, 7, 2, sed, ut ipse ibidem v. 10, fatetur: « relicta non bene parmula. » cf. supr. Sat. I, 6, 25. — *Corporis exigui*, supr. Sat. II, 3, 309: « .... ab imo Ad summum totus moduli bipedalis. » — *præcanum*, canos ante tempus crines gerentem. Ed. — *solibus aptum*, apricationes sectantem, hominem corpus mollius curantem. — *Irasci celerem*, (ὀξύθυμον, ὀξύχολον,) *præcipitem ingenio in iram*, ut loquitur Livius, XXIII, 7.

27. *Me quater*, etc. Horatius natus est, ut ipse ait supr. Od. III, 21, l. (U. C. 688.) L. Aurelio Cotta et L. Manlio Torquato Coss. Ab horum igitur consulatu usque ad consulatum M. Lollii et A. Æmilii Lepidi (U. C. 732) quadraginta quatuor annorum intervallum fuit. — *duxit*, cepit, sumpsit. Nonnulli pro *duxit* legi volunt *dixit*, quum difficile collega *duci* dicatur, et revera librarios in litera peccasse quis miretur? Ed.

Analysis. Horatius, simulans hunc primum Epistolarum librum ipso invito viam ex penetralibus affectare in publicum, fata, quæ illum in hoc temerario consilio persistentem maneant, tanquam vates canit. — At, si legimus versus inde a v. 17 (*Hoc quoque te manet*) additos, Horatium spem, de carminum suorum immortalitate præceptam, et supra in Od. II, 20; III, 30; et IV, 9, magnifice expositam, in hac quoque Epistola haud dissimulare, facile intelligimus. — Ceterum hæc libri primi Epistolarum ultima, ut supra ultima Oda libri secundi et libri tertii haberi debet pro Epilogo. — Similiter Bolæus Epist. suam X ad versus suos scripsit, in qua nonnullas Horatii sententias imitatus est; et cujus amore ita singulari ardebat, ut hanc vocare soleret, *ses inclinations*. Ed.

Digitized by Google

QUINTI
HORATII FLACCI
EPISTOLARUM
LIBER SECUNDUS.

EPISTOLA I.

AD AUGUSTUM.

Quodcumque fuerit antiquorum poetarum pretium, suum recentioribus quoque tribuendum esse.

QUUM tot sustineas et tanta negotia solus,
Res Italas armis tuteris, moribus ornes,
Legibus emendes; in publica commoda peccem,

1. *Quum tot sustineas*, etc. Vulgaris, sed elegans, inferioris ad superiorem scribentis excusatio : Si ausim te, Cæsar, longo sermone detinere et avocare a gravissimis negotiis, quibus tu unus tam armorum potentia Italiæ securitatem præstas, quam legibus salutaribus populi mores emendandos curas, profecto commoda, quæ tu paras populo, ego turbare et intercipere videar. — *solus*, antea enim penes plures fuerat rerum publicarum administratio.

2. *Moribus ornes, Legibus emendes*, pro : *moribus* tentabat Bentleius : *Mœnibus*; sed *res Italas ornare* mœnibus, vix fert latinitas. Supple ad *ornes* et *emendes* : populum Romanum, et hæc per ὕστερον πρότερον dicta esse puta : leges vitia emendant et emendatos moribus ornant. Egregie huic loco respondent, quæ Horatius de emendatis ab Augusto moribus canit supra Od. IV, 5, 21, 22 : « Nullis polluitur casta domus stupris; *Mos* et *lex* maculosum edomuit nefas. » Respexisse videtur Horatius legem *Juliam de adulteriis* et legem *Papiam Poppœam de maritandis ordinibus*. Scripta est hæc Epistola, postquam Augustus, ut refert Sueton. Octav. 27 : « morum legumque regimen per-

Digitized by Google

Si longo sermone morer tua tempora, Cæsar.
Romulus, et Liber pater, et cum Castore Pollux,
Post ingentia facta deorum in templa recepti,
Dum terras hominumque colunt genus, aspera bella
Componunt, agros assignant, oppida condunt;
Ploravere suis non respondere favorem
Speratum meritis: diram qui contudit hydram,
Notaque fatali portenta labore subegit,

petuum receperat.» —*longo sermone*, et tamen hæc Epistola, si Epistolam ad Pisones excoperis, omnium Horatii Epistolarum est longissima. Scilicet non raro rei alicujus, quam paucis expedire volumus, gravitas vel jucunditas nos disertos et verbosos reddit. — *tua*, negotiis tuis destinata.

5. *Romulus*, etc. Romulus, Bacchus, Pollux cum Castore et Hercules, postquam rebus gestis immortalem gloriam sibi comparaverunt, inter deos relati, dum bene merent, dum terrarum hominumque cultum curant, dum agros assignant colonis, dum aspera bella componunt, dum oppida condunt, meritis suis speratum favorem non contingere (*ploravere*) doluerunt. — *heroas*, Horatius supra quoque Od. III, 3, commemoratos, h. l. heroas, ut divinitatem nactos, conjunctim celebrat, sed ibi addit *Augustus*. (v. 10-14: « Quos inter Augustus recumbens, Purpureo bibit ore nectar.») Horatius, si diligentius animum advertis, idem facit hoc loco, sed tecte; nam verba: *agros, assignant*, scil. colonis deducendis, ad solum Augustum referri possunt. Huc accedit, quod in *Romuli* nomine *Augusti* simul nomen quodammodo latere potest, quia fuere, qui Augusto Romuli nomen tribuendum esse censerent. Sueton, Octav. 7: « Postquam C. Cæsaris et deinde Augusti nomen assumsit; alterum testamento majoris avunculi: alterum Munatii Planci sententia: quum, quibusdam consentientibus *Romulum* appellari oportere, quasi et ipsum conditorem urbis, prævaluisset, ut Augustus potius vocaretur, etc.» — *Bacchus*, ut mox supra vers. 5, vocatur *pater*, ad verecundiam, quæ ei debetur, designandam. — *Deorum in templa*, in cælum; Terent. Eunuch. III, 5, 42: « At quem deum! qui *templa cæli summa* sonitu concutit.» Supr. l. l. v. 19, cælum vocat « arces igneas.» — *colunt*, cultius reddunt. — *oppida condunt*, Augustus quoque, ut narrat Sueton. Aug. 28: « urbem... excoluit adeo, ut jure sit gloriatus, marmoream se relinquere, quam lateritiam accepisset.» — *favorem*, gloriam, famam. Ed.

10. *Diram qui contudit hydram*, Hercules, qui clava sua hydræ capita Lernææ comminuit et decussit; cf. supr. Od. IV, 4, 61. — *portenta; portenta* et *monstra* dicuntur, quæ contra leges naturæ apparent. Eo pertinent horrendæ illæ hominum et bestiarum

Digitized by Google

Comperit invidiam supremo fine domari;
Urit enim fulgore suo, qui prægravat artes
Infra se positas: exstinctus amabitur idem.
Præsenti tibi maturos largimur honores,
Jurandasque tuum per nomen ponimus aras,
Nil oriturum alias, nil ortum tale fatentes.
Sed tuus hic populus, sapiens et justus in uno,
Te nostris ducibus, te Graiis anteferendo,

formæ, contra quas pugnare debebat Hercules. — *nota*, nihil enim Herculis laboribus notius. Duodecim labores Herculis totidem hexametris complexus est Ausonius, Idyll. XIX. — *fatali*, fatali necessitate Herculi imposita ab Eurystheo, quia ille, rem ita moderante Junone, prior Hercule natus fuerat. — *Componunt, invid. s. fin. dom.* invidiam (*supremo fine*) post mortem domum compesci suo ipsius exemplo edoctus est. — *Urit enim fulgore suo*, etc. Quamvis in hoc loco expediendo multum laboraverint interpretes, eos sibi difficultates fecisse crediderim, nec ita simpliciter intelligere dubitabo: qui prægravat, id est, superat et deprimit artes infra se positas, homines inferiores: qui ceteris in aliqua arte præstantior est, illos suo splendore urit, id est, nominis sui fama onerat et cruciat, accendit ad invidiam. Ed. — *exstinctus*, mortuus.

15. *Præsenti tibi maturos*, etc. At tibi, Auguste, multo major, quam heroibus illis, Romulo, Baccho, etc. contigit felicitas; illi enim post mortem demum inserti sunt deorum ordinibus, tu vero adhuc vivens et præsens deus a populo coleris. Supr. Od. III, 5, 2: « *præsens* Divus habebitur Augustus. » — *maturos*, tempestivos in vita, non seros post mortem. — *Jurandasque tuum per nomen ponimus aras*, qui jurabant, manum aræ admovere (ut Hannibal apud Corn. Nep. c. 2) et deum, cui ara sacra erat, jurisjurandi testem et vindicem appellare solebant; eodem igitur redit, utrum cum Bentleio legas: *tuum per numen*, an *tuum per nomen*; de permutatione duarum vocum, *numen* et *nomen*, vid. Gronov. ad Liv. VII, 30, § 20. — *nil tale*, etc. personam habentes nullum alium qualem tu es oriturum unquam, nec ortum antea in terris. Jam. supr. Od. IV, 1, 37: « Quo nihil majus meliusve terris Fata donavere, bonique Divi, Nec dabunt, quamvis redeant in aurum Tempora priscum. » Ed.

18. *Sed tuus hic populus*, etc. Sensus et nexus: (*Sed*) Idem tamen hic populus tuus, qui in re una, dum te adhuc viventem tam nostris, quam Graiis ducibus anteponit, sapiens et justus est, nunquam simili ratione modoque ceteros æstimat, sed eos, donec vivunt, fastidit et odit. — Sic non opus est, ut in v. 18, pro: *hic* cum Bentleio legatur: *hoc*. — *Te* in v. 19, tam ad *ducibus*, quam ad *uno*

Digitized by Google

Cetera nequaquam simili ratione modoque
Æstimat, et, nisi quæ terris semota suisque
Temporibus defuncta videt, fastidit et odit:
Sic fautor veterum, ut tabulas peccare vetantes,
Quas bis quinque viri sanxerunt, fœdera regum
Vel Gabiis, vel cum rigidis æquata Sabinis,
Pontificum libros, annosa volumina vatum,
Dictitet Albano Musas in monte locutas.
Si, quia Græcorum sunt antiquissima quæque

referendum mihi non videtur. — *Cetera*, pro: ceteros, ut passim *omnia*, pro: omnes. — *nisi quæ*, etc. eleganter pro: nisi eos post fata terra tegit. — Ceterum sponte hic succurrit notus ille Horatii locus, Od. III, 24, 30, etc. seqq: « Clarus postgenitis, quatenus, heu nefas, Virtutem incolumem odimus, Sublatam ex oculis quærimus invidi. »

23. *Sic fautor veterum*, populus, qui vetusta tanti æstimat. — *ut tabulas peccare vetantes*, duodecim legum tabulas. — *Quas bis quinque viri sanxerunt*, quas Decemviri conscripserunt, et probatas a populo sanctas esse jusserunt; vid. Liv. III, 34, et Dionys. Hal. X, 57, 58; t. IV, p. 2142-2149, edit. *Reiske*. — *fœdera regum*, a Romulo quidem cum Sabinis, Liv. I, 13, a Tarquinio Superbo cum Gabiis facta, Liv. I, 54. — *cum*, tam ad *Gabiis*, quam ad *Sabinis* referendum. — *Sabini* vocantur *rigidi*, non tantum, quia severa disciplina apud eos vigebat (cf. supr. Od. III, 6, 37, seqq. et Epod. II, 41), sed etiam, quia fortes et bellicosi erant. Sic apud Ovidium *rigidus Mars*, *rigidus leo*, *rigidæ feræ*. — *æquata*, juncta, vel inita, latis ab utraque parte æquis conditionibus. — *Pontificum libros*, apposite in hanc rem faciunt verba Ciceronis de Orat. II, 12: « Ab initio rerum Romanarum usque ad P. Mucium res omnes singulorum annorum mandabat literis, referebatque in album, et proponebat tabulam domi, potestas ut esset populo cognoscendi, hique etiam nunc Annales Maximi nominantur. » — *annos. vol. vatum*, carmina Sibyllina et alia antiquitus a vatibus edita. — *Dictitet Albano*, etc. in monte Albano ex ipso Musarum ore fluxisse dictitet; per *Musas* Horatius respexisse videtur Nympham Egeriam, quacum Numa Pompilius, ut miraculosis commentis fidem faceret, sibi in monte Albano nocturnos congressus esse simulabat; vid. Liv. I, 19. Dixit Horatius *Musas*, quia Egeria in Musarum choro et consortio fuisse dicitur; vid. Dionys. Hal. II, 60, tom. I, p. 364, edit. *Reiske*.

28. *Si, quia Græcorum*, etc. Sensus hujus loci paulo obscurioris est fere hic: Quod si, quia antiquissima quæque Græcorum scripta jure meritoque optima judicantur, Romanorum

Digitized by Google

Scripta vel optima, Romani pensantur eadem
Scriptores trutina; non est, quod multa loquamur:
Nil intra est oleam, nil extra est in nuce duri.
Venimus ad summum fortunæ; pingimus, atque
Psallimus, et luctamur Achivis doctius unctis.
Si meliora dies, ut vina, poemata reddit,
Scire velim, pretium chartis quotus arroget annus:
Scriptor abhinc annos centum qui decidit, inter
Perfectos veteresque referri debet? an inter
Viles atque novos? excludat jurgia finis.
— Est vetus atque probus, centum qui perficit annos.

quoque antiquissimi scriptores, ad eamdem trutinam examinati et ponderati, habentur optimi, (*non est, quod multa loquamur*) nihil profecto dicere attinet; hoc enim æque absurdum et ridiculum est, ac si quis, quod in proverbio dicitur, contendere velit, nil duri esse intra oleam (in oleæ nucleo); nil duri extra in nuce (in nucis putamine); quod qui contendat, sensu communi caret. — *Venimus ad summum fortunæ*, etc. hæc etiam a præced. continuantur. Scilicet qui Romanos scriptores ex antiquitate æstimabunt, ii etiam, tam absurde judicantes, contendere poterunt nihil in olea duri esse, etc. dicere quoque poterunt nos ad summum fortunæ venisse, id est, omnino et in omnibus artibus Græcos superasse; nos pingere, psallere, luctari melius Achivis. Tres has artes, picturam, musicen et palæstram posuit Horatius, in quibus enim Romanos omnino Græcis cessisse, quis neget? Ed. — *unctis*, luctaturi enim in palæstra oleo ungi solebant. Ed.

34. *Si meliora dies*, etc. Si diuturnitas, vetustas efficit poemata meliora, ut vina, dic, quæso, quot annis opus sit, ut scripta pretium habeant. Ed. — — *chartis*, carminibus, quæ scripta sunt in tabulis chartaceis; in hac Epist. v. 161, *Græcæ chartæ*, carmina Græca; apud Catullum, LXVIII, 46: « *charta anus* aliquid loqui, » h. e. carmina, quæ longam ætatem tulerunt, aliquid narrare dicuntur. — *arroget*, acquirat, vindicet. — *Scriptor abhinc annos*, num satis sunt centum anni, ut scriptor perfectus videatur? — *decidit*, mortuus est; morientes, ut flaccida folia arborum, *decidere* dicuntur, vel simpliciter ad *decidit* supple: ad Orcum. Supr. Od. IV, 7, 14: « Nos, ubi decidimus, Quo pius Æneas, etc. » — *excludat jurgia finis*, definitus sive præstitutus annorum, quibus vetustas efficitur, numerus tollat et removeat omnem de hac re litem atque controversiam.

39. *Est vetus*, etc. Responsio est alicujus critici quem interrogare fingitur Horatius. Ed. — *probus*, idem,

Digitized by Google

—Quid? qui deperiit minor uno mense vel anno,
Inter quos referendus erit? veteresne poetas?
An quos et præsens et postera respuet ætas?
—Iste quidem veteres inter ponetur honeste,
Qui vel mense brevi vel toto est junior anno.
—Utor permisso, caudæque pilos ut equinæ,
Paulatim vello, et demo unum, demo etiam unum,
Dum cadat elusus ratione ruentis acervi,
Qui redit ad fastos, et virtutem æstimat annis,
Miraturque nihil, nisi quod Libitina sacravit.
Ennius, et sapiens et fortis, et alter Homerus,

qui modo v. 37, dictus est *perfectus*. — *Quid?* recipit hic Horatius. — *qui deperiit*, etc. ille cui defuerit ad hunc annorum numerum mensis unus, aut etiam annus. Ed. — *minor*, sc. natu; junior. — *An quos*, etc. an ideo inter eos pronendus erit quos et præsens, et postera ætas respuet. Ed. Iterum loquitur criticus. — *honeste*, non immerito, recte.

45. *Utor permisso*, etc. Hoc est Horatii: utor venia, ulterius quærendi, et, sicut unum pilum post alterum ex cauda equina, ita de numero annorum, quibus vetustas scriptorum constituatur, paulatim vello et demo unum numerum post alterum, (*dum*) donec is, (*Qui redit ad fastos*) qui scriptorum præstantiam numero dierum et annorum in fastis signatorum æstimat, et nil nisi scripta jam diu mortuorum miratur, (*cadat*) victus concidat ratione corruentis acervi elusus, h. e. donec ei, ratione numeri sensim sensimque minuti decepto, aqua hæreat. — Habes hic egregium exemplum *Soritæ*, quem Cicero, de Divin. II, 4, latine appellat *argumentationem acervalem*, a græca voce σωρός, *acervus*. Quemadmodum scilicet acervus, v. c. tritici, e quo perpetuo unum granum post alterum tollitur, tandem corruit, ita magnus numerus, e quo unum post alterum demis, ita minuitur, ut, ubi ille magnus esse desinat, nescias. — *cadat*, cum acervo concidat, h. e. se ad incitas redactum esse intelligat. — *nisi quod Libitina sacravit*, nisi quod Libitina, h. e. mors sacratum et inviolabile fecit, h. e. mortuorum scripta; de *Libitina*, vid. supr. ad Od. III, 30, 7, et ad Sat. II, 6, 19. Exemplum affert veterum poetarum celebratissimorum, ex quorum tamen fama nonnihil detrahendum est.—*Ennius, et sapiens*, etc. *Ennius*, quem critici fortem, sapientem et alterum Homerum fuisse contendunt, tam negligenter tamen et dure scribit, ut parum sollicitus esse videatur de suis somniis, in quibus, e doctrina Pythagoræ, sibi visus erat videre animam Homeri suum in corpus transmi-

Digitized by Google

Ut critici dicunt, leviter curare videtur,
Quo promissa cadant et somnia Pythagorea.
Nævius in manibus non est, et mentibus hæret
Pæne recens: adeo sanctum est vetus omne poema!
Ambigitur quoties uter utro sit prior, aufert 55.
Pacuvius docti famam senis, Accius alti:

grare, et sibi promittere ipsum fore alterum Homerum priore non deteriorem: oblitus videtur quid promiserit ac somniaverit, adeo alter Homerus non est, adeo illi cedit. Somnium hoc in primo annalium libro describit Ennius: « In somnis mihi visus Homerus adesse poeta. » Ed. — *sapiens*, doctus, eruditus; eodem sensu poetæ apud Græcos dicuntur σοφοί. — *fortis*, altiore spiritu exsurgens. — *critici*, rerum ad doctrinam spectantium æstimatores, grammatici.

53. *Nævius in manibus non est*, Nævius quidem non manibus teritur, sed ejus, ut pæne recentis poetæ, carmina dictantur et a pueris ediscuntur; cf. supr. ad Epist. I, 20, 17. — *mentibus hærere* dicuntur, quæ ediscuntur; carmina igitur, quæ ediscuntur, opponuntur iis, *quæ in manibus sunt*, h. e. leguntur; hinc pro: *et mentibus* cum Dacerio legendum videtur *at mentibus*. Ceterum Nævius non tantum comœdias et tragœdias, sed etiam carmen ēpicum de Bello Punico Primo scripsit.

55. Jam Horatius, sententias, quæ a vulgo de veterum poetarum pretio feruntur, referens, eos, qui in veterum, tanquam perfectissimorum scriptorum et recentioribus lōnge præferendorum, laude sint nimii, errare; illos vero, qui ea, quæ vitio vertenda sint veteribus, agnoscant, rectius secum de iis judicare ait. — *Ambigitur quoties*, etc. Quoties quæritur, num Pacuvius Accio, an hic illi antaponendus sit, Pacuvio laus docti senis, Accio poetæ sublimioris spiritus tribuitur. — *aufert*, obtinet. — *M. Pacuvius*, Brundisinus, Ennii ex sorore nepos, Lælii sapientis amicus et hospes, poeta Latinus fuit tragicus. Mortuus est octoginta annos natus; hinc *senex*, et quidem *doctus*, quia poetæ, qui non tantum ingenio valent, sed etiam larga bonarum literarum copia instructi sunt, dicuntur *docti* (σοφοί, *sapientes* v. 50). Cicero ad Q. Fr. de Orat. I, 58, de *Pacuvio*: « Nēc quisquam est eorum, qui, si jam ediscendum sit sibi aliquid, non Teucrum Pacuvii malit, quam Manlianas venalium vendendorum leges ediscere. » — *Accius*, (*Actius*, *Attius*) Latinus poeta tragicus, Pacuvii æmulus. Cic. Brut. 64: « Accius... ait, se et Pacuvium docuisse fabulam, quum ille octoginta, ipse triginta annos natus esset. » — *Accii* et ceterorum fragmenta a Stephanis, Detrione et Scriverio collecta sunt. *Accius* jam dicitur laudem accepisse *alti*, h. e. sublimioris poetæ; vix enim *alti* ad *senis* quoque referri potest, quum Ac-

Digitized by Google

Dicitur Afranî toga convenisse Menandro;
Plautus ad exemplar Siculi properare Epicharmi;
Vincere Cæcilius gravitate, Terentius arte.
Hos ediscit, et hos arcto stipata theatro,
Spectat Roma potens; habet hos numeratque poetas
Ad nostrum tempus Livî scriptoris ab ævo.
Interdum vulgus rectum videt; est ubi peccat.
Si veteres ita miratur laudatque poetas,
Ut nihil anteferat, nihil illis comparet, errat:
Si quædam nimis antique, si pleraque dure
Dicere credit eos, ignave multa fatetur,

cius non fuerit *senex*, ut ex laudato loco Ciceronis apparet; nec facile assentiaris iis, qui Horatium per *doctum senem* Euripidem et per *altum senem* Sophoclem designare voluisse existimant; immo ad *docti* quoque supplendum videtur: *poetæ*. — *altus* est: sublimis; sic *oratio alta* (sublimis) apud Ciceronem in Orat. cap. 57, *orationi humili* opponitur; *spiritus altior* apud Ovid. Trist. IV, 1, 43.

57. *Dicitur Afr.* etc. Sensus: Afranius ad exemplum Menandri (qui, ut Græcus, comœdias scripsit *palliatas*) composuisse dicitur comœdias *togatas*, h. e. ab actoribus, non pallio, ut apud Græcos, sed toga indutis, actas. — *Afranium*, qui ferme vixit U. C. 660, Quintilianus quoque X, 1, 100, ad fabularum *togatarum* scriptores principes refert. De *Menandro* vid. ad Sat. II, 3, 11.

58. *Plautus ad exemplar*, etc. quum Plautus in scribendis Comœdiis Epicharmi virtutes assequi studuisse picatur, Epicharmum (discipulum Pythagoræ; Diog. Laert. VIII, 78) egregium fuisse poetam comicum sponte sequitur. — *Siculi*, nati quidem in insula Coo, sed in Sicilia educati. — *properare*, diligenter scribere, vel, si malis, semper ad eventum festinare. Ed. — *Cæcilii*, Insubris Galli, poetæ comici, mentio quoque fit infr. in Epist. ad Pis. v. 54. — *Vincere*, valere, pretium habere, æmulos suos superare. — *gravitate*, sententiarum pondere, movendis affectibus. Ed. — *arte*, depingendis moribus et personarum animis. Ed.

60. *Arcto stipata theatro, Spectat Roma potens;* hinc supr. Epist. I, 19, 41: « spissa sedilia. » — *Livî... Livius Andronicus*, poeta comicus, Livii Salinatoris, cujus filias eruditerat, libertus, U. C. 514. M. Claudio (Caci filio) et M. Sempronio Tuditano Coss. primus Romæ fabulam dedisse dicitur; vid. Liv. VI, 1, et Gell. XVII, 21.

63. *Rectum videt*, recte judicat. — *est ubi peccat*, interdum errat. — *antique*, obsolete. — *credit*, agnoscit. — *ignave multa fatetur*, si fatetur,

Digitized by Google

Et sapit, et mecum facit, et Jove judicat æquo.
Non equidem insector, delendave carmina Livî
Esse reor, memini quæ plagosum mihi parvo
Orbilium dictare, sed emendata videri,
Pulchraque, et exactis minimum distantia, miror.
Inter quæ verbum emicuit si forte decorum,
Si versus paulo concinnior unus et alter,
Injuste totum ducit venditque poema.
Indignor quidquam reprehendi, non quia crasse

multa veteres dicere *ignave*, frigide, languide, inepte. — *sapit*, recte judicat. — *mecum facit*, item sentit ac ego. En. — *Jove æquo*, favente, secundo, ut vers. 94, *fortuna æqua*.

69. *Non equidem*, etc. neque vero hæc ego dico, quod insectari et delere velim carmina Livii Andronici. En. — *Orbilium*, , de *Orbilio*, qui a tenera inde ætate non leviter bonarum literarum studiis imbutus, et ex milite factus est ludimagister, adi Sueton. de Illustr. Grammaticis cap. 9. Quum esset Orbilius, ut scribit Sueton. l. l. homo *acerbæ naturæ*, et proinde pueros erudiendos sibi traditos acerbe tractaret, Horatius, jam plagarum ab eo acceptarum memoriam refricans, eum *plagosum* vocat.

72. *Exactis minimum distantia*, proxime accedentia ad ea, quæ ad normam recti exacta sunt, ergo ad perfecta.

73. *Inter quæ*, etc. In hoc loco tam explicando, quam emendando frustra se torserunt plures interpretes, Bentleius, Gesnerus, etc. ideo, puto, quia *ducere* et *vendere* non ea, qua debebant, significatione acceperunt. Sensus: si forte in carminibus, quæ scripsit Livius, elegans verbum, vel unus et alter versus concinnior enituit, vulgus *injuste* (præter rem) totum poema pulchrum et concinnum esse censet, et hoc nomine laudat. — *Inter quæ* refer ad *carmina Livî* in v. 69. — *emicuit*, pro vulgari: placuit; *emicare* dicuntur res, quæ præ ceteris pulchritudinis suæ splendore oculos ad se advertunt, placentque. — *ducit*, æstimat, judicat, censet; sic sæpe *ducere*, ut docent Lexica; infr. v. 83: « aliquid rectum ducere, » et supr. Sat. I, 6, 62: « Magnum hoc ego duco; » supplendum autem est omnino ad *ducit*: *vulgus*, ut supr. v. 67, ad *cedit*, et v. 68, ad *sapit*, *facit*, *judicat*. — *vendit*, laudat, commendat; sic passim *vendere* et *venditare*; est enim translatum a mercatoribus, qui laudant et commendant merces, quas vendere cupiunt. Cic. ad Att. XIII, 12: « Ligarianam (orationem) præclare vendidisti, » h. e. ut bene explicat Ernestius: « laudando, ut legeretur ab hominibus, fecisti. »

76. *Indignor*, etc. indigne fero, indignum puto, quod carmina non

Digitized by Google

Compositum illepideve putetur, sed quia nuper;
Nec veniam antiquis, sed honorem et præmia posci.
Recte, necne, crocum floresque perambulet Attæ
Fabula, si dubitem, clament periisse pudorem.
Cuncti pæne patres; ea quum reprehendere coner,
Quæ gravis Æsopus, quæ doctus Roscius egit:
Vel, quia nil rectum, nisi quod placuit sibi, ducunt;

ideo, quod crasse et illepide, sed quia recentiore ætate composita sunt, reprehenduntur, et quia antiquis poetis, quasi illi nihil omnino peccaverint, non venia, sed honor et præmia poscuntur. — *crasse*, ut supr. Sat. II, 2, 3: « crassa Minerva, » et alibi « pingui Minerva, » h. e. ineleganter, indocte, inscite.

79. *Recte, necne*, etc. Si ego dubitem, utrum recte, an minus recte Attæ fabula in scenam croco et floribus stratam producatur, clament, etc.— *crocum flor. peramb. A. Fabula*, non fabula, sed qui fabulam agunt, histriones, perambulent pulpita, croco odorifero perfusa et floribus consperså. Commode in hanc rem Lambinus attulit locum Lucretii II, 416: « Et quum scena croco Cilici perfusa recens est. » Ovid. Art. Am. v. 104: « Tum non marmoreo pendebant vela theatro, Nec fuerant liquido pulpita rubra croco. » Fabulas, quas scripsit poeta Latinus *Atta*, magnum apud Romanos plausum tulisse, ex hoc loco colligi potest. — *periisse pudorem*, me sine pudore esse. Pers. Sat. V, 103: « ... exclamet Melicerta perisse Frontem de rebus. » Ed. — *patres*, seniores; *patribus* vel *senibus* in v. 84, opponuntur in v. 84, *minores*. — *Æsopus*, nobilis tragœdiarum actor, vocatur *gravis* ob graviam personarum partes in tragœdiis suscipiendas et sustinendas; Cicero hujus Æsopi, quem ut familiarem suum laudat, (Offic. I, 31) passim mentionem facit; vid. Ernest. in Clav. Cic. Hist. s. v. Æsopus. De Æsopi filio, homine flagitioso et prodigo, cf. supr. ad Sat. II, 3, 39. — *Roscius*, loca, in quibus Cicero Q. Roscium, quem in peculiari oratione contra criminationem aliquam defendit, ut summum rei scenicæ artificem sive histrionem perfectissimum ad cælum usque extollit, vide apud Lambinum. Unum tantum afferam ex Orat. pro Arch. Poet. cap. 8: « Quis nostrum animo tam agresti et duro fuit, ut Roscii morte nuper non commoveretur? Qui quum esset senex mortuus, tamen propter *excellentem artem ac venustatem*, quam ostendebat toto corporis habitu et gestibus, videbatur omnino mori non debuisse. » Roscium egregium plane histrionem fuisse, inde quoque patet, quod, si quis artificio aliquo excelleret, proverbiali fere locutione *in suo genere* Roscius dicebatur; Cic. de Orat. I, cap. 28; hinc ab Horatio h. l. *doctus* vocatur.

83. *Ducunt*, existimant. — *Vel, quia*, etc. Vel quia turpe putant, si senes ad juniorum sententiam sese

Digitized by Google

Vel, quia turpe putant parere minoribus, et quæ
Imberbi didicere, senes perdenda fateri.
Jam Saliare Numæ carmen qui laudat, et illud,
Quod mecum ignorat, solus vult scire videri:
Ingeniis non ille favet plauditque sepultis,
Nostra sed impugnat, nos nostraque lividus odit.
Quod si tam Graiis novitas invisa fuisset,
Quam nobis, quid nunc esset vetus? aut quid haberet,
Quod legeret tereretque viritim publicus usus?
Ut primum positis nugari Græcia bellis
Cœpit, et in vitium fortuna labier æqua,
Nunc athletarum studiis, nunc arsit equorum;
Marmoris aut eboris fabros, aut æris amavit;
Suspendit picta vultum mentemque tabella;

accommodent, et ea, quæ pueri olim a ludimagistro ex Attæ comœdiis dictata didicerint, (*perdenda*) tanquam vana et falsa e memoria delenda esse, fateantur.

86. *Jam Saliare Numæ carmen*, etc. carmina, quæ Numa Pompilius Martis sacerdotes, *Salios* (a *saliendo*) cum tripudiis solemnique saltatione per urbem euntes canere jubebat, (vid. Liv. I, 20) tam obscuris, reconditis et perplexis formulis fuerunt concepta, ut a nemine facile possent intelligi; vid. Quintil. I, 6, 40. — *scire*, intelligere. — *non ille favet*, etc. quomodo enim aliquis favere potest Numæ carmini, quod non intelligit? non favet igitur vere et reapse, sed, cæco veterum studio et amore abreptus, recentiores contemnit, nec nisi recentiorum odio, antiqua illa laudat. Ed.

91. *Quid nunc esset vetus?* nam si tum, quum scriberent Græci, propter novitatem contenti fuissent, non legere, non manibus terere et imitari nunc possemus veteres Græcos.

93. *Nugari*, ludicra tractare, rebus ad animi oblectationem spectantibus vacare; ut supr. Sat. II, 1, 73, et Epist. I, 18, 60, pro: *nugari* supr. Sat. II, 2, 11, apposite ad hunc locum dixit: *græcari*. — *positis armis*, finito bello Persico; ab eo enim tempore magis magisque efflorescere cœperunt bonarum literarum studia. — *Et in vitium fortuna labier æqua*, et, quum nunc meliore fortuna uteretur, *labier in vitium*, h. e. molliore vita corrumpi, dum ab antiqua morum disciplina recederet Græcia. — *æqua*, favens, secunda, ut supr. v. 68: « Jupiter æquus. » — *equorum*, ludorum equestrium.

97. *Suspendit picta*, etc. eleganter, pro vulgari: Græci nunc toti

Digitized by Google

Nunc tibicinibus, nunc est gavisa tragœdis;
Sub nutrice puella velut si luderet infans,
Quod cupide petiit, mature plena reliquit.
Quid placet, aut odio est, quod non mutabile credas?
Hoc paces habuere bonæ, ventique secundi.
Romæ dulce diu fuit et solenne reclusa
Mane domo vigilare, clienti promere jura,
Cautos nominibus certis expendere nummos,
Majores audire, minori dicere, per quæ

fuerunt in pictarum tabularum admiratione. Qui rem aliquam cum admiratione et animi intentione contemplantur, eleganter dicuntur: *vultum et mentem aliqua re suspendere*, h. e. oculos et animum in aliqua re defigere. — *Nunc tibicinibus*, tibiæ cantu in comœdiis histrionum orationi adspirantibus; infr. in Epist. ad Pis. v. 215: « Sic priscæ motumque et luxuriem addidit arti Tibicen, traxitque vagus per pulpita vestem. » cf. Phædr. V, 7, 4, 5.

99. *Sub nutrice puella*, etc. Græcia, post bella modo hoc, modo aliud rei ludicræ studium amplexa, lepide comparatur cum infante puella quæ sub nutrice ludit, quam rei modo petitæ mature capit satietas; *nutrix* dicitur non tantum ea, quæ infantem lactat, sed etiam quævis alia, sub cujus custodia infantes educantur. Si quis tamen h. l. *nutricem* sensu proprio accipere malit, tum *ludere* erit: ludendo lac sugere. — *mature plena*, ἀψίκορος. — *reliquit*, ἀορίστως, relinquere solet, infr. in Epist. ad Pis. v. 165, de imberbo juvene: « amata *relinquere* pernix. » — *Hoc*, hanc mutabilitatem et inconstantiam; vel has artes, hæc studia. Ed. — *paces bonæ*, bene compositæ, salutares.

103. *Romæ dulce diu*, etc. Nexus et sensus: Hæc studiorum mutabilitas apud Romanos quoque locum habuit. Olim Romani primo mane lectum relinquere, et reseratis domi foribus clientes, quibus consulerent, et jura exponerent, admittere, nummos justa cautione in tuto positos debitori (*expendere*) adnumerare, et juniores senioribus, quomodo res familiaris crescere et perniciosa libido domari possit, docentibus faciles aures præbere et obedientiam præstare solebant; nunc levis populus mutavit illam mentem; nunc unum scribendi studium fervet; nunc seniores æque ac juniores corollis redimiti convivia sectantur et dictant carmina. — *dulce fuit*, etc. ubi enim homines ita, ut h. l. describuntur, agunt, ibi suaviter et jucunde vivitur. *Mane;* hinc supr. Sat. I, 1, 10: « Sub galli cantum consultor ubi ostia pulsat. » — *Cautos nomin. certis expend. nummos. Nummi certis nominibus cauti* sunt nummi, quibus certa syngrapha debitoris et testium nominibus consignata a fraude cautum est. Respexit autem

Digitized by Google

Crescere res posset, minui damnosa libido.
Mutavit mentem populus levis, et calet uno
Scribendi studio: puerique patresque severi
Fronde comas vincti cœnant, et carmina dictant.
Ipse ego, qui nullos me affirmo scribere versus,
Invenior Parthis mendacior; et prius orto
Sole, vigil calamum, et chartas, et scrinia posco.
Navem agere ignarus navis timet; abrotonum ægro
Non audet, nisi qui didicit, dare: quod medicorum est,
Promittunt medici; tractant fabrilia fabri:
Scribimus indocti doctique poemata passim.

Horatius ætatis suæ homines avaros, qui non modo honesto et legitimo, ut olim, sed inhonesto et illegitimo enormibus usuris pecuniam fœnori dabant; de locutione *æs alienum debere certis nominibus*, plura exempla attulit Bentl. — *damnosa libido*, ut supr. Epist. I, 18, 21 : « damnosa Venus. » Supr. Epist. I, 3, 38 : « Sperne voluptates, nocet emta dolore voluptas. »

108. *Calet uno Scribendi studio*, respexit indoctorum (cf. infr. v. 117), qui tum caput efferebant, poetarum gregem. — *patresque severi*, non quod fueruut patres illi *severi*, sed quod pro ætate sua *severi* esse debuerant. — *dictant*, pueris, scribis privatis, ut Epist. I, 10, 49. Pers. Sat. I, 30 : « Ecce inter pocula quærunt.... quid dia poemata narrent. Ed. »

112. *Parthis mendacior*, Parthi dicuntur *mendaces*, quia falsa specie, quam præ se ferebant, alios decipere solebant. Sic Parthi fugam simulantes, non raro hosti, dum vel equos repente circumagebant, vel tela aversis ab hoste equis multa arte retro jaciebant, admodum infesti fuere; vid. supr. Od. I, 19, 11. — *scrinia*. *Scrinium*, capsa vel arcula, in qua charta, litteræ, et res ad scribendum necessariæ servantur; hinc sup. Sat. I, 1, 120 : « scrinia compilare, » pro : carmina, quæ in scrinio servantur, compilare.

114. *Ignarus navis*, sc. agendæ, rei nauticæ imperitus. — *abrotonum* (rarius : *abrotonus*), est frutex suavissimi odoris, qui in meridionalibus Europæ terris sponte nascitur, et in nostris quoque hortis passim conspicitur, et, antequam Chamomillæ, quas vulgo dicunt, in usum venerunt, inter medicorum remedia non ultimum locum tenebat, quod jam discimus e Plinio, H. N. XXI, 10. Vinum *abrotono* mixtum, οἶνος ἀβροτονίτης, salutare credebatur. — *Promittunt*, profitentur : medici faciunt, quod ars medica eos facere docuit; Bentleii emendatio : « quod *melicorum* est, Promittunt *melici*, » paucis, puto, probabitur. — *Scribimus indocti*, etc. quod autem ad nos attinet, non docti solum, sed etiam indocti scribendis carminibus vacamus; sumus igitur iis, qui

Digitized by Google

Hic error tamen et levis hæc insania, quantas
Virtutes habeat, sic collige: vatis avarus
Non temere est animus; versus amat, hoc studet unum;
Detrimenta, fugas servorum, incendia ridet;
Non fraudem socio puerove incogitat ullam
Pupillo; vivit siliquis et pane secundo:
Militiæ quamquam piger et malus, utilis urbi;
Si das hoc, parvis quoque rebus magna juvari.
Os tenerum pueri balbumque poeta figurat;
Torquet ab obscœnis jam nunc sermonibus aurem;
Mox etiam pectus præceptis format amicis,

tractant tantum, quæ didicerunt, dissimiles. Observa autem poetam, dum ridet indoctos poetas, lepide se quoque eorum gregi immiscere.

118. *Hic error tamen*, attamen hæc fraus, qua indocti ad carmina scribenda se induci patiuntur, qui mala carmina scribunt; infra quoque Epist. ad Pis. 457: « Hic, dum sublimes versus ructatur et *errat*. » — — *quantas Virtutes habeat*, cum quantis commodis et opportunitatibus conjuncta sit. — *sic collige*, ex sequentibus argumentare. — *Non temere*, non facile, ut infr. in Epist. ad Pis. 460. — *hoc studet unum*, hoc unum facere vel tractare studet; ubi enim *studere* accusativo jungitur, ejusmodi aliquid supplendum est.

121. *Ridet*, tanquam res nihil ad se pertinentes; nam qui nihil habet, nihil perdere potest. — *incogitat*, (ἐπινοεῖ, ἐπιβουλεύει) excogitando struit, parat. — *vivit siliquis. Siliquæ*, cibus pauperum, nascuntur in arbore, quæ a fructu suo, ad formam cornu in superiore parte flexo, Græcis dicitur κεράτωνία, κεράνια, κερατιά, et ipse fructus κεράτιον. Frequens est illa arbor non solum in terris orientalibus, sed etiam in Græcia, Sicilia, et in Hispania; Columella VII, 9, de *Arbor.* vocat *siliquas Græcas* et porcis saginandis utiles. *Ceratonia Siliqua* apud Linnæum. Hic pro leguminibus ipsa involutra. Ed. — *pane secundo*, secundario, h. e. nigro, quem Augustus maxime appetebat. Ed. Facete Horatius designat poetam famelicum. — *malus*, (κακός) ignavus, timidus. — *Si das hoc*, etc. si concedis, parvis rebus magnas juvari posse, hoc quoque concedas necesse est, quod paradoxon videri posset, poetas reipublicæ magna commoda afferre.

126. *Os tenerum*, etc. Nunc Horatius varias docti poetæ virtutes breviter adumbrat. — *figurat*, fingit, dum facundum et disertum reddit os balbum. — *jam nunc*, jam in tenera ætate. — *obscœnis sermonibus*, at ipse Horatius passim carmina sua obscœnis sermonibus polluit. — *pectus format*, pro: *format* malim: *firmat*,

Digitized by Google

Asperitatis et invidiæ corrector, et iræ;
Recte facta refert; orientia tempora notis
Instruit exemplis; inopem solatur et ægrum.
Castis cum pueris ignara puella mariti
Disceret unde preces, vatem ni Musa dedisset?
Poscit opem chorus, et præsentia numina sentit;
Cælestes implorat aquas docta prece blandus,
Avertit morbos, metuenda pericula pellit;
Impetrat et pacem, et locupletem frugibus annum:
Carmine dî superi placantur, carmine Manes.

h. e. confirmat, munit; est hoc certe significantius. Tacitus Annal. XVI, 34, s. fin : « Cæterum in ea tempora natus es, quibus *firmare animum* expediet *constantibus exemplis.* » — *præceptis amicis,* benevolis, commodis, salutaribus.

129. *Asperitatis,* incultioris et asperioris vitæ. Ovid. ex Pont. I, 6, 7 : « Artibus ingenuis, quarum tibi maxima cura est, Pectora mollescunt asperitasque fugit. » — *orientia tempora notis Instruit exemplis,* ante oculos ponit nota exempla, quæ futuræ ætatis homines virtutem sequi et vitia fugere doceant. — *ægrum,* sc. curis; sic simpliciter *æger* apud Virg. Eclog. I, 13 : « En ipse capellas Protenus *æger* ago, » ubi Heynius et alii perperam *æger,* vel pro : *ægre* (h. e. vix) positum, vel de homine male affecti corporis dictum esse existimant. Sic apud Val. Flacc. III, 571, de Hercule : « Sed neque apud socios.... Unanimum videt *æger* Hylan. » vox *cura* additur apud Virg. Æn. I, 207, ubi Æneas *curis ingentibus æger* dicitur.

132. *Castis cum pueris ignara puella mariti,* eleganter pro vulgari : chorus castorum puerorum et castarum virginum. — *ignara puella mariti* (ἄγαμος), *expers* (ut supr. Od. III, 11, 11, loquitur) *nuptiarum,* adhuc integra. — *Disceret unde preces,* ad Apollinem et Dianam solemni die fundendas. Carm. Sæc. v. 3 : « date, quæ *precamur* Tempore sacro. » — *vatem ni Musa dedisset,* nisi chorus haberet vatem, qui chorum carmen dicendum doceret, (ut Horatius ipse in Carm. Saecul. s. fin.) « Doctus et Phœbi chorus et Dianæ Dicere laudes. »

134. *Præsentia,* ope et favore præsentiam suam quasi declarantia, propitia : *præsentes divos cognoscere,* apud Virg. Eclog. I, 42. — *Cælestes impl. aquas,* in Carm. Sæc. v. 31, precatur chorus : « Nutriant fetus et aquæ salubres, Et Jovis auræ. » — *docta,* quam docuit poeta χοροῦ διδάσκαλος. — *Avertit,* etc. Phœbus enim, cujus favorem chorus puerorum implorat, est deus averruncus, ἀποτρόπαιος. Carm. Sæc. v. 64 : « Qui salu-

Digitized by Google

Agricolæ prisci, fortes, parvoque beati,
Condita post frumenta, levantes tempore festo
Corpus et ipsum animum spe finis dura ferentem,
Cum sociis operum, pueris et conjuge fida,
Tellurem porco, Silvanum lacte piabant,
Floribus et vino Genium memorem brevis ævi.
Fescennina per hunc inventa licentia morem
Versibus alternis opprobria rustica fudit,
Libertasque recurrentes accepta per annos
Lusit amabiliter; donec jam sævus apertam
In rabiem verti cœpit jocus, et per honestas
Ire domos impune minax. Doluere cruento

tari levat arte fessos Corporis artus. » — *pacem*, otium, securitatem.

139. *Fortes*, robusti; Tibull. II, 2, 14: « *Fortis* arat valido rusticus arva bove. » — *levantes*, recreantes, reficientes, curantes. — *spe finis dura ferentem*, sperans, duros, quos nunc fert, labores finem habituros esse; infr. Epist. ad Pis. v. 406: « ludoque repertus, Et longorum operum finis. » — *Tellurem porco*, videatur, quem laudavit Gesnerus, Cato de Re Rust. cap. 34. — *Sylvanum lacte*, vide eundem Catonem cap. 83. — *Genium memorem brevis ævi*, ævi brevitatem in memoriam revocantem, de ævi brevitate monentem; sic supr. Od. I, 13, 12: « nota memor, » de nota, dente labris impressa, quæ, quid factum sit, in memoriam revocat; Od. III, 11, 51: « et nostri memorem (nos in memoriam revocantem), sepulchro scalpe querelam. »

145. *Fescennina licentia*, intellige carmina incomposita, in quibus licentius et petulantius spargebantur dicteria; nomen traxerunt a *Fescennia*, oppido Etruriæ, ubi carmina nuptialia inventa esse dicuntur; vid. *Serv.* ad Virg. Æn. VII, 695. Catullus LXI, 27, hanc licentiam vocat *Fescenninam locutionem*; cf. Liv. VII, 2. — *hunc morem*, scilicet eam rusticorum consuetudinem, qui post messem operum soluti, genio indulgebant. Ed. — *recurrentes per annos*, pro vulgari: quotannis. — *accepta*, grata et jucunda. — *sævus jocus*, acerba maledicendi libido. Sic, qui in quemvis opprobria fingit, supr. Epist. I, 18, 30: « sævus, » et Venus Od. I, 33, 12: « formas atque animos sub juga ahenea *Sævo* mittere cum joco » dicitur.

150. *Cruento dente*. *Dens* accommodate ad tropum dicitur *cruentus*, quia dentis morsus vulneratos cruentat; supra Epod. VI, 15: maledicentes « atro dente aliquem petere » dicuntur. — *intactis*, nondum dente

Digitized by Google

Dente lacessiti; fuit intactis quoque cura
Conditione super communi; quin etiam lex
Pœnaque lata, malo quæ nollet carmine quemquam
Describi: vertere modum, formidine fustis
Ad bene dicendum delectandumque redacti.
Græcia capta ferum victorem cepit, et artes
Intulit agresti Latio: sic horridus ille
Defluxit numerus Saturnius, et grave virus
Munditiæ pepulere: sed in longum tamen ævum
Manserunt, hodieque manent vestigia ruris:

cruento læsis, h. e. nondum petitis a maledicis. — *cura Conditione super communi*, sollicitudo de hoc omnibus ac singulis imminente periculo. Supr. Sat. II, 1, 23: « Quum sibi quisque cavet, quamquam est *intactus*. » — *quin etiam lex Pœnaque*, cf. supra Sat. II, 1, 82, seqq.

154. *Vertere mod.* etc. Poetæ modos, quibus adhuc carmina contumeliosa decantaverant, mutarunt, quum metu pœnæ ad scribenda carmina, quæ bene dicendo placerent et delectarent, redigerentur. — *formidine fustis*. Vetus Schol. « quia fustuarium supplicium constitutum erat in autorem carminum infamium. » Quum poetæ maledici comparari soleant cum canibus mordacibus (vid. supr. Epod. VI), quos fuste abigimus et repellimus, profecto huic comparationi bene respondet constituta in poetas maledicos pœna fustuaria.

156. *Ferum* (rudem) *victorem cepit*, sc. voluptate illa, quam parant bonæ litteræ. Ludit in duplice significatione verbi *capere*; primum (*Græcia capta*) pro: vincere, et deinde pro: voluptate rei, quæ animum capit et occupat, perfundi; Epist. ad Pis. v. 362: « Ut pictura, poesis erit; quæ, si propius stes, Te capiet (delectabit) magis. » — *agresti*, rudi, inculto.

158. *Defluxit*, fluere desiit. — *Saturnius*, de horridis et inconditis priscæ ætatis versibus, qui vocantur *Saturnii*, Festus in *Saturno* tradit hæc: « Versus antiquissimi, quibus Faunus fata canere hominibus videtur, Saturnii appellantur, quibus et a Nævio *bellum Punicum primum* conscriptum, et a multis aliis plura composita sunt. » — *et grave virus Munditiæ pepulere: munditias* pepulit sparcitiem; h. e. purum, elegans et concinnum scribendi genus fugavit incultum, rude et inconcinnum. — *virus grave* (gravis odoris), transfertur ad ea, quæ fœda et abominabilia sunt. — *Munditia* vel *mundities* apud Ciceronem quoque Orator. c. 23, transfertur ad orationis puritatem et elegantiam: « elegantia modo et *munditia* remanebit. » Et sic *munda verba* apud Ovid. Art. Am. III, 478. —

Digitized by Google

Serus enim Græcis admovit acumina chartis,
Et post Punica bella quietus quærere cœpit,
Quid Sophocles, et Thespis, et Æschylus utile ferrent.
Tentavit quoque rem, si digne vertere posset;
Et placuit sibi, natura sublimis et acer;
Nam spirat tragicum satis, et feliciter audet;
Sed turpem putat inscite metuitque lituram.
Creditur, ex medio quia res arcessit, habere
Sudoris minimum, sed habet Comœdia tanto
Plus oneris, quanto veniæ minus. Adspice Plautus
Quo pacto partes tutetur amantis ephebi!
Ut patris attenti, lenonis ut insidiosi!
Quantus sit Dossennus edacibus in parasitis!

ruris; styli rustici. Suetonius refert etiam sub Tiberio Atellanica exodia in scenam publicam prodiisse. Ed.

161. *Serus enim*, scilicet Latinus. — *admovit acumina*, ingenii facultates, legendo acuendas; elegantius et significantius pro vulgari: admovit manus, operam dedit, vacavit. — *Thespis*, cf. infr. Epist. ad Pis. 276. — *ferrent*, proferrent, suppeditarent.

164. *Rem*, græca carmina, tractata a Græcis poetis argumenta. — *Nam spirat tragicum satis*, nam sublimiore tragicorum spiritu satis agitatur.

167. *Sed turpem putat*, etc. Sed curam, quam in iis, quæ minus recte scripsit, emendandis atque delendis ponere debebat, ut rem turpem, stulte refugit; Cæcina in Epist. ad Ciceronem VI, 7: « mendum scripturæ litura tollitur. » Quod in tabula cerata inverso stylo complanatur et deletur, *litura* vocatur. Hinc Epist. ad Pis. 293: carmen, « quod non multa dies et multa litura coercuit, » h. e. quod non diu multumque elaboratum et per lituras a vitiis cohibitum et purgatum est, reprehenditur. Vulgo *in scriptis* pro, *inscite*: lector eligat. Ed.

168. *Creditur*, etc. Comœdiarum confectio minimum laboris habere putatur, quia materia, in medio quasi posita, e vita communi petitur; sed quanto minus veniæ datur comœdiarum scriptori, in re communi peccanti, tanto plus operæ huic rei impendendum est.

170. *Adspice, Plautus*, etc. Jam Horatius Plautum et ignobilem quemdam poetam Comicum, Dossennum, de productis in scenam personis, parum naturæ convenienter partes suas sustinentibus, notat. — *Quo pacto... Ut... ut*, quam male. — *attenti*, sc. ad rem, h. e. avari, ut Epist. I, 7, 91.

173. *Quantus sit Dossennus*, etc. videtur Dossennus risus captandi cau-

Digitized by Google

Quam non adstricto percurrat pulpita socco!
Gestit enim nummum in loculos demittere, post hoc
Securus, cadat, an recto stet fabula talo.
Quem tulit ad scenam ventoso Gloria curru,
Exanimat lentus spectator, sedulus inflat:
Sic leve, sic parvum est, animum quod laudis avarum
Subruit ac reficit: valeat res ludicra, si me
Palma negata macrum, donata reducit opimum.
Sæpe etiam audacem fugat hoc terretque poetam,
Quod numero plures, virtute et honore minores,

sa in exprimenda parasitorum edacitate nimius fuisse; hinc *quantus*, sc. poeta; ironice. Ed. — *Quam non adstricto*, etc. histriones, qui *socco non* arctius *adstricto* (h. e. laxo) *per pulpita* incedebant, externæ negligentiæ culpam sibi contrahebant; hac imagine igitur jam Dossenni in scriptis comœdiis incuria atque negligentia designatur. — *Gestit enim*, etc. Lucri et mercedis tantum causa scribit comœdias Dossennus, nihil plane curans, utrum illæ exsibilentur, an plausum ferant. Fabula, quæ displicet spectatoribus, *cadere*; quæ placet, *stare*, (cf. Sat. I, 10, 17) dicitur. — *recto talo*, firmo quasi pede.

177. *Ad scenam*, ad fabulas scribendas. — *Gloriæ currus*, qui Sat. I, 6, 23, *fulgens*, alio sensu h. l. dicitur *ventosus*, mutabilis, varius, inanis: sic Virg. Æn. XI, 390, *ventosæ* lingua; et ibid. 708, *ventosa* gloria. Ed. — *lentus* ἀναίσθητος, cujus animus non commovetur fabulæ actione. — *exanimat*, fabulæ auctori animum quasi eripit. — *sedulus*, qui animo attento commotoque spectat. — *inflat*, inspirat animum, eumque extollit. — *Sic leve*, etc. A re tam levi, tam parva, a spectatorum scilicet, fabulæ aut applaudentium, aut eam exsibilantium arbitrio pendet poetarum gloriæ cupidorum tam dolor, quam voluptas animi. — *animum Subruit*, subvertit, evertit, pervertit. — *Valeat res ludicra*, longe a me absit rei ludicræ, sive fabularum scribendarum studium, si poetæ vita tam inops et macra, quam opulenta, in populi aut non faventis aut faventis posita est arbitrio. — *reducit*, accommodate ad verba ab Olympionicis translata. — *palma negata... donata*. Supr. Od. IV, 2, 17: « Sive quos Elea domum reducit Palma cælestes. »

182. *Sæpe etiam*, etc. Sensus: sæpe audacioris adeo et sublimioris ingenii poetam a re ludicra repellit et deterret hoc, quod *plebs*, (egregie planè duobus versibus 184 et 185 describitur *plebs*) *si discordet eques*, si secus sentiant cultioris animi homines, inter mediam fabulæ (quæ plebi displicet) actionem, ad vim inferendam equitibus parata, aut ursi,

Digitized by Google

Indocti stolidique, et depugnare parati,
Si discordet eques, media inter carmina poscunt
Aut ursum, aut pugiles : his nam plebecula gaudet.
Verum equitis quoque jam migravit ab aure voluptas
Omnis ad incertos oculos et gaudia vana.
Quatuor aut plures aulæa premuntur in horas,
Dum fugiunt equitum turmæ peditumque catervæ;
Mox trahitur manibus regum fortuna retortis;

aut pugilum spectaculum poscit; ejusmodi enim spectaculo magis delectatur plebecula. — *virtute et hon. minores,* sed quod ad vitæ honestatem et honoris dignitatem attinet, ceteris inferiores. — *eques,* ut vir cultioris animi opponitur *plebi;* cf. v. 187. Supr. Sat. I, 10, 76 : « Nam satis est *equitem* mihi plaudere, ut audax, Contemtis aliis, explosa Arbuscula dixit. » — *Aut ursum, aut pugiles.* Vet. Schol. « Recte, quia adhuc Amphitheatri usus non (adhuc *non* satis barbare pro : nondum) erat, et in eadem cavea etiam ferarum gladiatorumque munera spectabantur. »

187. *Verum equitis,* etc. Sed nunc cultiores quoque non amplius graviores sententias audiendo, sed res vanas, oculos tantum pascentes, spectando delectantur. — *oculi incerti* jam sunt dubii, quo se vertant, quod fit, ubi oculi magna rerum contemplandarum varietate huc illuc trahuntur.

189. *Aulæa premuntur,* per quatuor et plures horas depressis et demissis aulæis scena aperta est, h. e. spectaculum, « Dum fugiunt turmæ equitum, etc. » quatuor aut plures horas durat. — Aulæa apud veteres non, sicut nunc, quum ludus incipit, sursum trahebantur (*tollebantur*), sed ex summo ad imum deprimebantur : depressis igitur aulæis, scena aperta ; sursum tractis, (*sublatis*) operta fuit. — Jam Horatius, ut carpat ævi sui ingenium, recenset quædam, quibus spectandis plebecula inprimis inhiabat : eo pertinebant pugnarum simulacra, splendidi triumphi repræsentatio, et rariores in scenam productæ bestiæ. Cicero in Epistol. ad M. Marium, L. VIII, 1, quid sentiat de ejusmodi ludis, haud dissimulat : « Omnino, si quæris, ludi apparatissimi ; sed non tui stomachi ; conjecturam enim facio de meo... Quid enim delectationis habent sexcenti muli in Clytæmnestra?.. aut armatura varia peditatus et equitatus in aliqua pugna? quæ *popularem admirationem habuerunt,* delectationem tibi nullam attulissent. »

191. *Mox trahitur,* etc. elegans versus pro vulgari : Mox vincti reges in triumpho per scenam traducuntur; — *regum fortuna;* significanter *fortuna* inservit regum captorum periphrasi ; Od. I, 34, 12. — *manibus retortis, brachiis,* ut Od. III, 5, 22, loquitur, *tergo retortis.* — *Esseda, pilenta, petorrita,* Gallica et

Digitized by Google

Esseda festinant, pilenta, petorrita, naves;
Captivum portatur ebur, captiva Corinthus.
Si foret in terris, rideret Democritus; seu
Diversum confusa genus panthera camelo,
Sive elephas albus vulgi converteret ora:
Spectaret populum ludis attentius ipsis,
Ut sibi præbentem mimo spectacula plura;
Scriptores autem narrare putaret asello
Fabellam surdo: nam quæ pervincere voces

Belgica vehiculorum genera, quibus in pompa triumphali capti reges reginæque, vel spolia vehebantur; de *essedis* vid. Scheff. de *Re Veh.* II, 23; de *pilentis* eumdem de *Re Veh.* II, 17, 28; de *petorritis* cf. supr. ad Sat. I, 6, 104. — *naves,* rostra certe captarum navium vehiculis imposita; non naves pictæ in scena, neque naumachia, de qua Martial. Spectac. Epig. 24. Ed.

193. *Captivum ebur,* intellige variam supellectilem affabre ex ebore factam, nisi mavis intelligere *dentes eburneos,* ut apud Livium XXXVII, 49; ut Quintilianus meminit, lib. VI, 3: « Chrysippus Vettius, quum in triumpho Cæsaris *eborea oppida* essent translata, et post dies paucos Fabii Maximi *lignea,* (hic Fabius Cæsaris legatus fuit) thecas (*les gaînes, les étuis,*) esse oppidorum Cæsaris dixit. » Ed. — *captiva Corinthus,* de more, quo simulacra captarum urbium in triumpho præferri et ostendi solebant, accipiendum mihi videtur; *Corinthus,* pro urbe qualibet; vel simulacrum ipsius Corinthi a L. Mummio expugnatæ; vel vasa et statuæ æris Corinthii. Ed.

194. *Democritus,* hic notissimus philosophus, Abderæ natus, Epist. I, 12, 12, ex omnibus ridendi causam captabat, ut Heraclitus flendi. Ed. — *seu Diversum.* etc. sive panthera confusa camelo; diversum a panthera proprie sic dicta genus, *Camelopardalis, la Girafe* (Varr. L. L. IV, 20: « Alexandria camelopardalis nuper adducta, quæ erat figura, ut camelus; maculis, ut panthera: » cf. Plin. H. N. VIII, c. 27, nost. ed. not. *Cuvier.* Ed.): sive albus elephas vulgi oculos ad se verteret. Cicero l. l. « Extremus elephantorum dies fuit, in quo admiratio magna vulgi atque turbæ, delectatio nulla exstitit. » — *Spectaret populum,* etc. Democritus attentius, quam ipsos ludos, spectaret populum, stupore, quo ille ferarum bestiarum contemplationi inhiare solet, majus sibi, quam mimum aliquem, spectaculum præbentem. — *Fabellam asello surdo:* duo proverbia in unum contraxit, ut rem magis ridiculam faceret; nam neque asellus, neque surdus audire voces possunt. Ed.

200. *Nam quæ,* etc. Sensus: nam quis histrio ita vocem intendere potest, ut pervincat populi in theatris nostris tumultuantis strepitum et cla-

Digitized by Google

Evaluere sonum, referunt quem nostra theatra?
Garganum mugire putes nemus, aut mare Tuscum:
Tanto cum strepitu ludi spectantur et artes,
Divitiæque peregrinæ, quibus oblitus actor
Quum stetit in scena, concurrit dextera lævæ.
Dixit adhuc aliquid?—Nil sane.—Quid placet ergo?
—Lana Tarentino violas imitata veneno.
Ac ne forte putes me, quæ facere ipse recusem,

mores? — *Garganum mugire putes. Garganus*, mons Apuliæ silvosus, ubi ventorum fremitus et arborum stridor est vehementior; Od. II, 9, 8.

203. *Artes*, sc. histrionum et mimorum, qui simpliciter dici solent *artifices*, vid. Duker. ad Liv. XXXIX, 22, ut τεχνῖται apud Græcos; vid. *Wesseling*, ad Diod. Sic. IV, 5, nisi quis *artes*, ad ornamenta arte elaborata, quæ vel in scena, vel in vestitu histrionum conspiciuntur, referre malit. — *Divitiæque peregrinæ*, purpura, gemmæ, margaritæ, aurum, etc. — *oblitus*, pro: obtectus, indutus, obsitus, cum contemtu nimiæ magnificentiæ. — *Quum stetit in scena*, simul ac in scena apparet. — *concurrit dextera lævæ*, statim plauditur; eleganter! manus enim, quum plaudimus, concurrunt et colliduntur.

206. *Dixit adhuc aliquid?* etc. plebecula scilicet plaudit, antequam loqui cœpit actor, solo pretiosarum, quas ille gerit, vestium adspectu percussa atque abrepta. — *Lana Tarentino*, etc. vestis confecta e lana, quæ Tarenti tincta est purpuræ colore præstantissimo, violaceum fere sive ianthinum colorem referente. Nepos Cornelius apud Plinium H. N. IX, cap. 63, purpuram Tarentinam vocat rubram. « Me, inquit, juvene, violacea purpura vigebat, nec multo post *rubra Tarentina*. » — *venenum* (φάρμακον), jam de medicamento, sive liquore, succo, fuco, quo lanæ color inducitur. Virg. Georg. II, 465: « Alba neque Assyrio fucatur lana veneno; » similiter medicare (φαρμάσσειν) pro: tingere, supr. Od. III, 5, 28: « Neque... Lana refert *medicata* fuco. »

208. *Ac ne forte putes*, etc. Hunc locum, varias interpretum sententias expertum, ita interpretor: Ne forte putes, Auguste, me non sine invidia aliqua parce (*maligne*) laudare poetas comicos et tragicos, quia non facere possum (*recuso*), quod alii recte faciunt, jam dicam, quod sentio: ille poeta, qui pectus meum (*inaniter*) in re ficta, tanquam vera, angore opplet; qui animum ad iram incitat, aut eum suaviter (*mulcet*) delinit (θέλγει); qui, ut præstigiator (*magus*), non veris, sed falsis terroribus ludit; qui me ita afficit, ut Thebis, si res agitur Thebis, Athenis, si res agitur Athenis, mihi versari videar, ille, inquam, poeta *mihi per extentum funem ire posse videtur*; ex proverbiali locutione pro: ille mihi rem difficillimam

Digitized by Google

Quum recte tractent alii, laudare maligne;
Ille per extentum funem mihi posse videtur
Ire poeta, meum qui pectus inaniter angit,
Irritat, mulcet, falsis terroribus implet,
Ut magus; et modo me Thebis, modo ponit Athenis.
Verum age, et his, qui se lectori credere malunt,
Quam spectatoris fastidia ferre superbi,
Curam redde brevem, si munus Apolline dignum
Vis complere libris, et vatibus addere calcar,
Ut studio majore petant Helicona virentem.
Multa quidem nobis facimus mala sæpe Poetæ,

perficere posse videtur; nam qui ire potest per funem extentum, artis, qua id fieri potest æque atque is, qui comœdiam scribere vult, peritus esse debet; brevius: poeta, qui spectatores in rem, quam tractat, ita rapit, ut ipsi ei interesse videantur, et, quidquid agitur, toto animo sentiant, is poetæ comici vel tragici artem tenet. — *maligne*, cum invidia; parum; parce. — *inaniter*, angor, quo aliquis de re, non ad se ipsum pertinente, cruciatur, *inanis* est; sic mox *falsi terrores* de iis, quos magi incantando, vaticinando, etc. in fraudem inducunt, hinc *portenta magorum* apud Cic. Nat. I, 43.

214. *Verum age*, etc. Verum age, o Auguste, his quoque poetis (Horatius semetipsum intelligit), qui legi, quam spectari malunt, breve tempus consecra, si bibliothecam in templo Palatini Apollinis novis libris augere, et poetas, ut majore studio carminibus scribendis vacent, favore tuo impellere et excitare vis. — *fastidia*, reprehensiones, ut supra in versibus Satiræ decimæ Lib. pr. præfixis, et quidem v. 7. — *superbi*, arrogantioris. — *Curam redde brevem*, Horatius Augustum, qui unice adhuc spectandis comœdiis et tragœdiis deditus fuisse videtur, monet, ut legendis poetis *brevem curam reddat*, h. e. sicut olim, de integro breve tempus legendis carminibus dicet et destinet; simillime supr. Od. I, 19, 4: « Finitis animum *reddere* amoribus, » et Od. I, 16, 28: « animumque *reddas*, » de integro me ames; nisi placet hæc explicatio, *reddere* jam insolentius pro: adhibere, impendere, tribuere, positum est. Pro: *redde*, unius Codicis auctoritate Bentleius in textum recepit *impende*; sed hæc lectio manifesta est vocis *redde* interpretatio. Quis enim librarios lectionem *impende* in *redde* mutasse fingere sibi potest animo?

219. *Multa mala*, intellige ea, quæ poetæ importune, inepte et præpostere faciunt; hæc nunc enarrat. — *Ut vineta egomet cædem mea*, ut contra me ipsum disputem; nam qui sua ipsius vineta cædit, sibimet ipsi

Digitized by Google

(Ut vineta egomet cædam mea), quum tibi librum
Sollicito damus, aut fesso; quum lædimur, unum
Si quis amicorum est ausus reprehendere versum;
Quum loca jam recitata revolvimus irrevocati;
Quum lamentamur, non apparere labores
Nostros et tenui deducta poemata filo;
Quum speramus, eo rem venturam, ut, simul atque
Carmina rescieris nos fingere, commodus ultro
Arcessas, et egere vetes, et scribere cogas.
Sed tamen est operæ pretium cognoscere, quales
Ædituos habeat belli spectata domique
Virtus, indigno non committenda poetæ.

nocet: proverbium.— *quum Sollicito damus, aut fesso,* hinc Horatius supr. Epist. I, 13, 4, tabellarium suum, Vinium Asellam, signata volumina Augusto tradere jubet: « Si validus, si lætus erit, si denique poscet; Ne studio nostri pecces odiumque libellis Sedulus importes opera vehemente minister. »

223. *Revolvimus irrevocati*, non jussi, sed sponte iterum recitamus; *revocari* dicuntur actores, qui actas cum applausu partes denuo agere jubentur; idem valet de poetis, qui recitata carmina, quia placuerunt iterum recitare jubentur. — *Non apparere labores Nostros*, opera nostra non in lucem produci et celebrari, non justo pretio æstimari; sic *apparere* infr. v. 250. — *tenui deducta p. filo*, carmina non sublimi, sed tenui oratione composita; intelligere videtur Satiras et Epistolas suas.

227. *Commodus* dicitur, qui facit, quod nobis gratum et acceptum est; supr. Od. IV, 8, 1: « Donarem pateras grataque *commodus.* » — *et egere vetes*, qui poetam *egere* vetat, ei dat unde vivat: sic supra 216: *curam redde brevem.* Ed. — *cogas*, scribere jubeas. Augusti fuit hæc vis non ingrata poetis.

229. *Sed tamen*, quamvis importuni tibi simus nos poetæ, o Cæsar, neque, si quid scribimus, continuo putare debeamus fore ut nos accersas, et jubeas versus facere; tamen nos non debes repudiare et negligere, immo facies operæ pretium, id est, rem tibi utilissimam facies, si eos cures cognoscere et fovere qui tuæ virtutis possint esse æditui, etc. Ed. — *Ædituos*, curatores, h. e. poetas, qui res belli domique præclare gestas carminibus celebrandas curant. *Ædituί* (νεωκόροι) proprie sunt curatores et custodes ædis vel templi alicujus. Poetæ autem res præclare gestas aliis explicant et enarrant, ut æditui hospitibus et peregrinis res in sacrario abditas. Ed.

Digitized by Google

Gratus Alexandro regi Magno fuit ille
Chœrilus, incultis qui versibus et male natis
Rettulit acceptos, regale nomisma, Philippos.
Sed veluti tractata notam labemque remittunt
Atramenta, fere scriptores carmine fœdo
Splendida facta linunt: idem rex ille, poema
Qui tam ridiculum, tam care prodigus emit,
Edicto vetuit, ne quis se præter Apellem
Pingeret, aut alius Lysippo duceret æra

232. *Gratus*, etc. nec tibi imitandus Alexander, qui carum habuit malum poetam Chœrilum, etc.—*Gratus Alexandro*, etc. Malus ille poeta, Chœrilus, qui in Alexandri Magni, cui gratus erat, comitatu fuit, (Cic. pro Arch. P. c. 10: « Quam multos scriptores rerum suarum Magnus ille Alexander secum habuisse dicitur? ») pro versibus rudibus et sinistro Apolline, vel crassa Minerva factis Philippos, nummos aureos, regis Philippi imagine insignitos, accepit. — *acceptum aliquid referre alicui rei* est debere aliquid alicui rei. — Si verum est, quod narrat *Acron*. ad Epist. ad Pis. v. 357, Alexandrum M. Chœrilo dixisse, se malle Thersiten esse Homeri, quam Chœrili Achillem, profecto Alexander, oblatis pro malis versibus Philippis, idem fecisse videtur, quod Sulla, qui, ut refert Cicero Pro Arch. c. 10, malo cuidam poetæ præmium dari jussit hac conditione, *ne quid postea scriberet*.

235. *Tractata*, sc. manibus, usui alicui adhibita. — *remittunt*, allinunt manibus tangentium. Ed.

236. *Fere*, non raro, plerumque, ut supr. Sat. I, 10, 15, Epist. I, 19, 5. — *linunt*, polluunt, contaminant, obscurant.

237. *Idem rex ille*, in *idem* latet admiratio quomodo fieri potuerit, ut unus idemque rex, qui a nemine, nisi a perfectissimo pictore Apelle Coo, et a nullo alio, nisi a præstantissimo statuario, Lysippo Sicyonio, ære effingi voluit, ineptos et ridiculos Chœrili versus regali munificentia ornaret. Mira autem arte Horatius hoc Alexandri exemplo viam sibi munit ad celebrandum Augustum, ut virum, rectius de pretio bonis poetis statuendo judicantem. — *Alius Lysippo*, (ἄλλος Λυσίππου) diversus a Lysippo, alius quam Lysippus; sic supr. Epist. I, 16, 10: « Neve putes *alium sapiente bonoque beatum*. » — *duceret æra*... *æs ducere* (ἐλαύνειν) est aes fabrili arte, tundendo et cudendo, ita tractare, ut proposita imago exprimatur; vid. Broukhus. ad Tibull. I, 3, 48. — *simulantia*, adsimulantia, exprimentia, repræsentantia; sic supr. Epist. I, 19, 13, « simulare Catonem » et infr. Epist. ad Pis. v. 30, « simulare cupressum. »

Digitized by Google

Fortis Alexandri vultum simulantia. Quod si
Judicium subtile videndis artibus illud
Ad libros et ad hæc Musarum dona vocares,
Bœotûm in crasso jurares aere natum.
At neque dedecorant tua de se judicia, atque
Munera, quæ multa dantis cum laude tulerunt,
Dilecti tibi Virgilius Variusque poetæ;
Nec magis expressi vultus per ahenea signa,
Quam per vatis opus, mores animique virorum

241. *Quod si*, etc. Sensus: Quod si judicium illud Alexandri, acutum sane et subtile, quod attinet ad inspicienda et dijudicanda artificum opera, transferres ad virorum doctorum scripta et poetarum carmina, jurares, judicium illud in crasso aere Bœotiorum prolatum esse, h. e. diceres, judicium illud esse durissimum. Nam quale de poetis judicium exspectari potest ab eo, qui ineptos Chœrili versus tam caro pretio emit! Quamquam mihi, ut jam monui, illa Alexandri liberalitas haud ab ejus judicio de Chœrili versuum bonitate repetenda videtur. Sed scite Horatius hoc Alexandri exemplum, ut eo magis Augusti de poetis extolleret judicium, in rem suam detorsit; et significantius ab eo vocantur *artes* opera manuum, scil. pictura et sculptura, dum ingenii fetus, nempe carmina appellat *dona Musarum!* Ed.—*Bœotum in crasso aere;* hinc Corn. Nep. Alcib. 11: « Omnes enim Bœotii magis firmitati corporis, quam ingenii acumini inserviunt. » et *Cicero* De Fato: « Athenis tenue cælum, ex quo acutiores etiam putantur Attici. Crassum Thebis; itaque pingues Thebani et valentes. » Ed.

245. *At neque dedecorant*, etc. At tu, Auguste, probe tenes, quid distent æra lupinis; tu enim non malos, sed delectos tibi poetas optimos, Virgilium, Variumque, gratia et muneribus tuis dignos judicas, nec hi tuo de se judicio sunt dedecori.—*mult. d. c. laud.* id est, quæ munera, tantis poetis data, utpote multo cum delectu et judicio collocata, tibi ipsi danti magnam laudem acquirunt: rectè hic Augustus Alexandro opponitur, qui, dum beneficiis malum poetam cumularet, crassi ingenii sibi famam asserebat. Ed. — *tulerunt*, Vet. Schol. Cruq. « acceperunt, quia jam his singulis donaverat Augustus decies sestertium. » —De *Vario* cf. supr. ad Od. I, 6, 1.

248. *Nec magis expressi*, etc. in eandem sententiam canit Horatius supr. Od. IV, 8, 15-20: « Non incisa notis marmora publicis, (Per quæ spiritus et vita redit bonis Post mortem ducibus,)... clarius indicant laudes, quam Calabræ Pierides. » — *apparent*, in lucem producuntur, exsplendescunt; cf. supr. v. 224.

Digitized by Google

Clarorum apparent: nec sermones ego mallem
Repentes per humum, quam res componere gestas,
Terrarumque situs et flumina dicere, et arces
Montibus impositas, et barbara regna, tuisque
Auspiciis totum confecta duella per orbem,
Claustraque custodem pacis cohibentia Janum,
Et formidatam Parthis te principe Romam,
Si, quantum cuperem, possem quoque; sed neque parvum
Carmen majestas recipit tua; nec meus audet
Rem tentare pudor, quam vires ferre recusent.
Sedulitas autem stulte, quem diligit, urget,
Præcipue quum se numeris commendat et arte:

250. *Sermones,... per humum repentes*, humiles, tenues; intelligit Satiras et Epistolas; — *res componere gestas*, carmine epico res gestas celebrare. — *arces Montibus impositas*, ab Augusto scilicet ad fines imperii muniendos. — *barbara regna*, victorias de regibus et populis barbaris. — *Claustraque custodem*, etc. de *Jani templo*, pacis tempore *clauso*, est locus classicus apud Liv. I, 19. De Deo *Jano* docte disputat *Heyne* ad Virg. Æn. VII, Excurs. V. Horatius supr. Od. IV, 15, 9, de Augusto: « et vacuum duellis Janum Quirini clausit. » — *Et formidatam Parthis te principe Romam*, similiter in laudem Augusti Carm. Sæc. v. 54, *Medus*, h. e. Parthus: « Manus potentes et Albanas secures *timere* dicitur. » — *Si quantum*, etc. Si facultas et eloquentia voluntati responderent.

258. *Recipit*, admittit, tradi tibi patitur. — *recusent*, non possint, cui ferendæ vires impares sint, ut supr. v. 208, et infr. in Epist. ad Pis. 39: « et versate diu, quid ferre *recusent*, Quid valeant humeri. »

260. *Sedulitas autem*, etc. Sensus: Stulta autem est officiosa ista sedulitas, qua quis ei, *quem diligit*, (patrono suo) se obtrudit, præcipue quum se carminum componendorum arte commendat; populus enim, quæ sunt ridicula in ejusmodi carmine, citius (*discit*) arripit, et lubentius in memoria tenet, quam ea, quæ probat et laudat. (Jam Horatius Mæcenatem vel alium patronum, cui molesta est ista carminibus se commendantium sedulitas, loquentem inducit.) Apage sedulitatem istam, quæ mihi molesta est; uti ego non vultu depravato in cera effingi et proponi, ita nec prave factis versibus celebrari volo, ne donatus (*pingui munere*) carmine pingui Minerva facto, rem pudendam experiar, et in arca aperta porrectus una cum poeta meo deferar in vicum,

Digitized by Google

Discit enim citius meminitque libentius illud,
Quod quis deridet, quam quod probat et veneratur.
Nil moror officium, quod me gravat, ac neque ficto
In pejus vultu proponi cereus usquam,
Nec prave factis decorari versibus opto:
Ne rubeam pingui donatus munere, et una
Cum scriptore meo capsa porrectus aperta
Deferar in vicum, vendentem thus et odores,
Et piper, et quidquid chartis amicitur ineptis.

ubi in tabernis venduntur thus et res odoriferæ, et piper, et quidquid mercium chartis inutilibus involvitur. — *stulte*, non ad *diligit*, sed ad *urget* referendum videtur; posui igitur post *stulte* distinctionem minorem.

267. *Rubeam*, pudore afficiar. — *una*, in eodem enim libro est scriptoris nomen, et ejus qui laudatur. — *capsa*, arca. — *porrectus*, quasi mortuus in feretro, cadaveris instar. — *vendentem thus et odores*, ubi thus et odores venduntur. — *amicitur*, involvitur. Catul. XCV, 8, de Annalibus Volusii: « Et laxas scombris sæpe dabunt tunicas: » et Martial. IV, Epig. 87, 8; III, 2; et XIII, 1, 1: « Ne toga cordylis, ne penula desit olivis. » Vid. sup. p. 371; n. 11. Ed.

270. *Chartis ineptis*, significanter *chartæ* dicuntur *ineptæ*, quæ, quia ineptias suas iis mandavit malus poeta, mercibus amiciendis inserviunt.

Analysis. Docet Suetonius Augustum ægre ferentem nullam ab Horatio Epistolam ad se scriptam fuisse, isto modo apud poetam per literas questum esse: « Iratum me tibi scito, quod non in plerisque ejusmodi scriptis, mecum potissimum loquaris. An vereris ne apud posteros infame tibi sit, quod videaris familiaris nobis esse? » Cui ita querenti, hanc scripsit Epistolam Horatius. Quæcumque autem fuerit hujus Epistolæ ad Augustum scriptæ occasio, fuit hoc præcipuum argumentum, ut Romanis, forsan etiam ipsi Augusto, tacite nimium erga veteres scriptores studium exprobraret; suæ autem ætatis poetas apud principem commendaret.

Verum autem ut propositum tegeret poeta, et finem suum, non recta via, sed quasi aliud cogitans, attingeret, infinita expositionis arte, multis transitionum artificiis usus est. Scilicet ab Augusti laudibus incipiens, ait maximis quidem heroibus, inter quos Romulum, Bacchum et Herculem notat, meritam laudem viventibus defuisse, nec nisi mortuis fuisse concessam; Augusto autem

Digitized by Google

vivo honores præstitos, exstructasque aras; adeo fatentur omnes nullum unquam talem in terris virum fuisse. At si in hoc se sapientes ac recte judicantes præbent Romani, eos minime sani in æstimandis recentioribus poetis judicii esse addit Horatius, quod reipsa totum est hujus sermonis argumentum. Romani enim non ex ingenio, sed ex antiquitate scriptores laudant, poetamque veterem, quicumque sit, recentiori anteferunt. Qui judicandi modus quam insanus ac ridiculus sit, quum ostendit poeta, ad veteres Romanos scriptores transit, multaque apud eos reprehendenda esse docet; et recte judicari, si quædam in iis laudentur, quædam autem vituperentur. Contra autem, si decorum aliquid in poemate inveniatur, poema totum ut pulcherrimum extollitur, dum recentia opera contemnuntur. At si antiquitas ipsa, Græcia scilicet, tantum scripta se antiquiora æstimasset, quæ tunc opera composuisset; quos nunc veteres scriptores haberemus?

Jam quibus ex causis Romanæ literæ diutissime imperfectæ necessario remanserint, tum ex gentis indole, tum ex bellorum continuitate explicat, et quæ fuerit inter Græcos et Romanos sub hoc respectu differentia ostendit. Græcia scilicet suo ingenio ad diligendos ludos artesque prompta, vix bellis functa est, quum et publicis ludis, et literis, et picturæ, et musicæ omnino indulsit, puellæ instar, puerilibus ludis delectata. At Romanorum longe alia est indoles: per se graves severique, expediendis legum difficultatibus, curandæ rei publicæ vel domesticæ attenti, diu literas et artes ignotas habuere. Nunc autem eo devenit Roma, ut omnes scribendi studio ferveant, ut omnes, docti indoctique, poemata componant. Huic tamen errori non parva inest utilitas; quicumque enim carminibus indulget, sane quietus est, et minime reipublicæ formidandus. Præterea optimi poetæ et mores emendant, et clare facta canunt, et preces diis offerendas præbent.

Inde poeta Romanæ poeseos, quantum saltem ad artem scenicam attinet, historiam explicat; docet ex qua primum rusticitate ac licentia profecta, ad quam deinde, per Græcorum operum imitationem, elegantiam et dignitatem pervenerit. Hic vehementer invehitur in pravum judicium populi, qui vanam theatri pompam, et inania spectacula, ipsis scenicis operibus anteponit; unde magnum rei scenicæ detrimentum, magnaque poetis scenam fugiendi ratio. Augustum igitur hortatur, ut, iis qui se lectoribus malunt credere, aliquam curam impendat, eosque aliqua foveat benevolentia. Explicat etiam, quantumvis ridiculi sit in malis poetis, non parvam principibus gloriæ partem esse, si bonos poetas bene habeant ac diligant, quum præsertim per carmina memoriæ clare facta commendantur. Finit se excusando, quod Augusti laudes ipse quoque non canat, quum epica poesis ingenium suum superet, et laus inepta dedecori potius quam ornamento sit. Ed.

Digitized by Google

EPISTOLA II.

AD JULIUM FLORUM.

Se excusat apud J. Florum, quod nullas adhuc literas ei scripserit; quædam præcepta dat ad feliciter et sapienter vivendum.

Flore, bono claroque fidelis amice Neroni,
Si quis forte velit puerum tibi vendere natum
Tibure vel Gabiis, et tecum sic agat: « Hic et
Candidus, et talos a vertice pulcher ad imos,
Fiet eritque tuus nummorum millibus octo,
Verna ministeriis ad nutus aptus heriles,
Literulis Græcis imbutus, idoneus arti
Cuilibet: argilla quidvis imitaberis uda;
Quin etiam canet indoctum, sed dulce bibenti.

1. *Flore*, ad eundem *Julium Florum*, qui tum in Tiberii Neronis cohorte peregre aberat, scripta est Libri Primi Epistola tertia, eamdem, quam hæc, Horatii cum Floro familiaritatem spirans. — *tecum sic agat*, tibi vernam his verbis et hac commendatione mercandum offerat.

4. *Candidus*, non ad animum, sed ad candidum corporis colorem referendum. — *Fiet eritque tuus*, servus tuus manibus tuis tradetur pretio octo millium nummorum. — *Verna ministeriis ad nutus aptus heriles*, refer *aptus* ad *ministeriis*; aptus ministeriis ad heri nutum obeundis. — *Literulis Græcis imbutus*, quum lingua Græca in usu Romæ erat, Græcas literas edocebantur servi, quo carius venderentur. Ed. — *argilla quidvis imitaberis uda*, ex eo, tanquam ex argilla, quodcunque tibi placuerit, effinges. Comparatur puer cum *argilla*, ex qua figulus pro lubitu fingit vasculum. Pers. Sat. III, 23: « udum et molle lutum es. » Ed. Omisit Hor. hic quoque, ut sæpe alibi (vid. supr. ad Epist. I, 2, 42,) particulam comparationis: *veluti*, *sicuti*; sic apud nos in vernacula, comparationibus simpliciter positis nihil frequentius. — *canet indoct. sed dulce bibenti*, non quidem, ut canunt artis canendi periti, ita tamen, ut cum voluptate

Digitized by Google

Multa fidem promissa levant, ubi plenius æquo
Laudat venales, qui vult extrudere, merces;
Res urget me nulla: meo sum pauper in ære.
Nemo hoc mangonum faceret tibi; non temere a me
Quivis ferret idem: semel hic cessavit, et, ut fit,
In scalis latuit metuens pendentis habenæ.
Des nummos, excepta nihil te si fuga lædat: »

eum canentem audiant compotores. Nam ad compotationum hilaritatem alendam et sustentandam pertinebat etiam cantus.

10. *Multa fidem promissa levant*, etc. Pergit venditor: scio, inquit non facile iis venditoribus credi, qui multa et mira de suis mercibus promittunt et prædicant, quo facilius nimirum eas extrudant, id est, vendant, distrahant: ego non is sum; nulla me res cogit hoc mancipium vendere, ne paupertas quidem. Certe non alius mango ita tecum ageret, tam candide, quam ego, vitia vendendi mancipii aperiret, nec facile ego cum alio emptore sic agerem. Hic semel segnis fuit, ot non obtemperavit mihi, et, pro more servorum, latuit ne loris e scalis suspensis cæderetur. Illum emas, si non te lædit quod fugam excipiam. Ed. — *levant*, minuunt, faciunt ne tam facile venditori credatur. Ed. — *plenius æquo*, plus justo. — *Res urget me nulla*, etc. Non difficultas, non æs alienum me cogit ad merces extrudendas; non quidem dives sum, sed, quod meum est, habeo. — *Non temere a me quivis ferret idem*, non facile quivis a me obtineret idem, id est, aut ut tam candide cum eo agerem, aut ut tam vili pretio servum venderem. Ed. — *cessavit*, rei elevandæ causa pro: aufugit; *cessare* enim dicitur, qui, non faciens, quod facere debet, negligentiæ tantum culpam sibi contrahit; cf. Epist. ad Pis. 357.

15. *In scalis latuit metuens pendentis habenæ*, nonnulli intelligunt: *metuens pendentis* (in quocumque demum loco) *habenæ latuit* (se occultavit) *in* (sub) *scalis*; tenebricosus enim sub scalis locus opportunus est sese occultaturis. *Gesnerus* in hanc rem affert locum Ciceronis ex Orat. p. Mil. c. 15, de Clodio, qui « fugiens in scalarum tenebras se abdidit. » Aliis autem melius jungendum videtur: latuit metuens habenæ pendentis in scalis. Nam ut haberent servi pœnam ob oculos positam, si quid delinquerent, in ædium scalis appensæ fuisse dicuntur scuticæ, quibus statim cæderentur. Ed. — *habenæ*, scuticæ, lori. Ovid. Heroid. IX, 81: « *scuticæ* tremefactus *habenis*. » — *excepta nihil te si fuga lædat*, si non læderis, quod fugam excipiam; venditor enim de omnibus vitiis, quæ non exceperat, tenebatur erga emptorem, cui, per sex menses, actio redhibitoria competebat. Alii etiam intelligunt: si te nihil lædit, sollicitat, illa fuga quam semel tentavit, et quam indico. Ed.

Digitized by Google

Ille ferat pretium, pœnæ securus, opinor:
Prudens emisti vitiosum; dicta tibi est lex:
Insequeris tamen hunc et lite moraris iniqua?
Dixi me pigrum proficiscenti tibi, dixi
Talibus officiis prope mancum, ne mea sævus
Jurgares, ad te quod epistola nulla veniret.
Quid tum profeci, mecum facientia jura
Si tamen attentas? quereris super hoc etiam, quod
Exspectata tibi non mittam carmina mendax.

17. *Ille ferat pretium*, etc. Jam sequitur apodosis; oratio enim cohæret sic: Si quis tibi vendat puerum, et, si qua ei adhærent vitia, ea te haud celet; equidem, te ei de emtionis pretio haud litem intendere posse existimo, nam tu sciens volensque emisti puerum vitiosum. Num tu nihilominus mangonem in jus vocabis? Par ratio est mihi tecum; ego tibi proficiscenti aperte dixi, me esse lentum epistolarum scriptorem; et tu nihilominus mecum de eo, quod tibi non scripsi, expostulas? — *pœnæ securus*, omnis curæ de commissæ fraudis pœna expers. — *dicta tibi est lex*, proposita tibi est emtionis conditio, fugæ scilicet exceptæ. — *lite moraris iniqua?* breviter et eleganter pro: nihilominus præter jus et æquitatem litem de solvenda pecunia movendo et sic moras nectendo, eum vexas eique facessis negotium?

20. *Dixi me pigrum*, o Flore, puta me similem esse isti venditori; dixi tibi me esse in scribendo pigrum. Ed. — *Talibus officiis prope mancum*, dixi, me esse hominem manibus quasi ad obeunda talia officia (ad scribendas literas) destitutum; obversabatur fortasse Horatio locus Plauti in Mercat. III, 4, 45: « ad mandata claudus, cæcus, mutus, *mancus*, debilis. » — *ne mea*, etc. Junge: ne sævus jurgares, quod nulla mea epistola ad te veniret. — *sævus*, ira sæviens, h. e. nimium irascens. — *ad te quod epistola nulla veniret*, quod nullam a me acciperes epistolam; epistolæ, quæ accipiuntur, sæpius, præcipue apud Ovidium, *venire* dicuntur. — Pro: *veniret* in quibusdam Edd. vett. legitur *rediret*, quod defendit Gesnerus, ut sit: « quod nihil ad missam a te epistolam responderem; » sed primum epistolæ, a Floro ad Horatium missæ, ad quam hic non responderit, nulla facta est mentio; deinde ea tantum epistola dici potest *redire*, quæ in locum, unde missa est, redit.

23. *Quid tum... Si tamen attentas?* quid mihi profuit libera pigritiæ meæ in scribendis literis professio, si nihilominus de iis, quæ tecum depactus sum, me impugnas? — *mecum facientia*, mihi faventia. — *Jura*, conditiones in venditione factas. — *mendax*, significantius pro: ego.

Digitized by Google

Luculli miles collecta viatica multis
Ærumnis, lassus dum noctu stertit, ad assem
Perdiderat; post hoc, vehemens lupus, et sibi et hosti
Iratus pariter, jejunis dentibus acer,
Præsidium regale loco dejecit, ut aiunt,
Summe munito et multarum divite rerum.
Clarus ob id factum donis ornatur honestis;
Accipit et bis dena super sestertia nummûm.
Forte sub hoc tempus castellum evertere prætor
Nescio quod cupiens, hortari cœpit eumdem
Verbis, quæ timido quoque possent addere mentem:
« I, bone, quo virtus tua te vocat; i pede fausto,
Grandia laturus meritorum præmia! Quid stas? »
Post hæc ille catus, quantumvis rusticus: « Ibit,

26. *Viatica*, bona, quibus sustentatus reliquæ vitæ spatium decurreret; — *collecta*, tam ex acceptis stipendiis, quam ex præda facta. — *multis Ærumnis*, quæ militi in bello exantlandæ sunt. — *ad assem*, omnia ac singula; uti *omnes ad unum* de omnibus ac singulis.

28. *Post hoc*, post perdita viatica. — *vehemens lupus* (ὡς λύκος), velut lupus, vehementiore ira percitus; *canis vehemens* apud Phædr. II, 3, 1; de omissa comparationis particula vid. supr. ad v. 8. — *jejunis dentibus acer*, jam dentibus tribuitur, quod proprie pertinet ad stomachum; apposite autem hæc ad lupum *vehementem*, quem fames inprimis acrem atque vehementem reddit. — *regale*, regis Mithridatis; — *loco*, e loco munito, quem defendere debebat præsidium. — *dejecit*, depulit; *dejicere* est verbum rei militaris; *propugnaculum dejicere* apud Cic. Verr. III, 16, Liv. IV, 33: « *dejectis*, qui in præsidio erant; » plura exempla dedit Drakenb. ad Liv. XXII, 24, § 7. — *Summe*, summopere, summa cura; locum illum *Tigranocertam* fuisse, e Dione probatum ivit Cruquius. — *multarum divite rerum*, abundante multarum rerum copia.

32. *Donis honestis*, bonorificis, splendidis; ad ea refer coronas murales, obsidiales, vallares, civicas, etc. — *super*, insuper, præterea. — *prætor*, dux exercitus, unde ducis tabernaculum dicebatur *prætorium*; vid. Perizon. Diss. de *Prætorio*, p. 8. — *timido quoque*, vel timido.

39. *Catus*, acutus et emunctæ naris homo. — *qui zonam perdidit*, ut ego olim, quum zonam perdidissem, ad nova viatica colligenda ibam; at nunc,

Digitized by Google

Ibit eo, quo vis, qui zonam perdidit, » inquit.
Romæ nutriri mihi contigit, atque doceri,
Iratus Graiis quantum nocuisset Achilles.
Adjecere bonæ paulo plus artis Athenæ,
Scilicet ut possem curvo dignoscere rectum,
Atque inter silvas Academi quærere verum.
Dura sed emovere loco me tempora grato,

quum habeam, unde vivam, labores et pericula de integro subire nolo. — Hoc militis Luculli exemplum imitari voluit Horatius. Quemadmodum enim catus ille Luculli miles, quum de integro comparasset sibi, unde vitam sustentaret, non amplius militiæ plenum periculosæ aleæ opus tractare; ita Horatius, quum curam de vitæ necessariis deponere posset, non amplius versibus scribendis operam dare vult.

41. Jam Horatius disciplinæ rationem, qua educatus et institutus vir doctus et poeta evaserit, breviter enarrat. Comparandus est hic locus cum Satira sexta Libri primi, ubi Hor. inde a v. 71, summam curam, quam pater in se educando atque erudiendo posuerit, pio gratoque pectore commemorat atque extollit. — *Romæ nutriri mihi contigit*, supr. l. l. v. 76: « Sed puerum est ausus (pater) Romam portare docendum Artes, quas doceat quivis eques atque senator Semet prognatos. » — *atque doceri, Iratus Graiis quantum nocuisset Achilles*, pro vulgari: atque lectione Homeri imbui; nam per Achillis iram (Μῆνιν — Πηληϊάδεω Ἀχιλῆος) Iliadis argumentum designatur. — *bonæ Athenæ*, percipe vim, qua Horatius urbem celebratissimam, cui animi cultum in philosophiæ studio debebat, mollissimo gratissimoque animi sensu simpliciter et per λιτότητα *bonam* vocat. — *artis*, intellige philosophiam, cujus ars sive scientia in distinguendo vero a falso versatur, quod duobus versibus sequentibus exprimitur: *Scilicet ut possem curvo dignoscere rectum*; non enim Horatius per *curvum* et *rectum* geometriam, cujus elementa sine dubio jam Romæ imbiberat, respexisse, sed translate a geometria, quod ad virtutis præcepta rectе fit, *rectum* (ὀρθόν), quod a virtutis præceptis recedit, *curvum* dixisse videtur. Qui virtutem sequuntur, *recta*, qui virtutem deserunt, *curva* via incedunt. — *inter silvas Academi... Academia* enim (dicta ita ab heroe quodam *Academo*, ut tradit Laert. III, 7), sive *Gymnasium*, in quo scholas habuit Plato, fuit in amœno nemore urbi vicino.

46. *Dura sed*, etc. Sed infausta tempora me (*locum gratum*) Athenas, ubi suaviter delitescebam, relinquere coegerunt; in verbo *emovere* exprimitur vis, qua quis e loco aliquo in alium depellitur; Liv. VI, 38: « tum percitus ira Camillus lictores, qui de medio plebem *emoverent*, misit. » Frequens hujus verbi usus apud

Digitized by Google

Civilisque rudem belli tulit æstus in arma,
Cæsaris Augusti non responsura lacertis.
Unde simul primum me dimisere Philippi,
Decisis humilem pennis, inopemque paterni
Et laris, et fundi, paupertas impulit audax,
Ut versus facerem. Sed, quod non desit, habentem,

Livium ; exempla collegit Drakenb. ad Lib. XLII, 49, § 6. — *Civilisque rudem*, etc. Et (*civilis æstus*) civium furor et impetus (*rudem belli*) me, artis bellicæ adhuc imperitum, (*tulit*) abstulit et protrusit in arma, (*non responsura*) non paria futura Cæsaris Augusti (*lacertis*) robori et viribus. — *æstus*, maris tumultus et fervor sæpius ad animi fervorem et tumultum, et proinde ad furorem quoque, quo bella civilia moveri dicuntur, transfertur. — *in arma*, a Bruto et Cassio contra Antonium et Octavianum capta ; delatum autem est Horatio munus tribuni ; vid. supr. Sat. I, 6, 48 : « Quod mihi pareret legio Romana tribuno. » — *responsura*, qui alicui rei par est, vel resistere potest, ei *respondere* vel *responsare* dicitur ; vid. supr. ad Sat. II, 7, 85 ; Cic. in Catil. II, 11 : « Jam vero urbes provinciarum et municipiorum *respondebunt* Catilinæ tumulis silvestribus. »

49. *Unde*, a qua quidem militia. — *simul primum*, simul ac. — *me dimis. Philippi*, quum Horatius post funestam ad Philippos pugnam in celeri fuga quæsivisset salutem, (supr. Od. II, 7, 10 : « Tecum Philippos et celerem fugam Sensi, relicta non bene parmula, ») lepide jam Philippos se dimisisse ait. — *Decisis humilem pennis*, qui ex loco altiore dejectus est in humiliorem, vel ex sorte lætiore depressus est ad tristiorem, ei proverbiali locutione, in vernacula quoque apud nos usitata, *pennæ* vel *alæ decisæ esse* dicuntur ; — *humilis*, accommodate ad rem, qui, decisis pennis, non amplius ex humo in altum volare, h. e. ad paupertatem redactus non amplius se extollere et laute vivere potest. — *paupertas audax*, pauperes enim ad famem pellendam tentant *audentque* omnia. In hanc fere sententiam Persius in Prologo v. 87, seqq. « Quis expedivit psittaco suum Χαῖρε, Picasque docuit verba nostra conari ? Magister artis, ingenique largitor Venter, negatas artifex sequi voces. » Ceterum Horatius paupertatis, qua ad versus scribendos se adactum esse simulat, professione poetas famelicos notare et deridere voluisse videtur.

52. *Sed, quod non desit*, etc. Hunc locum, qui plures interpretes misere torsit, ita interpretor : Sed nunc me possidentem, (*quod non desit*) quantum satis sit, nisi in hac rerum mearum conditione (*dormire*, εὕδειν, vid. Stanlei. ad Æschyl. Agam. 348) quieti indulgere, quam versus scribere malim, quæ tandem unquam cicutæ ab insania poetica me satis purgare poterunt ? brevius : sed quum nunc habeam, quantum opus est, (*satis*

Digitized by Google

Quæ poterunt unquam satis expurgare cicutæ,
Ni melius dormire putem, quam scribere versus?
Singula de nobis anni prædantur euntes;
Eripuere jocos, Venerem, convivia, ludum;
Tendunt extorquere poemata. Quid faciam vis?
Denique non omnes eadem mirantur amantque:
Carmine tu gaudes; hic delectatur iambis;

enim *superque*, ut supr. Epod. I, 31, ait, *ditaverat* eum Mæcenatis *benignitas*) nisi vitam otiosam et inertem poeseos studio præferam, nunquam ab insania poetica curari potero. — *Quæ... cicutæ. Cicuta* est herba caule lævi et binis cubitis nonnunquam altiore, cui inest vis frigoris, quo calor sanguinis, h. e. poetarum fervor, æstus, furor exstinguitur; hinc Persius Sat. V, 144 : « Quid tibi vis? calido sub pectore mascula bilis (bilis tumor, insania, μελαγχολία) Intumuit, quam non exstinxerit urna cicutæ. » *Cicuta*, largiore haustu sumta, est venenum, ut Socratis morte satis constat. — *expurgare*, liberare calore, qui cicutæ frigore in pectore exstinguitur.

55. Postquam Horatius Floro suo, qui frustra adhuc promissa ab eo carmina exspectaverat, se, quum sibi nunc suppetat, unde vivat, omne carminum scribendorum abjecisse studium significavit, (quamquam Horatius, dum, se carmina in posterum scribere velle, negat, hoc ipsum carmen scripsit) nunc alias subnectit causas, ex quibus poesis apud se nunc frigeat; primum quidem, quod cum ætate mutetur animus; non placent enim ætate provectiore, quæ puerili et juvenili placuere; deinde, quod pro diversis hominum ingeniis non cuique probentur poetarum diversi generis carmina; alius hoc, alius illo carminum genere delectatur; tum, quod sibi in urbe viventi tot curæ et negotia per caput et circa latus saliant, tantusque in platea sit strepitus atque tumultus, ut libero animo carminibus scribendis vacare non possit. — *Singula*, unum post alterum. — *nobis anni prædantur euntes;* hinc supr. Epist. I, 1, 4 : « Non ætas eadem, non mens. » Od. IV, 1, 3 : « Non sum, qualis eram bonæ sub regno Cinaræ. » Virg. Ecl. IX, 51 : « Omnia fert (aufert) *ætas*, » Platon. Epigram. XIX. Anthol. Græc. t. I, p. 106, ed. Jacobs. « Αἰὼν πάντα φέρει. » — *euntes*, sine mora transeuntes; Tibull. I, 4, 28 : « Non stat remeatque dies. » — *Tendunt extorquere poemata*, poemata scribendi facultatibus me privatum eunt. — *Quid faciam vis?* Quid me suscipere, vel quale carminum genus me tractare jubes? hinc v. 63 : « Quid dem, quid non dem? »

59. *Carmine*, Lyrico, vel Epico. — *Bioneis sermonibus*, intellige satiras acerbissimas, quas scripsisse dicitur *Bion Borysthenes*, philosophus Cy-

Digitized by Google

Ille Bioneis sermonibus et sale nigro.
Tres mihi convivæ prope dissentire videntur,
Poscentes vario multum diversa palato.
Quid dem? quid non dem? Renuis tu, quod jubet alter;
Quod petis, id sane est invisum acidumque duobus.
Præter cetera me Romæne poemata censes
Scribere posse, inter tot curas totque labores?
Hic sponsum vocat, hic auditum scripta, relictis
Omnibus officiis; cubat hic in colle Quirini,
Hic extremo in Aventino, visendus uterque;
Intervalla vides humane commoda. « Verum
Puræ sunt plateæ, nihil ut meditantibus obstet. »
Festinat calidus mulis gerulisque redemtor;

renaicus, vid. Laert. IV, 46-58. — *nigro*, refer ad satiræ, qua quis perfricatur, acerbitatem; eodem sensu Archilochi versus supr. Epist. I, 19, 3, dicuntur *atri*. — *Tres mihi convivæ*, etc. Illi quidem, qui diversis carminum generibus delectantur, prope mihi dissentire videntur, veluti tres convivæ, etc. — De omissa particula comparationis vid. supr. ad v. 8. — *invisum*, injucundi saporis.

65. *Præter cetera*, præ ceteris aliis, ante omnia, præcipue; sic *inter cuncta*, supr. Epist. I, 18, 96. — *Hic sponsum vocat*, etc. Alius me vocat, ut, relictis rebus omnibus, pro eo sponsum; (*spondet*, qui vadimonium suscipit,) alius, ut scripta, quæ recitaturus est, auditum veniam.

68. *Cubat*, ægrotat; vid. supr. ad Sat. I, 9, 18. — *Intervalla vides humane commoda*, hæc verba, quæ multum negotii facessiverunt interpretibus, explicanda videntur sic: « vides intervalla humane, belle commoda » contrarium igitur per ironiam intelligendum est; Horatius enim sine dubio exprimere voluit hoc: vides intervalla, molesta sane et incommoda homini viam inter collem Quirinum et Aventinum emetienti. — *Verum Puræ sunt plateæ*, jam vel Florum, vel quemcunque alium respondentem inducit: Verum via in plateis libere patet, ut neutiquam prætereuntium meditationes interrumpantur: *plateæ puræ*, purgatæ vel liberæ ab iis, quæ viam prætereuntibus intercipiunt; *purus et patens campus*, Liv. XXIV, 14.

72. Non sunt liberæ, Horatius respondet, ab impedimentis. — *Festinat calidus*, etc. *calidus redemtor*, manceps (ἐργολάβος), qui fervido studio insistit laboribus ædificii, quod certo pretio exstruendum conduxit; supr. Od. III, 1, 35: « huc frequens Cæmenta demittit redemtor cum famulis, » etc. — *mulis gerulisque*, pro:

Digitized by Google

Torquet nunc lapidem, nunc ingens machina tignum;
Tristia robustis luctantur funera plaustris;
Hac rabiosa fugit canis, hac lutulenta ruit sus:
I nunc, et versus tecum meditare canoros.

Scriptorum chorus omnis amat nemus, et fugit urbes,
Rite cliens Bacchi, somno gaudentis et umbra:
Tu me inter strepitus nocturnos atque diurnos
Vis canere, et contracta sequi vestigia vatum?

cum *mulis* et *gerulis*. — *geruli* sunt famuli, vel bajuli, qui necessaria ad ædificandum comportant. — *ingens machina*, ejusmodi machina (trochlea), qua lapides, trabes et alia pondera torquendo in altum tollebantur, instructa fuisse videtur rota, ut colligas ex loco Horatii supr. Od. III, 16, 10: «Ne currente rota funis eat retro.»

74. *Tristia robustis*, etc. Pompa funerum, quum in plaustra viam intercludentia incidit, e via cedendo et declinando cum illis luctatur. — *robusta*, grandiora, firmiora. — *Hac rabiosa fugit canis*, pro: *fugit* Codicum quorundam auctoritate *Fea* in textum recepit *furit*, quod canis rabie correptus non *fugiat*, sed *furat*; sed vix sermo jam esse potest de cane *rabioso* proprie sic dicto, cujus pestifero morsui raro tantum in via et plateis expositi sunt homines; immo Horatius per *canem rabiosum* non alium, nisi acrem et mordacem, qui cum latratu in prætereuntes ruit, et ab iisdem fuste repulsus refugit, designasse videtur. Sic leones irati A. P. 393, dicuntur *rabidi*. Quemadmodum autem *rabies* sæpius translate de vehementiore ira, impetu, furore, etc. (de mordacissima dicacitate infr. in Epist. ad Pis. v. 79: « Archilochum proprio *rabies* armavit iambo ») ita quoque *rabiosus* de eo, quem vehementior ira in furorem agit, dicitur; *rabiosa fortitudo* apud Cic. in Quæst. Tusc. IV, 22; *rabiosa jurgia* apud Senec. in Herc. Fur. v. 172. Ad præcedentium versuum de Romæ incommodis imitationem Bolæus satiram dedit inscriptam: « les Embarras de Paris. » Ed.

76. *I nunc*, cf. supr. ad Epist. I, 6, 17. — *canoros*, suaviter sonantes, suavi cantu demulcentes; sic cycnus supr. Od. II, 20, 15: « ales canorus. » Od. I, 12, 11: « fides canoræ. » — *Rite cliens Bacchi*, solemniter inter Bacchi asseclas receptus. — *contracta sequi vestigia vatum?* varias mirasque lectiones, pro male intellecta lectione *contracta* inventas prolatasque, commemorare nihil attinet; bene enim se habet lectio *contracta*, eleganter poetæ mentem exprimens. Vestigia scilicet poetarum, qui, ut modo dictum est, urbis strepitum fugientes, in nemoribus et locis umbrosis, ubi carmina meditentur, sese abscondere solent, in sola, remota et angusta loca *contrahuntur*. (Ovid. Trist. I, 1, 41: « Carmina secessum scribentis et otia quærunt. » Propert. III, 1, 14: « Non

Digitized by Google

Ingenium, sibi quod vacuas desumsit Athenas,
Et studiis annos septem dedit, insenuitque
Libris et curis, statua taciturnius exit
Plerumque, et risu populum quatit; hic ego, rerum
Fluctibus in mediis et tempestatibus urbis,
Verba lyræ motura sonum connectere digner?
Frater erat Romæ consulti rhetor, ut alter
Alterius sermone meros audiret honores,
Gracchus ut hic illi foret, huic ut Mucius ille.

datur ad Musas currere lata via. ») Verba igitur *et contracta sequi vestigia vatum*, explico: et facere, quod poetæ in loca sola et arcta contracti faciunt. Usum vocis *contractus* egregie illustrat alius locus Horatii supr. Epist. I, 7, 12: « Ad mare descendet, et sibi parcet, *contractusque* leget. »

81. *Vacuas*, opportunas otio bene et recte frui cupientibus. Sic supr. Epist. I, 7, 45: « Tibur vacuum » ubi vid. not. — *insenuitque Libris et curis*, eleganter pro: et tempus consumsit, vel ætatem transegit in legendis libris et meditationibus. Similiter supr. Epist. I, 7, 85: « Immoritur studiis et amore senescit habendi. » — *exit*, fit, evadit, efficitur, de formis, quæ effinguntur; infr. Epist. ad Pis. 22: « currente rota cur urceus *exit*? » non enim *exire* jam est: egreditur.

84. *Et risu populum quatit*, fortius pro vulgari: populo est risui et ludibrio.

85. *Rerum Fluctibus in mediis et tempestatibus urbis*, in medio rerum, fluctuum instar se invicem trudentium, impetu et urbis tumultu; *fluctus* et *undæ* de rebus, quæ animum perturbant, et huc illuc impellunt; supr. Epist. I, 1, 164: « et mersor civilibus *undis*. » — *Verba lyræ motura sonum connectere*, similiter supr. Od. IV, 9, 4: « Verba loqui chordis socianda, » et Od. II, 12, 4: « Verba aptare citharæ modis. » — *digner?* ut rem tractatu dignam habeam?

87. *Frater erat Romæ*, etc. Subito Horatius, ut solet, sine orationis vinculo aliquo transit ad aliud, quod se a versibus componendis avertat atque reprimat, ad vanam scilicet illam laudem, qua alter alterum certatim ornare et extollere studeat. Erant, ait, Romæ duo viri, alter jurisconsultus, alter rhetor; jurisconsultus rhetorem *Graccho*, rhetor jurisconsultum *Mucio* æquiparabat; idem fit apud poetas. — *frater*, aut vere frater, aut eo sensu, quo apud nos quoque vocatur intimæ amicitiæ vinculo cum aliquo conjunctus; cf. supr. ad Epist. I, 10, 4. De laude, quam Cicero *Tiberio Graccho*, ut insigni oratori, tribuit, vid. Brut. c. 27. — *Q. Mucius Scævola* celebre inter Jurisconsultos fuit nomen; de *Juris Prud. Muciana* sin-

Digitized by Google

Qui minus argutos vexat furor iste poetas?
Carmina compono, hic elegos, mirabile visu
Cælatumque novem Musis opus! Adspice primum,
Quanto cum fastu, quanto molimine circum
Spectemus vacuam Romanis vatibus ædem!
Mox etiam, si forte vacas, sequere, et procul audi,
Quid ferat, et quare sibi nectat uterque coronam.
Cædimur, et totidem plagis consumimus hostem,
Lento Samnites ad lumina prima duello.

gularem libellum scripsit *Balduinus*.

90. *Qui minus*, etc. Nonne pariter poetas agitat furor iste, quo alter alterum ad cælum usque tollit laudibus? Si ego carmen lyricum compono, (Horatius, ut eo liberius rideat insanam malorum poetarum vanitatem, consulto et scite se ipsum talem fingit, et eorum gregi se immiscet,) alter Elegiam, tum alter in alterius laudem exclamat: En admirabile, ab ipsis novem Musis affabre exsculptum opus! — *argutos*, canoros, ut *olor argutus* apud Virg. Eclog. IX, 36, opinantur certe ejusmodi poetæ, se suaviter canere; nam (v. 107): « Gaudent scribentes et se venerantur, et ultro, Si taceas, laudant, quidquid scripsere, beati. » — *carmina*, sc. lyrica. *Cælatum opus*, cælo vel torno exsculptum (ὑπος γλυπτὸν καὶ τορευτόν); simili imagine infr. in Epist. ad Pis. v. 442, versus summa cura expoliti dicuntur *tornati*.

92. *Adspice primum, Quanto cum fastu*, etc. Jam sequitur faceta descriptio superbi incessus, quo vani isti poetæ ad carmina tam recitanda, quam audienda in templum Apollinis Palatini se ferant. — *quanto molimine*, egregie *molimen* designat ridiculum studium, quo quis vel gressu ad certam mensuram directo, vel alto supercilio, vel quocumque alio corporis habitu dignitatis et gravitatis speciem affectat et induit. — *vacuam Romanis vatibus*, patentem, vel carentem poetis Romanis; de Apollinis templo, ubi poetæ carmina sua recitabant, vid. Sat. I, 10, 38. — *sequere*, sc. nos in templum. — *ferat*, proferat, recitet.

97. *Cædimur, et totidem*, etc. proverbiali locutione pro: ictus ictum sequitur sine minimo effectu; in vanum agimus, et par pari referimus; qui nos laude cumulat, eumdem vicissim laude cumulamus. Pers. Sat. IV, 42: « Cædimus, inque vicem præbemus crura sagittis. » Ed. — *Lento Samnites*, etc. Certamus et pugnamus, veluti gladiatores Samnites ad prima lumina; pugna enim illa non est fervida, sed lenta; si alter me, ut poetam lyricum, Alcæi cognomine ornat, ego illum, ut poetam elegiacum, Callimachi, et si id non satis est, Mimnermi, quod optat, cognomine orno. *Samnites* fuerunt genus quoddam gladiatorum, ab armatura Samnitica (de qua vid. Liv. IX, 40,) ita dictorum, qui inter con-

Digitized by Google

Discedo Alcæus puncto illius: ille meo quis?
Quis nisi Callimachus? si plus adposcere visus,
Fit Mimnermus, et optivo cognomine crescit.
Multa fero, ut placem genus irritabile vatum,
Quum scribo, et supplex populi suffragia capto:
Idem, finitis studiis, et mente recepta,
Obturem patulas impune legentibus aures.

Ridentur, mala qui componunt carmina: verum
Gaudent scribentes, et se venerantur, et ultro,
Si taceas, laudant, quicquid scripsere, beati.

vivia ad *prima lumina* (tempore vespertino, quo prima lumina accenduntur, cf. supr. Sat. II, 7, 53) convivas non pugna cruenta, sed *lenta* (in longum producta) et ficta, id est, gladiis præpilatis (avec des fleurets) delectare solebant; de omissa particula comparationis *sicut*, vid. supr. ad v. 8.

99. *Discedo Alcæus*, de *Alcæo* vid. supr. ad Od. I, 32, 5. — *puncto*, suffragio, h. e. sententia; lata in comitiis a singulis suffragia notabantur in tabulis *puncto*, unde *punctum* pro suffragio; notissimus ille versus Horatii in Epist. ad Pis. v. 343: « Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci. » — *ille meo quis*? etc. Quis ille esse a me dicetur, cujus poetæ par erit meo suffragio? ille Callimacho sane æquabitur. Callimachus fuit poeta Græcus, in primis elegans. Elegias et aliquot scripsit epigrammata. Floruit circa annum ab. U. C. 50. Ed. — *Fit Mimnermus*, de *Mimnermo* vid. sup. ad Epist. I, 6, 65. — *optivo*, quod sibi dari optaverit.

102. *Multa fero*, multa perfero, patior; debebat enim Horatius malis poetis, ne eos irritaret, *patientes* aures præbere carmina sua recitantibus. — *Idem, finitis*, etc. At nunc ego, carminum scribendorum studio deposito, et furore poetico ex mente excusso, aures (*patulas*) meas carmina prælegentibus (*obturem*) obturare ausim, quia id nunc fieri potest *impune*, adversariis nihil amplius, quod dente maligno carpant, habentibus.

106. Jam sequitur locus præstantissimus, quem non scriptores tantum, qui ea, quæ scribunt, ad rectam normam exigere volunt, sed etiam tirones, qui in iis, quæ in scholis scribunt et elaborant, recte et prudenter versari cupiunt, ante oculos habere, immo ediscere debent. Postquam scilicet Horatius breviter, sed vivis coloribus malorum scriptorum φιλαυτίαν adumbravit, futuris scriptoribus vel poetis tanquam in tabula proponit leges, quibus salubriores et sapientiores vix cogitari possunt. — *Ridentur, mala qui*, etc. Ridentur quidem mali poetæ, sed id non curant, immo mirifice sibi placent scribentes, etc. — *laudant quidquid scripsere beati*, laudant sua scripta,

Digitized by Google

At qui legitimum cupiet fecisse poema,
Cum tabulis animum censoris sumet honesti;
Audebit, quæcumque parum splendoris habebunt,
Et sine pondere erunt, et honore indigna ferentur,
Verba movere loco, quamvis invita recedant,
Et versentur adhuc intra penetralia Vestæ.
Obscurata diu populo bonus eruet, atque
Proferet in lucem speciosa vocabula rerum,
Quæ, priscis memorata Catonibus atque Cethegis,
Nunc situs informis premit et deserta vetustas:

se et suis versibus contenti. Ed. Obversata Horatio in hoc loco videtur descriptio Suffeni in Catull. XXII, 14, seqq. « Idem inficeto est inficetior rure, Simul poemata attigit; neque idem unquam Æque est beatus, ac poema quum scribit: Tam gaudet in se, tamque se ipse miratur. »

109. *Legitimum,* ad leges, quas in seqq. dedit, compositum, bonum. — *Cum tabulis,* etc. Bonus scriptor tabulas ceratas, in quibus scribat, eo animo sumet, quo severus et honestus censor sumit tabulas censorias; quemadmodum enim bonus censor notanda in tabulis censoriis notabit, ita bonus scriptor corrigenda in tabulis ceratis corriget. — *Audebit,* non dubitabit. — *parum splendoris habebunt,* parum elegantiæ habebunt; refer hanc locutionem ad *censorem,* qui Equiti Romano, *parum splendoris habenti*, (splendori, qui Equiti ob ejus divitias tribuebatur, non respondenti) *equum adimebat.* — *Et sine pondere erunt,* supr. Sat. I, 10, 54: « Versus gravitate minores. » — *et honore indigna ferentur,* et parum apta et concinna judicabuntur. — *movere loco,* ejicere, delere; accommodate ad censorem, qui *honore indignos* e senatu *movebat,* vel ejiciebat. — *Et versentur adhuc intra penetralia Vestæ,* et adhuc, tanquam in Vestæ sacrario, quod erat in ædium penetralibus, intacta et inviolabilia lateant, h. e. et adhuc intacta in scriptoris scrinio serventur.

115. *Obscurata diu,* etc. Junge: *Bonus* (poeta vel scriptor) *speciosa* (splendida, rerum speciem luculenter exprimentia) *rerum vocabula, quæ, priscis Catonibus atque Cethegis memorata* (usurpata), *informis situs et deserta vetustas nunc premit, populo,* cui illa *diu obscurata* sunt, *eruet* solers, *atque in lucem proferet.* — *priscis Caton..... M. Cato Censorius* (nat. U. C. 519, mort. 603,) dicitur *priscus,* quia priscorum morum fuit observantissimus; vid. supr. Od. III, 21, 11: « *prisci* Catonis virtus. » — *Cetheg... Cethegus* consul fuit U. C. 548. Cic. de Senect. 14: « M. vero Cethegum, quem recte Suadelæ medullam dixit Ennius, quanto studio

Digitized by Google

Adsciscet nova, quæ genitor produxerit usus.
Vehemens et liquidus puroque simillimus amni
Fundet opes, Latiumque beabit divite lingua.
Luxuriantia compescet, nimis aspera sano
Levabit cultu, virtute carentia tollet:
Ludentis speciem dabit, et torquebitur, ut qui
Nunc Satyrum, nunc agrestem Cyclopa movetur.
Prætulerim scriptor delirus inersque videri,

exerceri in dicendo videbamus etiam senem? » cf. eundem Brut. 18. — *quæ genitor produxerit usus*, quæ usus et progenuerit et publicaverit. Infr. in Epist. ad Pis. 71, 72 : « Quæ nunc sunt in honore vocabula, si volet usus, Quem penes arbitrium est et jus et norma loquendi. » — Idem bonus poeta dicitur *vehemens*, largiter fluens fervensque; accommodate ad amnem, qui est vehemens, quum largiter fluit. — *Vehemens*, duabus syllabis pronunciandum. — *liquidus*, non lutulentus, ut Lucilius Sat. I, 4, 11. — *Fundet opes*, per *opes* intellige verborum sententiarumque copiam atque ubertatem; infr. in Epist. ad Pis. 307 : « nil scribens ipse, docebo, Unde parentur *opes;* quid alat formetque poetam. » — *Luxuriantia compescet*, quæ in nimiam abundantiam excreverunt, recidet ut abundantes ramos in arboribus *luxuriantibus*. — *Levabit*, levigabit et expoliet, ut artifices et statuarii asperam materiem. — *cultu sano*, prudente, apto, scito. — *virtute carentia*, inelegantia, invenusta. — *tollet*, delebit; v. ad Sat. I, 4, 11.

124. *Ludentis speciem dabit*, etc. Poeta lascivius exsultantis speciem habebit, et circumagetur, sicut is, qui Satyrum vel Cyclopa saltat. — *moveri* jam est: saltare, ut infr. in Epist. ad Pis. 232 : « Ut festis matrona *moveri* (saltando circumagi, saltare) jussa diebus. » Supr. Sat. I, 5, 63 : « Pastorem saltaret uti Cyclopa, rogabat; » ubi vid. not. Virgil. Eclog. V, 73 : « Saltantes Satyros imitabitur Alphesibœus. » Videtur autem saltatio, quæ vocabatur *Satyrus* et *Cyclops*, tam pedum jactatione, quam membrorum agitatione et mobilitate fuisse concitatior et petulantior. Poeta igitur hac saltationis imagine expressit fere hoc: Quemadmodum is, qui Satyrum vel Cyclopa saltat, corporis membra modo huc, modo illuc jactat et agitat; ita is, qui versus pangit, verba modo huc, modo illuc transponere, flectere, variare, promovere et removere debet.

126. Jam stultus quidam et ineptus scriptor, se nihil curare, qualis habeatur, modo stultitia sua delectetur, respondet, et in hanc rem exemplum Argivi cujusdam hominis affert. Ille enim, quum ab insania, qua læto animo in vacuo theatro sedere, et, opinans, se egregios tragœdos audire, plaudere solebat, cognatorum cura refectus rediisset ad sese, pessimo consilio gratissimum mentis errorem sibi

Digitized by Google

Dum mea delectent mala me, vel denique fallant,
Quam sapere, et ringi. Fuit haud ignobilis Argis,
Qui se credebat miros audire tragœdos,
In vacuo lætus sessor plausorque theatro;
Cetera qui vitæ servaret munia recto
More; bonus sane vicinus, amabilis hospes,
Comis in uxorem, posset qui ignoscere servis,
Et signo læso non insanire lagenæ;
Posset qui rupem et puteum vitare patentem.
Hic ubi cognatorum opibus curisque refectus
Expulit helleboro morbum bilemque meraco,
Et redit ad sese: « Pol, me occidistis, amici,

demtum esse, questus esse dicitur.— *Prætulerim*, malim, ut v. 484: « præferat, » malit. — *iners*, ineptus. — *mea mala*, ea, in quibus ego deliro. — *vel denique fallant*, vel ad summum me ludant et decipiant. — *sapere*, sani judicii esse: Gall. *le bon sens*: infra 141, et Art. Poet. 309: «Scribendi recte, sapere est et principium et fons.» Ed. — *ringi*, vexare me et macerare, ut recte scribam. Ed. *ringi* proprie de canibus, qui, quum irascuntur et impetum minantur, rictu diducto dentes nudant.—*Fuit haud ignobilis Argis*, unde hauserit hanc narratiunculam Horatius, non constat. Fortasse rem, quæ circumferebatur, pro lubitu transtulit ad civem Argivum; idem enim de cive Abydeno refert Aristoteles de *Mirabilibus*. De aliis ejusmodi insaniæ exemplis vid. Lambin. et Gesn. — *servaret*, observaret, exsequeretur; de verbo *servare* pro: observare, vid. N. Heins. ad Sil. Ital. III, 380; hinc apud Virg. Æn. II, 427: « servantissimus æqui. » — *Et signo læso*, etc. Nec furtivos vini haustus ex læso lagenæ sigillo animadvertens furere et insanire in servos, sed iis, ut modo dictum est, ignoscere. — *Posset qui rupem et puteum vitare patentem*, ergo homo ille Argivus, præterquam quod in vacuo theatro spectator et plausor tragœdiarum, quæ non agebantur, fuit, non fecit ea, quæ alias facere solent mente capti, non præcipitem ex rupe se dedit, non se immisit in patentem puteum.

136. *Refectus*, curatus et recreatus. Ed. — *morbum*, insaniam, quam designat adjecta vox *bilis*; insani enim atra bile laborare dicuntur. — *helleboro meraco*, puro, mero, cui, ut vis ejus esset efficacior, nihil quidquam admixtum fuit. Similiter fere supr. Sat. II, 3, 82, avaris, quia modica hellebori parte nihil apud eos efficitur, *pars maxima* destinatur. — *redit ad sese*, sanam mentem recupera-

Digitized by Google

Non servastis, ait, cui sic extorta voluptas,
Et demtus per vim mentis gratissimus error. »
Nimirum sapere est abjectis utile nugis,
Et tempestivum pueris concedere ludum;
Ac non verba sequi fidibus modulanda Latinis,
Sed veræ numerosque modosque ediscere vitæ.
Quocirca mecum loquor hæc, tacitusque recordor;
Si tibi nulla sitim finiret copia lymphæ,
Narrares medicis: quod, quanto plura parasti,
Tanto plura cupis, nulline faterier audes?
Si vulnus tibi monstrata radice vel herba,
Non fieret levius, fugeres radice vel herba,
Proficiente nihil, curarier. Audieras, cui

vit.—*Pol*, abbrev. pro: per Pollucem! jurandi Romanis formula. Ed. —*per vim*, me non rogante, me invito. Ed.

141. *Nimirum sapere est*, etc. Jam Horatius transit ad hujus Epistolæ partem gravissimam. Ex poeta enim factus philosophus pectus ostendit sapientiæ præceptis præparatissimum. —*Nimirum*, rebus sic se habentibus, —*utile est*, satius est, —*sapere*; hic respondet Noster ad vers. 128. Ed. —*abjectis nugis*, modeste Horatius carmina sua vocat *nugas*, ut Catullus in primo carmine ad Cornelium Nepotem, v. 4: « namque tu solebas Meas esse aliquid putare *nugas*. » —*tempestivum pueris*, accommodatum puerili ætati. —*Ac non verba sequi*, etc. Ac non versuum ad fides Latinas temperandorum studium sequi, sed eos *numeros modosque*, (*numeri* et *modi* proprie de metro, quo versuum pedes ad certum rhythmum et certas cujusque versus leges inter se juncti suaviter decurrunt) h. e. eam normam concordem et perfectam, ad quam, qui *vere* felices esse cupiunt, vitam dirigere debent, cognoscere atque ediscere.

148. *Tacitusque recordor*, tacite mecum repeto, vel animo revolvo. —*finiret*, compesceret, placaret.

147. *Narrares medicis*, etc. De hac siti inexplebili tu sine dubio consuleres medicos; at, quæso, ueminine eam sitim, qua, quo plura habes, eo plura appetis, fateri cæcus audes?

149. *Monstrata*, summi jussa, præscripta a medico. —*fugeres*, nolles, recusares, *curarier*, supr. Od. I, 9, 13: « Quid sit futurum cras, *fuge* quærere, » et sic *fugere* pro: nolle, passim apud poetas.

151. *Audieras, cui rem dî*, etc. Sensus: Audieras nonnullos dicentes illum, cui divitias dii concesserint, jam sapientem fieri; et quamvis, dives factus, sapientior non evaseris, iisdem tamen monitoribus fidem adhibes. Ed.

Digitized by Google

Rem dî donarint, illi decedere pravam
Stultitiam; et, quum sis nihilo sapientior, ex quo
Plenior es, tamen uteris monitoribus îsdem?
At si divitiæ prudentem reddere possent,
Si cupidum timidumque minus te; nempe ruberes,
Viveret in terris te si quis avarior uno.
Si proprium est, quod quis libra mercatus et ære est,
Quædam, si credis consultis, mancipat usus:
Qui te pascit ager, tuus est; et villicus Orbî,
Quum segetes occat, tibi mox frumenta daturus,
Te dominum sentit; das nummos, accipis uvam,
Pullos, ova, cadum temeti: nempe modo isto

— *Audieras cui*, etc. Nec raro apud nos ad vim divitiarum notandam auditur. — *illi decedere*, ab eo fugere et recedere. — *quum sis*, quamvis sis. — *monitoribus îsdem?* qui divites stultitiæ expertes esse aiunt. — *nempe*, tum sane.

158. *Si proprium est, quod quis libra mercatus et ære est*, etc. Sensus: Si id, quod quis per æs et libram mercatus est, propria ejus fit possessio; quædam etiam, ut contendunt jurisconsulti, (*mancipat usus*) usucapione fiunt propria; igitur ager qui te pascit quasi tuus fit usucapione. Res, quæ solemni emtionis confirmandæ ritu quinque testibus et libripende (libram tenente) præsentibus venduntur, fiunt *res mancipi* (præ: mancipii,) h. e. cedantur a venditore emtoris *mancipio*, h. e. propriæ possessioni, vel, ut jurisconsulti loquuntur, *dominio*; — *mancipat usus*, qui fructum ex aliqua re capit, is hoc fructus inde capiendi usu (non est hic usucapione) rem suam et propriam facit. Ed. — *tuus est*, tanquam tuo agro frueris.

160. *Villicus Orbî*, Orbius, homo dives et dominus, ut videtur, prædii, habebat villicum, qui fruges in prædio natas et alia ibi provenientia vendebat.

161. *Segetes*, intellige agrum vel terram, quæ ad semina accipienda occa subigitur; Cic. in Frag. apud Non. c. 4, p. 421: « *Segetes* agricolæ subigunt, ante et postquam severint. » — *daturus*, suppeditaturus, venditurus. Nonnulli *daturus* pro: venditurus, non ferentes, recte legunt *daturas*, oblaturas. Ed. — *Te domin. sentit*, tibi fruges agri, tanquam ejus domino nasci intelligit; sive, te, dum accipis agri fruges, ejus quasi dominum cognoscit. — *cad. temeti*.... *temetum* est quoddam potus genus, sive ex vino, sive ex aliis liquoribus comparatum, quo facile incalescunt potores. — *nempe modo isto Paulatim mercaris agrum:* est quidem *Orbius* dominus totius agri, quem, magna pecuniæ

Digitized by Google

Paulatim mercaris agrum, fortasse trecentis,
Aut etiam supra, nummorum millibus emtum.
Quid refert, vivas numerato nuper, an olim?
Emtor Aricini quondam Veientis et arvi
Emtum cœnat olus, quamvis aliter putat; emtis
Sub noctem gelidam lignis calefactat ahenum;
Sed vocat usque suum, qua populus adsita certis
Limitibus vicina refugit jurgia; tanquam
Sit proprium quidquam, puncto quod mobilis horæ,
Nunc prece, nunc pretio, nunc vi, nunc sorte suprema,
Permutet dominos, et cedat in altera jura.
Sic, quia perpetuus nulli datur usus, et hæres

summa emtum, sibi proprium fecit; sed tu quoque es dominus eorum, quæ, quoties opus est, ex illo agro emta tibi propria facis; et sic non conjunctim quidem et una emtione totum agrum, sed ejus quasi particulas parvo pretio paulatim mercaris.

166. *Quid refert*, etc. Sensus et nexus: Quid refert, utrum pro frugibus quibus vesceris, nuper, an olim pecuniam numeraveris? Is enim, qui non nuper, sed (*quondam*) olim agrum, vel prope Ariciam (oppidum trans montem Albanum), vel propè Veios (Etruriæ oppidum) situm, emit, pariter ac tu emtum olus, quamvis rem aliter sibi fingit, cœnat, et emto ligno ahenum calefactat; at idem tamen, in agrum suum usque ad arborem terminalem prospiciens, *hæc mea sunt*, ait, tanquam quidquam proprium et perpetuum sit, etc.

167. Perperam plures particulam *quondam* ad agrum Aricinum et Veientinum referunt; jam enim ei, qui *nuper* vel quotidie fruges agri alicujus emit, opponitur agri dominus qui olim (*quondam*), ante plures annos, agrum mercatus est. — *ahenum*, aqua, ut videtur, impletum.

170. *Usque*, vel est: subinde, identidem; vel referendum ad *qua*, usque eo, quo. — *populus adsita*, non raro pro saxis terminalibus arbores terminos agri definire et constituere solebant; Virgil. Eclog. IX, 9: «Usque ad aquam, et veteris jam fracta cacumina fagi.» cf. Varro de Re Rust. I, 15. — *refugit*, observa usum præteriti; adhuc refugit, et porro refugit; adhuc amovit et porro amovet. — *jurgia vicina* pro: vicinorum, ut v. 174, *altera jura* pro: jura alterius. — *proprium*, firmum, stabile, perpetuum, vid. Lambin. — *prece*, per donationem precanti concessam. Ed. — *sorte suprema*, morte domini. Ed.

175. *Hæres Hæredem alterius supervenit*, (trudit, propellit), *velut unda undam*; in voce *alterius* offen-

Digitized by Google

Hæredem alterius, velut unda supervenit undam,
Quid vici prosunt, aut horrea? Quidve Calabris
Saltibus adjecti Lucani, si metit Orcus
Grandia cum parvis, non exorabilis auro?
Gemmas, marmor, ebur, Tyrrhena sigilla, tabellas,
Argentum, vestes Gætulo murice tinctas,
Sunt, qui non habeant, est, qui non curat habere.

derunt Bentleius et Cuninghamus; ille igitur emendavit *alternis*, hic *ulterior*; sed neutrum opus est; hæres a præcedente possessore accipit hæreditatem, quam ille pariter ab *altero* acceperat; non sermo est de duobus tantum hæredibus, sed de longa hæredum, invicem se excipientium, serie. — *vici*, plures inter se junctæ domus rusticanæ cum stabulis; ejusmodi *vicum* se vendere velle Terentia ad Ciceronem scribit Epist. ad Fam. XIV, 1; *vicus* a *pago* differt sic, ut *pagus* tantum de rure, *vicus* de rure et urbe simul dicatur.

177. *Quidve Calabris*, etc. Quidve prosunt Lucani saltus ad Calabros usque saltus procurrentes; — *adjecti*, h. e. *porrecti, continuati*, ut loquitur Hor. supr. Od. III, 16, 40-43. Per *saltus* intellige pascua; vid. Ernest. in Clav. Cic. s. v. *saltus*. — Vet. Schol. ad h. l. « latifundiis porrectis per plurimos montes. Est autem Calabria præter cæteros reditus etiam rei pecuariæ et lanarum mollium ferax. » — *metit*, eleganter *metere* ab iis, qui segetes demetunt, transfertur ad eos, qui vi, cui resisti non potest, sine discrimine obvios quosque cædunt atque prosternunt, et nunc ad Orcum, *grandia cum parvis* sine miseratione rapientem atque auferentem; cf. supr. ad Od. IV, 14, 31. Cic. Tusc. Quæst. III, 25: « vita metenda, ut fruges. » — *Grandia cum parvis*, sæpius hanc sententiam variavit Horatius, vid. supr. ad Od. I, 4, 13. — *non exorabilis*, similiter supr. Od. II, 3, 4, Orcus dicitur « nil miserans » et Pluto supr. Od. II, 14, 6: « illacrimabilis. »

180. *Marmor, ebur*, artis opera e marmore et ebore facta. — *Tyrrhena sigilla*, statuas Etruscas. — *tabellas*, picturas. — *Argentum*, vasa argentea, etc. — *vestes Gætulo murice tinctas*, vestes, stragulas, peripetasmata tincta colore purpureo. — *murice Gætulo*, capto ad littora Africæ; *Gætulia*, pars Lybiæ interioris, pro tota Africa; supr. Od. II, 16, 35, murex, e cujus succo eliciebatur color purpureus, dicitur *Afer: te bis Afro murice tinctæ lanæ*. — *Sunt, qui non habeant*, quamvis habere cupiant, — *est, qui non curat habere*, ad vulgarem loquendi normam debebat post *est, qui* sequi: *curet*; sed Horatius ad Græcæ linguæ indolem post *est, qui*, vel *sunt, qui*, (ut in primo statim Odarum Carmine v. 4, *sunt, quos juvat*) passim subjungit indicativum; vide, quæ de hoc loquendi usu disputat *Heindorf* ad Sat. I, 4, 24.

Digitized by Google

Cur alter fratrum cessare, et ludere, et ungi,
Præferat Herodis palmetis pinguibus; alter,
Dives et importunus, ad umbram lucis ab ortu
Silvestrem flammis et ferro mitiget agrum,
Scit Genius, natale comes qui temperat astrum,
Naturæ deus humanæ, mortalis in unum-
Quodque caput, vultu mutabilis, albus et ater.

183. *Cur alter fratrum cessare, et ludere, et ungi, præferat*, etc. Sensus et nexus : Diversa plane sunt hominum ingenia ; et hæc diversitas in fratribus adeo locum habet ; non raro enim accidere solet, ut alter sit mollis et prodigus, alter laboris patiens et avarus ; unde repetenda sit hæc naturarum diversitas, vitæ nostræ comes et naturæ humanæ moderator perspectum habet Genius.

183. *Alter fratrum*, cogitavit fortasse Horatius de duobus illis fratribus, Micione et Demea, apud Terentium in Heaut. sed accipi quoque potest de quibusvis aliis fratribus. — *cur cessare*, etc. cur otiari, delicias facere et unguentis delibui malit, quam possidere pinguia Herodis palmeta. — *urigi*, unguentis, ut satis constat, nitere solebant elegantiores et venustiores. — *Herodis palmetis pinguibus..... palmeta*, loca palmis consita, (ut *myrteta*, *querceta*) quæ Herodes, rex Judææ, in regione ad Hierichuntem habebat, ad pretiosissimas præstantissimasque possessiones pertinuisse, ex hoc ipso loco apparet ; dicuntur *pinguia*, vel ob opobalsami, quod magno pretio vendebatur, copiam, vel ob pinguis agri fœcunditatem, ut *horti pingues* apud Virgil. Georgic. IV, 118 ; *pinguis Phrygia*, supra Odar. II, 12, 22.

185. *Importunus*, improbo et irrequieto labore se macerans et fatigans. — *ad umbram lucis ab ortu*, ab solis ortu usque ad ejus occasum, per diem solidum. — *agrum sylvestrem*, sentibus et vepribus obsitum. — *flammis*, comburendo ea, quæ fertilitatem impediunt. — *ferro*, rastro. — *mitiget*, molliat, domet, (ut *rastris terram domare* apud Virg. Æn. IX, 608) fœcundum reddat. Cic. de Nat. Deor. II, 52 : « Indus vero, qui est omnium fluminum maximus, non aqua solum agros lætificat et *mitigat*, sed etiam eos conserit. »

187. *Scit Genius*, etc. locus classicus de *Genio* ; nam quid senserint statuerintque veteres de hoc deo, tribus versibus complexus est Horatius : 1° Genius hominem, cui additus est comes, ubique sequitur ; 2° (*astrum natale temperat*) mala, quæ portendit astrum, sub quo quis natus est, amolitur et procurat ; bona, quæ affulgent, promovet et adjuvat ; 3° *Naturæ Deus humanæ*, mire hæc verba explicant ; simplicissimum est : Deus quidem, sed humanæ naturæ, h. e. morti, æque atque homo, obnoxius ; hinc additur *mortalis in unumquodque caput*, h. e. mortalis est, cum unoquoque, quem in vita comitatus

Digitized by Google

Utar, et ex modico, quantum res poscet, acervo
Tollam; nec metuam, quid de me judicet hæres,
Quod non plura datis invenerit; et tamen idem
Scire volam, quantum simplex hilarisque nepoti
Discrepet, et quantum discordet parcus avaro.
Distat enim, spargas tua prodigus, an neque sumtum
Invitus facias, neque plura parare labores;
Ac potius, puer ut festis quinquatribus olim,
Exiguo gratoque fruaris tempore raptim.
Pauperies immunda domu procul absit: ego, utrum

est, redit eo, unde missus est; alii explicant: Deus qui humanam naturam specialiter fovet ac tuetur; 4° (*mutabilis, albus et ater*) iratus est, si homo repugnat; mitis, si homo seregi patitur. — Alii intelligunt: qui varius est pro variis hominum generibus. Ed.

190. *Utar*, fruar sc. quæsitis. — *nec metuam*, nec curabo. — *non plura datis*, vel: non plura iis, quæ mihi data, nec a me aucta sunt, (plurimam bonorum, quæ possidebat Horatius, partem *dederat* Mæcenas, supr. Epod. I, 31: « Satis superque me benignitas tua Ditavit ») vel simpliciter: non plura iis quæ a me moriente illi dantur, relinquuntur. Ed. — *et tamen idem Scire volam*, et tamen idem ego probatum ibo, me scire et didicisse, quantum homo in vitæ simplicitate et hilaritate acquiescens a prodigo et luxurioso, et avarus ab homine parce vivente differat. Horatius igitur medium inter utrumque vel auream mediocritatem sequi vult. Similiter supr. Epod. I, 32, sqq. « haud paravero, Quod aut avarus ut Chremes, terra premam, Discinctus aut perdam ut nepos. »

197. *Quinquatribus... quinquatria* (um, orum), dies festi et læti in Minervæ natalis honorem celebrati, et, quia id fiebat per quinque dies, vel post diem quintum Iduum Martiarum, *quinquatria* dicti; vid. Ovid. Fast. III, 809, seqq. « Fuerunt hi dies pueris gratissimi jucundissimique, quia, donec *quinquatria* durabant, feriæ in scholis erant; » copiose de *quinquatribus* disputavit Marc. Donatus ad Liv. XLIV, 20. — *olim*, exempli causa, supr. Sat. I, 1, 25: « ut pueris olim dant crustula blandi Doctores. » — *raptim*, supr. Ep. XIII, 3, 4: « *rapiamus* amici Occasionem de die. »

199. Horatius, vitæ felicitatem mediocritate metiens, uti non expleudescere divitiarum copia, ita non æva paupertate premi, sed, ut pulchre v. 204, dicit, « primorum extremus, et prior extremis esse voluit. » — Locus elegans, sed in omnibus editionibus male acceptus et depravatus: « Pauperies immunda *domus* procul

Digitized by Google

Nave ferar magna, an parva, ferar unus et idem. 200
Non agimur tumidis velis aquilone secundo;
Non tamen adversis ætatem ducimus austris;

absit : ego, utrum Nave ferar magna, etc. » Ubi quorsum, obsecro, *Domus*, quum de *nave* hic sermo sit? absurdum utique, in eadem comparatione primo *domum*, postea *navem* ingerere. Nimirum hoc bellum emblema librariorum liberalitas subministravit. Vetustissimi nostri Grævianus Vossianusque non agnoscunt τὸ *domus;* sed mutilum versum exhibent, « Pauperies immunda procul absit : ego utrum ». Editiones autem priscæ inversa verba collocant, « Pauperis immunda procul domus absit » : ut vel hinc subodoretur, qui nasum habet, illud *domus* a mala manu interpolatum esse. Tollit omnem dubitationem codex eximius inter Pulmannianos, in quo sic verbum geminatur, « Pauperies immunda *procul procul* absit; ego utrum Nave ferar magna, etc. » Rectissime : quippe ubique fere, quum geminandum erat vocabulum, alterum omittebant librarii ; unde postea pro lectorum captu hiatus explebatur. Infinita hujus exempla tibi suppeditabit Nic. Heinsius in notis ad Ovidium et alios. *Procul procul*, eleganter, et ex formula ; ut Græcis Ἐκὰς, ἐκάς. — Ovid. Fast. II, 623 : « Innocui veniant : *procul* hinc *procul* impius esto » ; Virg. Æneid. VI, 258 :... *procul* o *procul* este profani » ; Statius, Silv. III, 3, 13 : « . . . *procul* hinc *procul* ite nocentes » ; Ovid. Met. VIII, 589 : « . . . *procul* en *procul* una recessit » ; et XV, 587 : « . . . *procul* ah *procul* omina, dixit, Talia, dî pellant ». Poteris etiam sic refingere, « Pauperies immunda procul, *precor* absit. » Hæc enim a librariis sæpe confunduntur. Ovid. Heroid. XVII, 220 : « Delicti fies idem reprehensor et auctor. Terra, *precor*, vultus obruat ante meos » ; ubi codex veterrimus Puteanus aliique, *procul* pro *precor*, substituunt, reste Heinsio. Bentl. — Lambinus alicubi legerat *domu* pro *domus* : neque dubito, quin ea vera sit lectio. Est etiam *domu* apud Cornelium Nepotem, et Plautum. Bentleius de sua conjectura posuit *procul, procul absit* pro : *domu* procul absit. Bax. — Si quid mutare velim, pro *domus* vel *domu* ponam *modo :* quod permutari sæpius observat Bur. ad Ovid. Art. I, 361. *Procul* repeti, nimis hic Tragicum, vel Paratragicum potius ; sed nec *domus*, nec *domu* damnare ausim. Ges.

201. *Tumidis velis*, felix est navigatio, quum ventis secundis adspirantibus vela tument ; cum hac apte comparatur felix vitæ cursus eorum, quibus omni rerum copia abundantibus omnia nunc ex voto cedunt ; sed quemadmodum navigantibus venti secundi, ita divitibus timenda est fortunæ secundæ mutatio ; hinc supr. Od. II, 10-24 : « sapienter idem Contrahes vento nimium secundo Turgida vela. » — *Non tamen adversis*, non tamen rebus adversis vel fortunæ iniquitate premimur ; — *ætatem ducere*, pro : agere ; sic Virg. Æn. II, 644 : « Me si cælicolæ voluissent *ducere vitam*. »

Digitized by Google

Viribus, ingenio, specie, virtute, loco, re,
Extremi primorum, extremis usque priores.
Non es avarus: abi. Quid? cetera jam simul isto
Cum vitio fugere? caret tibi pectus inani
Ambitione? caret mortis formidine, et ira?
Somnia, terrores magicos, miracula, sagas,
Nocturnos lemures portentaque Thessala rides?
Natales grate numeras? ignoscis amicis?
Lenior et melior fis accedente senecta?
Quid te exemta juvat spinis de pluribus una?
Vivere si recte nescis, decede peritis.
Lusisti satis, edisti satis, atque bibisti;

— *specie*, externo rerum in oculos cadentium habitu; — *loco*, dignitate; — *re*, sc. familiari. — *Extremi primorum*, translatum a ludis gymnicis; cf. supr. Sat. I, 1, 116.

205. *Non es avarus: abi*, si ita agis et sentis, haud avarum te judico, sed te, ut absolutum hujus vitii, abire et porro res tuas ita agere jubeo. — *quid*? at num cetera vitia, etc. Ed.— *isto Cum vitio*, sc. avaritiæ; *fugere*? e pectore tuo pulsa cessere? — *caret tibi pectus inani Ambitione*, nemo, puto, cui inest animus erectior, locum sequentem legere potest, quin Horatium ut sapientissimum virtutum, quæ in morum doctrina tractantur, magistrum et admiretur et veneretur!

208. *Somnia*, etc. pro superstitione in universum nominat superstitionis quædam genera, *Somnia*, etc. *miracula*, portenta, ostenta. — *Nocturnos lemures*, Ovid. Fast. V, 483: « animas dixere silentum. » Intellige spectra et alia, quæ quis se in tenebris videre opinatur; quorum avertendorum causa a Romanis instituta sunt *Lemuria*, per tres dies celebrata, vid. Ovid. l. l. a vers. 421.—*portentaque Thessala*, in Thessalia fuit quasi officina venenorum et herbarum, quibus utebantur venefici ad ludendos homines superstitiosos. — *grate*, dum grato animo in memoriam revocas, quæ divinitus tibi contigerunt munera. — *spinis de pluribus.... spinæ* translate de vitiis, quæ animum lacerant et pungunt.

213. *Decede peritis*, de via excede peritioribus, h. e. locum relinque iis, qui te rectius et sapientius vivunt.— *Ludere, edere, bibere*, conjunctim de iis, qui corporis voluptates sectantur; *ludere*, genio suo indulgere in quibusvis rerum ludicrarum generibus; ad poesin referri nequit, nam sermo est de hominibus, qui *recte vivere nesciunt*. Antiquiora exempla de hac expressa sententia vid. apud Lambinum. — *Tempus abire* (*decedere*

Digitized by Google

Tempus abire tibi est; ne potum largius æquo 215
Rideat et pulset lasciva decentius ætas.

v. 215) *tibi*, ut convivæ saturo, (cf. supr. Sat. I, 119) ne, si nimis largiter te invitaveris potu, pueris te ebrium et temulentum petulantius tractantibus sis ludibrio. — *potus*, qui largiter potavit. — *lasciva decentius ætas*, pueri, quos magis, quam senes, decet lascivia.

Analysis. In hac Epistola Horatius se Julio Floro querenti, quod nec Epistolam nec ea carmina quæ promiserat misisset, excusat, varias afferens rationes, cur in scribendis versibus negligentior sit. Primo natura cessator ac desidiosus est; et quum hoc Horatii vitium bene noverit Florus, ejus conditionem accipere debet. Deinde iis labor convenit, qui paupertate premuntur; at poetæ nostro, etsi non diviti, is tamen est rei familiaris modus, ut quiescere possit, nec iterum ad agendum sollicitetur. Præterea in Urbe scribere difficillimum est, ob tumultum et plurima negotia. Adde quod poema res est magni operis, multæque difficultatis. Denique jam in ea ætate poeta est, ut cogitare potius debeat de moribus recte componendis et exstirpandis cupiditatibus, quam de versibus pangendis. Finit Horatius nonnulla ad sapienter vivendum præcepta exponendo. Ed. — Hæc Epistola, in qua egregie expressa est ratio, qua ad se invicem scribere solent familiarissimi, non sine summa voluptate legi potest. Mirifice inprimis delectat descriptio mangonis, servum, quem venditurus est, mercatorum more verbosius emtori commendantis; tum narratio de milite quodam, qui, quum noctu omni pecunia privatus de integro sibi parasset, unde viveret, nulla deinde adhortatione, nullaque largissimorum præmiorum promissione ad nova virtutis bellicæ edenda specimina se adduci passus est. Ed.

Digitized by Google

EPISTOLA III.

AD L. C. PISONEM EJUSQUE FILIOS;

SIVE, UT VULGO INSCRIPTA,

DE ARTE POETICA LIBER.

PROOEMIUM[1].

Nescio an opus quodvis aliud reperias, de quo tot et tam diversæ, singulari quodam fato, sententiæ exstiterint, quam de hac Horatii Epistola. Quæ tamen si fuerit ceteris Epistolis annumerata, ut doctissimo cuique placet, titulusque deletus ille adscititius, *De Arte Poetica liber*, jam nulla erit causa, cur eam maligna adeo et ancipiti luce dispexerint interpretes, tum antiqui, tum recentiores, ut plerique ad verum sensum cæcutiverint. Nec certe apud commentatores vel novissimos vetustatis auctoritatem falsa hæc haberet opinio, nempe Horatio id in primis fuisse propositum, ut suas cuique poeseos generi leges redderet; aut peculiares arti dramaticæ regulas exponeret, aut in Romanos auctores, et scenicos quidem, quasi censuram ageret, quanquam hoc utrumque viris eruditissimis *Le Batteux* et *Hurd* placuisse sentio; dum simpliciter Epistolam scriberet Noster, in qua, si ad mentem

1. Hæc excerpta sunt, et pæne ad verbum conversa ex German. Cl. *Wieland*, Horat. Epist. Dessaviæ, 1788.

Digitized by Google

ejus respexeris, non magis poeticam artem docere videbitur, quam in Epistola ad Augustum Romanarum literarum historiam, aut in prima ad Mæcenatem morum scientiam evolvere velle visus est. Inde omnia ista, quam sollerter, tam operose excogitata, quæ sensum aut præpediant, aut extricent, nobis non ventilanda forent, quæ profecto, ut sibi prorsus aliena, « leviter curet » Horatius, tam doctæ sedulitatis securus. Quid multa? sublatum, ut supra diximus, titulum oportuit, ad quem docti offenderunt viri, nec jam iis opus fuisset tanto labore Epistolam scrutari, dum cuperent « plura datis invenire, » et longe a recta, quam monstrabat auctor, via deflecterent.

Fusius ea de re disseruit Cl. *Eschenburg* (not. 1 ad Commentar. doctissimi *Hurd* in hanc Epist.), quam ut mihi quidquam sit addendum. Attamen omnium quamvis interpretum errorem vir sagacissimus notaverit, et ad verum de hac Epistola judicium proxime videatur accedere, equidem nequeo, pro virili parte, non impugnare sententiam istam : « nemini scilicet dubium fore, quin maxima pars hujus Epistolæ ad theatrales fabulas spectet. »

Quum enim hanc Epistolam sæpius ac sæpius perlegerem, doctissimos interpretes in illa explananda plerumque cespitasse ; viros item eruditissimos *Le Batteux* et *Hurd* eam fere totam ad dramaticam seu poeticen, seu criticen retulisse, eo magis mirabar quod, etsi attentius opusculum recognoscebam, ne quartam quidem illius partem ad scenam pertinere, comperirem. Neque intelligebam omnino quid causæ esset, cur Horatius, dum scenicos auctores vel edocere, vel carpere studeret, hanc potissimum eligeret viam; cur toties ab itinere proposito, ac minima de causa recederet, neque ullam fere haberet servandi ordinis curam; quanquam, ut bene novi, epistolæ indiligentiori stylo ad amicum scriptæ, in pretio quoque est inaffectata jucunditas.

Digitized by Google

Mihi contra perspicuum erat, longe aliud in hoc opusculo consilium Horatio fuisse, nedum ad scenam unice respiceret; pauca tantummodo ad poeticen dramaticam referri debere; et quæ habebantur comicis tragicisve auctoribus constitutæ leges, non nisi exempla esse a theatro translata, quibus illustrarentur regulæ, quum ad poeticam compositionem quamlibet, tum etiam ad illud poeseos genus accommodatæ, quod in rebus narrandis peculiariter versatur.

Ne lectorem vero diutius in tenebris detinere videar, jam « qua sub luce videri velit » hæc Epistola, aperte dicam.

Hanc, ut ceteras omnes Horatii Epistolas, undequaque postquam inspexi; veram, credo, ut sensum assequerer, viam deprehendi, prius a Cl. *Shaftesbury* monstratam, quæ doctissimos interpretes latuit, ob id unum, quod ipso Horatio subtiliores fuerint.

Poeta nimirum sæpenumero ab alio poeta rectius intelligitur, quam ab iis interpretibus, qui ad θεωρίαν artis unice intenti, quidquid de aliqua re *proprie* ponitur, hoc item ad alias res *communiter* pertinere existimant; atque dum generalia sectantur præcepta, id, de quo privatim nunc agitur, ita negligunt, ut, exempli gratia, epistolam, qua monetur adolescentulus, ne malos versus factitare gestiat, absolutum de arte dramatica librum habeant.

Ex omnibus igitur Horatii Epistolis, quas hactenus interpretandas suscepi, pro indubitato posui, scriptam ideo fuisse nullam, ut in lucem ederetur: verum unamquamque, cuidam homini certa quidem de causa privatim nuncupatam fuisse, ut quidquid mandatum sit, ad istum hominem, ejusque cum poeta commercium, peculiariter referri et possit, et debeat. Neque in singulis Epistolis quædam rerum veluti vestigia, aut manifesta defuere indicia, quibus mea confirmaretur ὑπόθεσις. Si quis autem objecerit mera tantum conjectura, et res, et Epistolæ cujusque propositum, me assequi

Digitized by Google

potuisse, non negabit tamen ad tuendam opinionem meam hoc unum satis valere, quod, quidquid obscurum vel dubium sit, per eam illustretur, et ita vero simile fiat, ut ne quid magis. Quid, si item esset de hac ad Pisones Epistola? Equidem persuasum habeo mox clarum dilucidumque sensum ejus fore, si paulo diligentius fuerit disquisitum, qua de causa, quove consilio privatim ad Pisones Noster scripserit, quod certis sane indiciis apparere arbitror, plurimisque hujus Epistolæ locis, ad quos respicere adhuc interpretes minime dignati sunt.

Primum igitur, meo de more, qui qualesque fuerint ii, quibus scribit Horatius, sedulo inquirendum censeo, ut inde clarior sensus eluceat.

Etsi de Pisonibus ipsa in Epistola nihil ferme aliud, præter nomen, occurrit; verba enim aliquot honoraria, vel parvi, vel nullius momenti puto: vix tamen dubitandum est quin Piso ille pater idem cum L. Calpurnio Pisone fuerit, qui anno U. C. 739 consulatum gessit, M. Livio Druso collega; deinde fuit Pamphyliæ præfectus, et anno 743 ab Augusto, qui valde ei confidebat, in Thraciam missus, ut seditionem compesceret a quodam Vologese, Bacchi sacerdote, motam, qui ab ipso deo se afflari simulans, multos fanatico errore correptos in bellum cogebat (Dio. I, 54). Quo tempore suam Velleius Paterculus historiam edidit, h. e. quadraginta annos et amplius post Epistolam hanc scriptam, Piso, jam ætate gravis, Urbis fuit præfectus, imperante Tiberio, apud quem plurimum valuisse creditur. Sic autem de eo Velleius, II, 98, 3: « Esse mores ejus vigore ac lenitate mixtissimos, et vix quemquam reperiri posse, qui aut otium validius diligat, aut facilius sufficiat negotio, et magis, quæ agenda sunt, curet, sine ulla ostentatione agendi. » En hac laude satis constare opinor, quis ille fuerit Calpurnius Piso, qui, gentilitio nomine suo quum singulis momentis admoneretur,

Digitized by Google

quales avi sui exstitissent, dum vigeret respublica, ea tamen indolis ingeniique facilitate fuit, ut quinquaginta annos in Augusti, immo Tiberii fiducia permanserit; quanquam propter ætatem hujus gratiæ habet excusationem, ut qui liberam rempublicam videre non potuerit. Item Seneca, qui nemini unquam mortuo adulatus est, hæc habet de eodem Pisone, Epist. 83 : « L. Piso, Urbis custos, ebrius, ex quo semel factus est, fuit : majorem partem noctis in convivio exigebat : usque in horam sextam fere dormiebat; hoc erat ejus matutinum. Officium tamen suum, quo tutela Urbis continebatur, diligentissime administravit. »

Poetica inter opuscula, quæ in Anthologia hodieque exstant, nonnulla quoque reperias Antipatri Thessalonicensis, nostro Pisoni nuncupata, unde conjici potest, eum poetæ illi præ ceteris patronum se gessisse. Unius vero epigrammatis locus est satis urbanus et elegans, dum carmen Pisoni mitteret, quo illius victoriam de Thracibus celebrandam susceperat : « Ad te, nunquam, ait, intempestive Musa venire potest : quantumvis negotio deditus sis, semper Musæ auris tua vacat. » Ex his et alio loco (ad Pis. Epist. v. 366), ubi Noster haud imperitum scriptorum judicem Pisonem fuisse innuit, non ita male vetus Scholiastes inferat, (ut est huic hominum generi judicandi mos, et eloquendi ratio); « Pisonem poetam quoque fuisse, et Musarum antistitem : » quæ verba sic explicari queant : « quum iis temporibus Romæ nemo non versus componeret, Pisonem ipsum carmina stylo satis eleganti nonnulla forsan exaravisse : nec non literarum se peritum æstimatorem præbuisse, quippe qui doctos viros in tutelam ac patrocinium, ut antea Mæcenas, libenter receperit. »

Quo tempore scripta hæc fuerit Epistola, licet certo definiri nequeat; conjiciendum est tamen eam Pisonibus fuisse missam, antequam L. Piso consulatum gereret, h. e. ante

Digitized by Google

annum U. C. 739. Tunc et Piso ipse florebat ætate, filiique ejus haud ita pridem ex pueris excesserant: etenim quum *juvenes* Noster eos appellat (ad Pis. Epist. vv. 24 et 366), nihil aliud quam *filios* voluit dicere, ut passim apud optimos auctores latinitatis occurrit. Quod si autem meminerimus anno 783, dum suam Velleius historiam conscriberet, Pisonem Urbis præfectum fuisse, non erit quod credamus filium ejus natu majorem togam virilem jam sumpsisse; verum ea in ætate esse, qua Romæ pueri nobiles ac liberaliter educati, præcipuam literis operam dabant.

Quibus positis, mihi in animum induco hanc fuisse occasionem scribendæ istius Epistolæ. Dum literis studeret Piso adolescentulus, poeseos illecebris delinitus, sibi temperare non potuit, quin versus ipse factitaret, non oblectationis quidem causa, ut solebant alii; ac ludum seriis, nec jam « ludo seria » verteret: quanquam perraro evenit, ut ad vesanam illam carmina fingendi libidinem, quæ plerumque in juvenes cadit, fortunatum ac dives accedat ingenium. Quum autem L. Piso, e clarissima apud Romanos gente oriundus, decus a majoribus traditum, quantum posset fieri, sub principum imperio cuperet retinere, metueretque filio, ne veniret in famæ discrimen, quod genus ejus minime deceret futuramque conditionem, eum a poeseos studio prorsus abstrahendum censuit. Gens Calpurnia, a Calpo, Numæ filio, ad id usque tempus nec bonum, nec malum poetam ullum, ut videtur, pepererat: quis adolescentulo sperandi locus, fore ut, e Calpurniis primus, in eo curriculo inclaresceret, in quo tanti laboris esset antecedentes æmulos assequi, nec turpe minus quam solemne, palmam quidem præsumere animo, viribus vero destitui. Ut omittam populi inauspicatissimum de juvenis ingenio judicium, si primam, qua nomen ejus innotuisset, fabulam sibila spectantium explosissent: qualem in fortunæ aleam « derisum semel ac

Digitized by Google

sinistre exceptum » duxisset misera versus effutiendi prurigo? qualem, quæso, in Augusti principis offensionem, qui nobiles Romanos adolescentes, non poetas esse omnino, sed elegantiori ingenio gratiosos, aut civili prudentia ornatos volebat. Literis quidem L. Piso delectabatur, quas, si non proprio ad id impulsus ingenio, coluisset saltem, ne cæteris pinguior crassiorque videretur; filium vero suum poetam se profiteri non cupiebat magis, quam saltatorem, quanquam saltatio liberalis educationis pars quoque est: immo etiam, quod ipse nonnunquam versus, oblectamenti causa, conderet, permagni ideo interesse censebat, ne poetæ fama, quasi hæreditaria, genti suæ adhæreret.

Ita sensisse, habita temporum ratione, vero simillimum arbitror, virum hujus conditionis, cujus fuit L. Piso. Immo, etiamsi filius ejus, inani poeticæ palmæ cupidine illectus, tantam publicæ existimationis jacturam non facturus fuisset, satis tamen erat periculi, ut Horatius adolescentulum iter melius doceret, quamque salebrosa, et aspera, et ardua foret, cui insistebat, via, commoneret, pro sua in patrem observantia, quo sane amicius utebatur, quam ut vellet operæ tantillum si denegare. Utrique autem nihil, quod ad id prodesse magis posset, aliud visum fuit, quam si idoneo quodam opusculo, præcipuæ artis poeticæ leges ac veluti arcana demonstrarentur. De quo etiam forte ab ipso adolescentulo rogatus Noster, totum suum opus ita disposuit, ut callide præcipuum tegeret consilium officii simulatione, illumque a poeseos studio abstraheret, dum ad poeticam artem informare videretur. Philosophica illa disserendi ratio, qua ceteris in Epistolis Sermonibusque fuerat usus, hic apprime congruebat. Nulla enim ordinis servandi necessitate impeditus (quæ licentia huic compositionum generi propria et peculiaris), jam liberius poterat evagari, et quaslibet narratiunculas aut episodia intermiscere, quibus verum obtegeret propositum,

Digitized by Google

et iis etiam, quibus non fuerat peculiariter scriptum, opus suum approbaret. Accedebat et hoc optimum, quod nova nimirum Nostroque, ut videtur, grata semper occasio esset, malos poetas, qui absurdius circumstrepebant, contemptim, ut par erat, deridendos propinandi, probandique eos, ne prima quidem artis elementa novisse, quam tamen ausi erant profiteri.

Quod si autem eam fuisse admiseris occasionem, idque consilium scribendæ hujus ad Pisones Epistolæ, omnia jam clara et perspicua, meo quidem judicio, et ad propositam rem senties accommodata. *Poetica* scilicet *ars* ista vulgo dicta, quæ, dum poetices veluti compendium habebitur, nihil nisi male nexum, et futile, et nugis ineptiisque infartum videbitur opus; jam fiet scriptum Horatio dignum, primumque inter ejus Sermones locum obtinebit; modo attenderis ad mentem poetæ, qui epistolam hanc scripsit ob id unum, quod, ex L. Pisonis voluntate, filium ejus a poetica deterritum vellet, dum ipsi, abstrusum quidquid habeat poesis, se explanaturum polliceretur. Fac igitur tale fuisse auctoris consilium, et intelliges profecto quid causæ sit cur non omnes poeticæ artis regulas, neque integras leges tradiderit. — Nimirum poeticen componere nequaquam voluit.

Cur in opusculo servandi ordinis rationem fere nullam habuerit. — Epistolam enim quum scriberet, non aliam ipse sibi legem operis fecit, quam ut institutum finem assequeretur, a quo nunquam recedit.

Cur de vitandis vitiis tam multus fuerit. — Pisoni nempe adolescentulo istiusmodi monitis præcipue opus fuit.

Cur loci, quibus revera poeseos arcana demonstrantur, nisi a peritis, intelligi nequeant, nec ullus unquam rudis ac tiro poeta ex ista epistola quidquam profecerit. — Scilicet ea mens Horatio nusquam videtur fuisse, ut adolescentulum ad poesim informaret.

Digitized by Google

Hinc demum patebit, qua de causa in pessimos quosque ætatis suæ poetas tam acriter invehatur; cur de cavendis poeseos illecebris periculisque sæpius ac sæpius moneat; adolescentuloque leges imponat adeo severas, ut mediocri etiam poetæ vix tolerabiles videantur, et subinde in vesanos scriptores, sic enim eos appellat, acerrimos sales inspergat: quibus omnibus dimidia fere pars epistolæ tenetur.

Etsi de istius epistolæ proposito quidquid sentiebam, ὑποθετικῶς ipse protuli, ita ut per me cuivis liceat opinionem meam non nisi conjecturis fultam nixamque existimare, confido tamen me viro cuilibet eam approbaturum paulo diligentius attendenti, quam incuriose, quam negligenter per totam hanc epistolam Noster evagari videatur, quanquam semper ad propositum tendit, immo etiam ab ipso operis initio festinat. Forsan et lectorem juvabit singula quæque hujus epistolæ loca obiter recognovisse, eo quasi duce et auspice, qui jamdiu Horatium pedetentim subsequitur.

Quum senties operis propositum assequi te non posse, nisi sedulo texeris quid tibi sit consilii, hoc sane optimum fuerit, si lectorem non præmonueris, quo velis eum perducere. Quare Noster nihil præfatus, adolescentulum sermonis novitate perculsum, Socratico de more in ipsam rem rapit, ab eo vitio, et turpissimo quidem, exorsus, quod omnium poetarum commune est arte et ingenio carentium. Nimirum infelices operis summa, totum aliquid ponere nesciunt; eorum incœptis plerumque assuuntur panni aliunde petiti: principium a medio, medium a fine discrepat; neque illa demum fingitur species, ut humana in facie, eo jucundior, quo aptius convenientiusque singulæ partes uni formæ reddantur. Quod autem ipse sibi Noster objicit: « Pictoribus atque poetis Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas; » hoc non nisi a tirone exspectare poterat, qualem fuisse juvenum majorem supra posuimus: respondetque afferendo

Digitized by Google

exempla, quibus verum esse præceptum clarius quidem apparet; sed nihil inde proficit adolescentulus, quum subtili et exquisito judicio cuilibet opus sit, ut eo præcepto bene uti sciat.

Horatius deinceps quibus plerumque modis in hoc *unitatis* præceptum offendatur, satis obscure quidem, facete vero recenset. Juvenes nempe delectat campos describere, et silvas, et alia id genus: pingendi occasionem, si qua forte fuerit, arripiunt celerrime, utrum locus tabulæ conveniat, necne, parum solliciti: nihil curant omnino, an operis proposito repugnet lectorem hic detineri; an alia quædam res obtegatur, quæ meliori erat in lumine collocanda, etc. Unde fit, ut opus ex auctoris manu exeat, ægrotantis somnio persimile, cujus singulæ partes sibi invicem non cohærent: formosum mulieris caput equinæ cervici jungitur: cupressus primum obtinet locum in tabula, qua misericordiam movere debuerat naufragus: postremo figulus, qui amphoram meditabatur, nihil effingit, præter exiguum vas.

Hoc etiam peccant sæpius juniores poetæ, quibus et felix ingenium deest, rectumque judicium, quod vitium aliquod dum fugiunt, in contrarium incidant: ne duri sint, mollescunt: ne serpant humi, nubes captant, quum in æquo semper et plano iis æquabiliter incedendum foret: turgent, dum grandia sectantur; et loquuntur absurda, dum nova proferre volunt: sunt etiam qui operi suo, quasi tabulæ, quo plures inducant colores, quove plures appingant res, vel minutissimas, eo plus jucunditatis afferre sibi videantur, hoc scilicet decepti, quod rerum colorumque varietatem semel placuisse animadverterint. Quæ omnia vitia, ex hoc, quasi fonte, oriuntur, quod res apte in animo sibi repræsentare nesciant, eoque careant judicio, quod, ut poetæ, sic viro cuilibet liberales artes excolenti, acerrimus omnium certissimusque sensus est: et eo quidem privari hominem quemvis

Digitized by Google

pronuntiare facile est; quis vero pretiosissimum illud munus, a natura negatum, dabit?

Ut pueros propter ignorantiam temerarios; sic nonnullos auctores reperias, puerilis adhuc ingenii, qui viribus majora audeant. Quapropter eos privatim monet Noster, ne quidquam curent componere, prius quam experti sedulo fuerint « quid ferre valeant humeri; » ne rem deligant, quam non diu perpenderint versarintque animo, et ita exploratam perspectamque habuerint, ut nusquam impares deficiant. Juvenis autem, qui nec res quibus in mediis versatur, nec semetipsum satis bene novit, et omnia ideo facilia ac perspicua putat, quod usu et experientia nunquam edoctus fuerit; quomodo certior fieri queat, se suis viribus non nimis confisum, neque in deligenda materia, quam tractandam suscepit, hallucinatum fuisse?

Fac tamen eum in hoc a primo gradu non impegisse; sunt etiam multa alia quæ desiderentur. Postquam rem elegit, electamque disposuit ita, ut totam eam, quam mente apprime tenet et complectitur, legentium oculis facile possit dicendo subjicere, subtile et exquisitum non minus judicium, in verborum delectu, loco et junctura, adhibeat necesse est. Hic paulisper digreditur Horatius, ad Romanos omnes potius, quam ad Pisones solos respiciens; probat scilicet verba pæne obsoleta, verecunde et sapienter usurpari posse, vilia nobilitari, nova quædam fingi, etc. et sic postremo concludit, ut ad ea, quibus utitur verba, nequeat diligenter satis attendere scriptor, laudis non secum perituræ cupidus; immo optare debeat sermonem, quo quid scribit, sibi superstitem non diu fore. Etenim si ad nostrum usque tempus latinam linguam Itali retinuissent, Virgilium Horatiumque non facilius Italis hodie intellectos iri crediderim, quam nunc Germanis poetas imperatoris Henrici VI coætaneos.

Digitized by Google

Non solum an pure et apte loquantur, sed etiam an versus diligenter et ad normam componant, parum curat tum juniorum, tum seniorum poetarum vulgus; quippe qui facillimum id, et minimi esse pretii putent, quod contra maximæ difficultatis est. Aurium enim sensu ac judicio non percipiunt, quid leporis ac venustatis sit in periodorum structura, in orationis numero, et verborum cum sententiis apte congruentium delectu: aut fecisse satis sibi videntur, quum versus molles canorosve condiderint, ignari omnino varios esse in versibus modos, variis animi affectibus accommodatos: minime propositum attingi, si seria res liquido ac rapido versu tractetur, et flebiles elegi levibus dactylis constent: inde non pauca in carminibus vituperanda, item non pauca laudanda occurrere, prout constitutæ leges observentur. Ea est multorum imperitia, ut nesciant, quæ diversæ versuum species diversis carminum argumentis apte congruant. Hoc levius tangit Noster, et quum malos poetas deridere potius, quam bonos informare velit, præcipuas postquam regulas perscripsit de verborum delectu, sermonis proprietate et versuum factura, pronuntiat demum neminem poetæ nomen affectare posse, nisi trium horum peritissimum: et, dum plerosque vel suæ, vel prioris poetas ætatis pessimos declarat, Pisoni adolescentulo se, ut solebant ceteri, non tanto labore carmina conditurum existimanti, scrupulum injicit, nimirum in poetica arte plus difficultatis esse, quam primum crediderat.

Hactenus de arte dramatica ne ullum quidem verbum: quum vero poetis Romanis, quos Noster carpit in primis, theatrum celebratissimi instar curriculi foret; in quo etiam Calpurnius juvenis palmam obtinere cuperet, ut pro certo supra posuimus; huc sensim se vertit Horatius, et præcipuas tractat artis dramaticæ regulas, et gravissima notat vitia, quibus plerumque laborabant auctores qui isti poeseos ge-

Digitized by Google

neri his temporibus præcipue curam impendebant. Quamvis enim, ut ex plurimis patet epistolæ locis, ad multa respiciat, quæ hodie non exstant, opera; ex eo, quo monita profert, modo, dicere haud dubitabimus, non hoc sibi proposuisse Horatium, ut Calpurnium juvenem fabulas componendas doceret, sed potius ut ipsi rectius de hujus generis operibus quotidie in lucem editis judicium suggereret.

Hac in epistola liberius, ut supra dictum est, vagatur Noster, nedum uno semper eodemque tenore procedat: perinde ac si cum amico deambulanti nullum aliud sit, præterquam deambulandi, consilium; parvique referat, quod ad contemplandam ruris amœnitatem, vel ad flores legendos paululum a recta deflectit, vel etiam opaca sub arbore aliquantisper requiescit, donec inter confabulandum ad itineris finem sensim deveniat. Nullo autem de argumento ita copiose dicit, ut amplius aliquid nunquam desideretur: nullam fere regulam adeo perspicue dilucidat, ut ea rudis novitiusque poeta facile et recte uti queat: sæpius a specie redit ad genus, nempe a comœdiis tragœdiisve ad aliam quamlibet poeticam compositionem; neque interim ullam pessimum quemque scriptorem obiter carpendi occasionem dimittit. Sic fere procedit ad hunc usque locum: « Tu quid ego et populus mecum, etc. » ubi jam tandem discipulum artis dramaticæ arcana velle videtur edocere: cujus nonnullas, et maximi quidem momenti partes tangit, ab iis præcipue: « Segnius irritant animos, etc. » ad hæc usque: « Neve minor quinto, etc. » sed hominis quatuor ætatibus, quam pulchre, tam breviter descriptis, ceterisque prætermissis, quæ jure locum in opusculo sibi vindicassent, si dramaticam artem peculiariter tractare voluisset, transit ad chori partes, quæ Romanis ex Græcorum fabulis sat innotuerant, et historice simul ac philosophice demonstrat a quibus initiis ad officium virile chorum Æs-

Digitized by Google

chylus traduxerit, et qua ratione ex veteris tragœdiæ choro, obscenisque cantilenis, Satyrorum ludus ortus sit. Si Poeticam Artem componendam Horatius suscepisset, minime profecto intelligam, cur isti levissimorum operum generi diutius quam comœdiæ tragœdiæve immoretur. Verum qui nihil agendum specialiter profitetur, is omni solutus officio dimittitur. Quum ratum definitumque Noster in mente habeat, quo scribi modo debeant Satyri, secum attentius considerat, quo rem ipse pacto aggrederetur, si unquam tractare vellet; et diutius iis hæret cogitationibus, haud secus ac si comes non adesset. Nec diffitemur, quidquid edisserit de sermone istis operibus aptiori, optimum utilissimumque fore viro cuilibet emunctæ naris, tale quidpiam scripturo: quid vero utilitatis juveni Calpurnio redundare poterat, si fusius de Satyris agendo omne imitatorum servum pecus in desperationem adduxisset?

Jam autem Noster vere stomachatur, tamque lepide, quam salse pessimum quemque scriptorem it lacessitum. Eos enim ab iis: « velut innati triviis, etc. » ad hæc usque: « Syllaba longa, etc. » adeo lacerat, ut miseros in poetas nemo unquam acriori flagello desævierit. Mox ad versuum facturam redit, et maligne discipulis suis, quanquam poetis, explicat, quibus syllabis constet iambus, quod sane pædagogus eos jampridem docere debuit: subinde non sine quadam indignatione Romanos reprehendit, quod aurium judicio careant, et veteres poetas ultra modum laudent mirenturque, veniamque poetis immerito concedant, quos « offendit limæ labor et mora »: eam demum causam esse, cur Romani in quovis genere poeseos, ac præsertim dramatico, Græcos, quorum semper vestigiis institere, non nisi longo sequantur intervallo.

Hoc enim præstantioris longe ac consummatæ artis putat, si opus sit emendatissimum, et juvenes Pisones quasi obte-

Digitized by Google

statur, per gentis decus (vos, o Pompilius sanguis, etc.), ne poeticum opus probent, nisi summa ope elaboratum, et ad unguem expolitum. Scilicet, ex Horatii judicio, Romani pluris natura insitas dotes, paucioris vero artem faciebant; quanquam poema nullum perfectum esse potest, nisi ars et natura coalescant amiceque conspirent; etenim Græci cæteros omnes ob id unum superavere, quod apud eos ad ingenii vim, studium et emendationis cura accesserint.

Totus ille locus a 313, *quo sit amore parens*, usque ad 370 *Messalæ*, optima quidem habet documenta et utilissima, de his quæ poetam forment alantque, de studiis quibus serio incumbendum sit, ut quidquid operis fingitur, id auctori longum in posteros ævum prorogare queat. Sed præcepta reperias ordine nullo disposita: omnia adeo confuse commiscentur, ut poeta non libertate grataque Epistolarum negligentia possit excusari; veniatque in mentem poetam hoc consulto ac de industria fecisse, ut adolescentulus incondita multitudine præceptorum impeditus, ac perturbatus, inde magis etiam intelligeret, quot quantæque essent poesos difficultates. Quod, etsi mirum primo videri potest, vero tamen simile fit, quum passim in hac tanta rerum confusione, quæ vix tolerabilis esset in *didactico* opere, manifesta perspiciantur subtilis consilii alicujus indicia, et certus ad propositum incessus. Si statim ab initio, quo tenderet, Noster nuntiasset, optatam nullo cursu metam contigisset: ad hanc igitur artem se convertit. Juveni, ad Parnassum iter exquirenti, sese ultro quasi ducem ac monitorem præbet: sed eum per viam adeo longam et asperam ducit, ut præ labore nemo non deficiat. Juvenis poeta deterretur, qui breve iter et facile putaverat; medio in itinere defatigatur. Suus eum ductor exstimulat, quiescere paululum sinit, et sensim ad hunc locum deducit, ex quo meta illa prospicitur, quasi jam in propinquo esset. Euntibus autem via lon-

Digitized by Google

gior ac difficilior fit; pulchrum illud templum, quod identidem apparebat, recedere longius videtur; interim ductor mœstum adolescentem usque manu trahens, cum eo tamen, non sine malignitate, loquitur de periculis, quæ non nisi singulari felicitate vitentur, indicat quibus in paludibus sæpe aberretur, qui montes asperi superandi sint, quo pudore ac damno affecti sint nonnulli, qui, eadem re suscepta, viribus atque animo defecerint; denique illum media in silva deserit, affirmando eum iter pergere posse, vel (quod sane tutius esset), ab incœpto desistere. Ea fere ratio est qua solet juveni illudere, cui ad Parnassum viam montraturum se pollicetur. Interdum tamen animos illi recreat erigitque, quos labore ac metu fregit: ne minor, neve quinto actu productior sit fabula, sedulo adolescentulum monet, quasi maximi momenti sit istius modi lex, quam pessimus quisque poeta, tam bene, quam ipse Æschylus, observare queat: docet quo componi modo debeant trimetri versus: fatetur delicta quædam esse, quibus ignoscendum censet, ut quæ humana parum caveat natura, etc. Tandem postquam ad aurem accessit, quasi rem magnam esset cum eo communicaturus, liquida voce insusurrat, poeta mediocri nihil esse miserius.

Jam ab hoc loco, verum Horatii propositum in hoc de Arte Poetica et poetis discursu, tam lucide apparet, ut legenti cuivis manifestum sit. Postquam tot et tam multa dixerat, ut quot quantæque sint in musarum arte difficultates, demonstraret, erat tamen quod sibimet ipsi adolescentulus aliqua ratione fucum adhuc faceret. Tacite ergo secum reputans; « recte, aiebat; ita sit; at mihi non opus est ut sim ex poetarum præstantissimorum numero; versus facio, oblectamenti causa. Multi alii tragœdias et comœdias, elegos aut iambos scripserunt, nec primum in Parnasso locum affectavere. Fac versus meos non politissimos esse, at

Digitized by Google

certe ingenium doctrina felicius! Ceterum non quivis tam severus, quam Horatius, carminum judex. Amici mei hæc poeseos rudimenta probaverunt; quibus certe hic et ille locus placuit, » etc. Omnia illa quibus labefactatum animum poeta firmasset, sensim argumenta confutat Horatius, et hoc quidem exquisita urbanitate. Immo etiam probat non juveni erubescendum esse quod musas diligat; sed nullam omnino viam relinquit, qua valeat effugere. Ne minimi quidem carminis condendi licentiam ipsi concedit. Nempe id illi judicium, ea mens, ut malis annumerari poetis minime velit. At si quid tamen olim scripturus sit, summopere caveat a mendacibus amicis, qui nunquam defuere poetæ cuilibet « agris diviti et nummis in fœnore positis. » Severiores judices consulat necesse est, et opus suum novem annis in scriniis repositum intus servet, ne emendandi operis jus citius amittat. Si vel minimum attenderis, quam impense Horatius juvenem amicum moneat de illis assentatoribus, vel derisoribus, severumque judicium adire jubeat, quoties novis semper argumentis ad emendandi necessitatem redeat, facile intelliges Horatium non ita bene de sui Pisonis ingenio sensisse. Non enim ille tam sollicite admonetur, qui sit eximiæ spei adolescens; neque de juvenum majori in totius hujus epistolæ contextu Noster unquam innuit, sibi magnam esse spem in adolescentulo Pisone, de quo nihil fere aliud, nisi quantum famæ discrimen in scribendo esset aditurus: cujus dedecoris metum ut illius animo vividius incutiat, malos poetas, finiendo tam misere habet, ut Piso sanandus omnino non fuisset, si hac ad Artem Poeticam introductione perlecta, locum in Helicone deinceps affectare perseverasset.

Utinam illud Horatii opusculum, quod nunc explanatum edimus, adolescentes, si qui sint adhuc Pisonis similes, eodem modo afficiat! Scilicet optimus is ex hac Epistola

Digitized by Google

fructus. : neque facile crediderim Horatium sibi aliud quid proposuisse; eo nempe modo cum adolescentulo Pisone agit, quo ipse, si sapies, cum tirone ac rudi poeta egeris: si deterrebitur, bene erit: sin autem perseverabit, certum erit documentum, eum natum esse, ut poeta sit, aut insanus.

Ita hujus ad Pisones Epistolæ consilium Cl. *Wieland* exposuerat, quum publici juris factæ sunt abbatis *Galiani* notæ in poeticam Artem, quam ceteris Epistolis recte quoque annumerat; sed in hoc fallitur, ut D. nostras *Batteux*, quod totum illud opusculum ad dramaticam poesim pertinere censeat, et ad tragœdiam in primis, quo nempe morbo Pisones ait tantum laborasse: nec levius peccat, dum nostrum affirmat de ceteris poeseos et inprimis Odarum generibus ne ullum quidem verbum fecisse, quanquam in hac ipsa Epistola legimus, v. 83 sqq. « Musa dedit fidibus divos, puerosque deorum, etc. » Nobis tamen religio fuerit vulgarium commentatorum numero hunc virum adscribere, qui interpretationum suarum novitate doctissimos quosque commovit, haud sane minus quam eos ipsos, qui sæculo nuper elapso philosophabantur, liberius audaciusque cogitata proferendo perculerat. Sed fateamur necesse est eum in locis intricatioribus enodandis, dum ad plurimos usus, nobis hodie non satis bene notos, respicit, a vero genuinoque sensu plerumque aberrare, ut qui nova eruendi proferendique in lucem cupidine longius abripiatur, nedum semper, ut de Nostro Fabius, felicissime audax videatur.

Alterius etiam commentatoris, cujus temeritatem non semel mirati sumus Bentleii scilicet animadversiones, et variorum notas, quæ maximi erant pretii, ad calcem hujusce epistolæ in Excursibus subjecimus, singulis in ipso notularum nostrarum contextu sedulo indicatis, quoad per brevitatem licuit; ne quid neglexisse videamur, quod ad hoc illustrandum opus prodesse queat.

Digitized by Google

EPISTOLA III.

AD L. C. PISONEM EJUSQUE FILIOS;

SIVE

DE ARTE POETICA LIBER *.

Humano capiti cervicem pictor equinam
Jungere si velit, et varias inducere plumas,
Undique collatis membris, ut turpiter atrum
Desinat in piscem mulier formosa superne,
Spectatum admissi risum teneatis, amici? 5

* Vid. Excurs. I, ad calcem Epist.

1. *Humano capiti*, etc. Poeta, qui aliquid fingit, cujus partes rei fictæ non conveniunt, similis est pictori, qui formam aliquam ex hominum et variorum animalium membris ridicule componit et effingit. *Primum* igitur, quod dat, *præceptum* est hoc: « Rei, quam describit poeta, omnes ac singulæ partes respondere et accommodatæ esse debent. » — *Humano capiti*, quale caput Hor. intellexerit, per *mulierem formosam* v. 4, designatur. — *cervicem*, eam colli partem quæ capiti juncta est. Virg. Georg. IV, 525: «Tum quoque marmoreo caput a cervice recisum.» Ed. — *et varias inducere plumas*, nonnulli hæc, deleta distinctione post *plumas*, non ad præcedentia, sed ad sequentia referunt, ut sit: et vării coloris pennas membris undique collatis appingere; *inducere* autem de pictoribus, qui penicillo colorem picturæ alicui illinunt vel immittunt; Plin. H. N. XXXV, 16: «Colorem inducere picturæ. » — *varias*, versicolores; sic sæpe *varius* (ποικίλος). — *Undique collatis membris*, h. e. membris a quovis animali translatis et ridiculæ speciei representandæ adhibitis; sic plane *undique* supr. Od. I, 16, 14: « Fertur Prometheus addere principi Limo coactus particulam *undique* Desectam, etc. » — *ut*, ita quidem, ut, etc. Alii, inter quos Sanad. *aut*, pro *ut*, exhibent. — *atrum*, fœdum, turpem, ut *phocæ turpes* apud Virgil. Georg. IV, 395. — *Desinat in piscem*, Virg. Æn. X, 211, de Tritone: « Frons hominem præfert, in pristin desinit alvus. » — *Spectatum admissi*, etc. Num, quæso, amici, (Pisones, ad quos scripta est hæc epistola, appellat) si pictor copiam vobis fecisset ejusmodi monstrosam speciem contemplandi, num, inquam, a risu vobis temperare possetis? — *admissi*, vi-

Digitized by Google

Credite, Pisones, isti tabulæ fore librum
Persimilem, cujus, velut ægri somnia, vanæ
Fingentur species, ut nec pes, nec caput uni
Reddatur formæ. — Pictoribus atque poetis
Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.
— Scimus, et hanc veniam petimusque damusque vicissim.
Sed non, ut placidis coeant immitia; non, ut
Serpentes avibus geminentur, tigribus agni.

dendæ hujus tabulæ facta copia. Hoc a pictorum et statuariorum more sumtum, qui, tabula vel statua perfecta, eam omnibus spectandam proponebant, ut populi judicium exquirerent.

6. *Credite, Pisones*, etc. Jam Horatius, quid sibi voluerit cum tabula, in qua monstrosa forma a pictore aliquo exhibita sit, ipse explicat. Turbant sententiam, qui distinctione majore *post amici* sublata, *amici* et *Pisones* jungunt. L. Calp. Piso ex gente nobilissima ortus fuit. Vid. Prœmium, p. 432. *Pisones* scilicet a *Calpo*, filio Numæ Pompilii, originem suam repetebant, unde v. 292, *Pompilius sanguis* vocantur. Jam post scriptam hanc Epistolam *L. Calp. Piso* ann. U. 738, cum M. Livio Druso Libone consul fuit; vid. Freinsh. Suppl. Liv. CXXXVI, 51. Idem postea Urbi præfectus est a Tiberio; vid. Sueton. Tib. 42, Vell. Pat. II, 98. — *isti tabulæ*, in qua picta est monstrosa, quam dixi, species. — *fore librum Persimilem*, h. e. poetam, a quo formæ, veluti somnia febri laborantis, tam vanæ et ridiculæ fingentur, ut uni formæ nec pes, nec caput, quod ei conveniat, tribuatur; pro *fingentur* in pluribus Codd. apud *Feam* et in omnibus antiquis Editt. male legitur *finguntur*; nam primum *fingentur* respondet futuro *fore* in v. 6; deinde jam monet Horatius futuros demum poetas, et proinde Pisonis filium quoque natu majorem, ad poesin adspirantem. — *ut*, sicut v. 3, pro: ita quidem, ut. — *Reddatur*, detur, quod debebat dari.

9. *Pictoribus atque poetis*, etc. At poetis atque pictoribus, opponat mihi aliquis, semper audacius aliquid fingendi data est licentia. Respondebo: scimus, etc. — Secundum Præceptum: « poeta non debet secum repugnantia conjungere, non liberius evagari, et pannos purpureos, aliunde petitos, carmini suo assuere, sed id tantum, quod simplex et unum est, sectari. » — *Sed non ut*, etc. Sensus: Verum enim vero non hæc poetis datur licentia, ut fingant, quæ natura sibi repugnant, ut mitia animalia cum immitibus (*coire*) Venerem jungere, et aves atque serpentes, tigrides et agnos (*geminari*) paria fieri jubeant. Sic fere Epod. XVI, v. 30 sq. « Novaque monstra junxerit libidine Mirus amor; juvet ut tigres subsidere cervis; Adulteretur et columbæ milvio. » Ed. — De serpente, animali avibus

Digitized by Google

INCEPTIS gravibus plerumque et magna professis
Purpureus, late qui splendeat, unus et alter
Assuitur pannus, quum lucus et ara Dianæ,
Et properantis aquæ per amœnos ambitus agros,
Aut flumen Rhenum, aut pluvius describitur arcus:
Sed nunc non erat his locus: et fortasse cupressum

inprimis infesto, supr. Epod. I, v. 19-20: « Ut assidens implumibus pullis, avis Serpentum allapsus timet.»

14. *Incœptis gravibus*, etc. Sæpe accidit, ut poetæ gravia tractantes, cupide arripiant externa ornamenta, quibus splendorem parent suis carminibus; arripiunt scilicet res (locos communes), quæ poeticam descriptionem admittunt, utrum illæ argumento, quod tractant, conveniant necne, parum solliciti.—*plerumque*, ut infr. v. 95, pro: non raro; et sic passim apud Horatium; exempla vide supr. ad Epist. I, 18, 94. — *Purpureus pannus*, jam de pigmentis, veneribus, fuco, et quibusvis externis ornamentis, orationem speciosam reddentibus. — *quum lucus*, etc. Hic Horatius ætatis suæ poetas carpit, quos, externa ornamenta carminibus suis quærentes, in poetica luci Dianæ et obliqui rivi, aut Rheni, aut pluvii arcus descriptione, aliena plane a scripti carminis argumento, sese jactare ait.—*lucus et ara Dianæ*, quum plures luci cum aris Dianæ sacri fuerint, (v. Spanh. ad Callimachum H. in Dian. v. 104, et Heyn. Excurs. VIII, ad Virg. Æn. VII, 761) quem potissimum describendum sibi sumserit vanus quidam poeta, divinationi relinquitur. — *Et properantis aquæ*, etc. Obliqui rivi descriptionem ingenio poetico admodum opportunam esse, jam ipse Horatius ostendit; est enim hic versus elegantissimus, et ad eos, quos supr. ad Sat. I, 1, 114, delectos laudavi, referendus. — *ambitus*, eleganter de obliquo et tortuoso rivi cursu, sive de rivi anfractibus; eadem elegantia supr. Od. II, 3; II, 19: « et obliquo laborat Lympha fugax trepidare rivo. » — *Aut flumen Rhenum*, respexit fortasse Horatius turgidum Alpinum, qui supr. Sat. I, 10, 37: « luteum caput Rheni diffinxisse » dicitur.

19. *Simulare*, exprimere, ut supr. Epist. II, 1, 241: « æra Alexandri vultum simulantia. » — *fortasse cupressum Scis simulare*; hunc locum ita interpretor: Horatius jam comparat notatos poetas cum pictore quodam, qui in arte pictoria nil nisi cupressum pingere didicerat: quemadmodum igitur pictor ille tabulam a se postulantibus depictam cupressum obtrudere solebat, ita poetæ illi, quum toti alicui rei justo carmine celebrandæ impares essent, ad rerum singularum (ut Rheni, rivi, arcus pluvii) descriptiones sive ad locos communes, quibus tractandis se poetas jactarent, decurrebant. Itaque per verba: *et fortasse cupressum Scis simulare* Horatius exprimere voluit: at tu fortasse rerum singularum describendarum,

Digitized by Google

Scis simulare; quid hoc, si fractis enatat exspes
Navibus, ære dato qui pingitur? Amphora cœpit
Institui; currente rota cur urceus exit?
Denique sit quodvis simplex duntaxat et unum.
Maxima pars vatum, pater et juvenes patre digni,
Decipimur specie recti. Brevis esse laboro:
Obscurus fio; sectantem levia nervi
Deficiunt animique; professus grandia turget;

sicut pictor ille exprimendæ cupressi, haud imperitus es. — *quid hoc*, etc. quid *hoc* (sc. cupressum pingere posse) naufragum juvare potest, qui pro mercede sortem naufragi in tabula adumbratam a pictore accipere cupit. Scilicet naufragus quidam, ut refert Henricus Stephanus ex vetere Scholiaste, dicitur pictorem adiisse, eumque rogasse, ut naufragii, quod passus sit, sortem in tabula depingeret; cui ille: Visne me cupressum quoque appingere? Μή τι καὶ κυπάρισσον θέλεις; — Qui omnibus bonis exuti fuerant naufragio, portantes tabulam, in qua expressa fuit infortunii imago, mendicare solebant. Sic socii Simonidis apud Phædr. IV, 21, 24: « Ceteri tabulam suam Portant, rogantes victum. » Pers. I, 89: « quum fracta te in trabe pictum Ex humero portes. » Ed. — *Amphora cœpit Institui*, etc. Sententiam « esse poetæ, qui magna crepant et promittant, sed parva proferant, et extricent » expressit imagine, a formandis vasis fictilibus ducta; peccat figulus, qui, pro amphora, quam meditabatur, urceum effingit; peccat poeta, qui, ad sublimiora exsurgens, ad humiliora se deprimi patitur; *cœpit institui* pro: cœpta est institui, vel pro: instituta (h. e. incœpta) est. Justin. XIV, 5: « quum prohiberi finibus cœpisset, » pro: prohiberetur. — *currente rota*, sc. figuli. — *exit*, evadit, prodit, fit; ut supr. Epist. II, 2. — *denique sit quodvis*, etc. in hoc versu resumitur quodcumque 23 præcedentibus docuit poeta. Ed. — *quodvis*, quod esse et fieri cupis.

24. « Tertium Præceptum: Poetæ, ne, dum vitium aliquod vitare student, decepti specie recti in aliud vitium incidant, virtutum, quas sequantur, naturam perspectam habere debent. Huc accedat necesse est studium non in singulis alicujus rei partibus, sed in tota re ponendum. » — *specie*, opinione. — *sectantem levia nervi Defic. an.* sectantem me ornatum et orationis venustatem vires deficiunt. — *levia*, (vel *lævia*) levigata, expolita, limata; supr. Epist. II, 2, 123: « nimis aspera sano Levabit cultu. » — *nervi et animi*, pro: vires, animi; pro: *levia* ex Cod. *Achill. Stat.* Bentleius in textum recepit *lenia*, de oratione molliter et leniter fluente; sed *orationis lenitas* quoque non languere, sed vi quadam et spiritu agitata incedere debet; hinc bene voci *lenia* respondent *nervi et animi*; supr. Sat. II,

Digitized by Google

Serpit humi tutus nimium, timidusque procellæ.
Qui variare cupit rem prodigialiter unam,
Delphinum silvis adpingit, fluctibus aprum.
In vitium ducit culpæ fuga, si caret arte.
Ämilium circa ludum faber unus et ungues
Exprimet, et molles imitabitur ære capillos,

1, 2 : « sine nervis, » sine vi et gravitate. — *Serpit humi tutus*, etc. Qui (ut Horat. loquitur Od. II, 10, 3,) nimium littus premendo cautus in alto mari procellas horrescit, h. e. qui non audet altiora et sublimiora tangere, humo vel humilitati affixus manet. *V.* Epist. II, 1, 250 : « Sermones per humum repentes. » — *Qui variare cupit*, etc. Sensus : Qui unam eamdemque rem, admirationis movendæ causa, prodigiosis imaginibus variare et distinguere cupit, præter naturam delphinum e mari in silvas, et aprum e silvis in mare transponit, et sic, dum vitium humilitatis fugit, absurda captat pro sublimibus. Sine dubio Hor. hic quoque poetam, ejusmodi absurda sectantem, respexit. — *In vitium ducit culpæ fuga;* supr. Sat. I, 2, 24 : « Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt. » Sat. II, 2, 54-55 : « nam frustra vitium vitaveris illud, Si te alio pravum detorseris. » — *si caret arte*, si stultus, sibi a vitio contrario cavere non didicit. Vid. Otho Vænius, Horat. emblemata IX et X ; et Bolæus, Art. P. I, 64 : « Souvent la peur d'un mal nous conduit dans un pire. J'évite d'être long, et je deviens obscur. Un vers était trop faible, et vous le rendez dur. L'un n'est point trop fardé, mais sa muse est trop nue : L'autre a peur de ramper, et se perd dans la nue. » Ed.

32. *Ämilium circa ludum*, etc. Inter fabros, qui circa ludum Æmilium habitant, erit fortasse aliquis, qui (*unus*) præ ceteris omnibus ungues et molles capillos mira arte in statua aliqua exprimat et imitetur, sed idem, quia non omnia ac singula ad artem exprimere didicit, de operis summa haud approbabitur; huic quidem fabro, fabrilis artis parte tantum conspicuo, non magis velim me esse similem, quam me esse hominem, nigris quidem oculis nigroque capillo exsplendescentem, sed nasum depravatum et distortum præ se ferentem. — *Ämilium ludum*, gladiatorium scilicet, ut observat Vet. Schol. ab Æmilio Lepido ita dictum. — *unus*, scilicet præ omnibus aliis, præ ceteris ; supr. Epod. XII, 4 : « Namque sagacius *unus* odoror. » Sic « *unus* judex » apud Cic. pro Rosc. Comœd. c. 5. Apud eundem pro Flacco 37 : « Nam iste *unus* totam Asiam magnitudine poculorum bibendoque superavit. » Qui in re aliqua omnes alios superat, in ea est *unus;* cf. Bentl. et Fea; pro: *unus* plures librr. vett. offerunt *imus*, ut sit in imo loco habitans; sed si Horatius certum quemdam fabrum in imo circa lud. Æm. loco habitantem designare voluisset, verbis *exprimere* et *imitari* non fu-

Digitized by Google

Infelix operis summa, quia ponere totum
Nesciet: hunc ego me, si quid componere curem,
Non magis esse velim, quam pravo vivere naso,
Spectandum nigris oculis nigroque capillo.
Sumite materiam vestris, qui scribitis, æquam
Viribus, et versate diu, quid ferre recusent,
Quid valeant humeri. Cui lecta potenter erit res,
Nec facundia deseret hunc, nec lucidus ordo.
Ordinis hæc virtus erit et Venus, aut ego fallor,
Ut jam nunc dicat, jam nunc debentia dici,
Pleraque differat, et præsens in tempus omittat:
Hoc amet, hoc spernat promissi carminis auctor.

turi, sed præsentis formam induisset; nec ii, qui in *imo* aliquo loco habitant, *circa* eum habitare dicuntur. (Vid. Excursum II, ad calcem). — *ponere*, de artificibus; cf. supr. ad Od. IV, 88. — *Spectandum nigris oculis*, etc. Nigros oculos capillosque maximam venustatis partem apud Romanos fuisse quis ignorat? supr. Od. I, 32, 11-12: « Et Lycum nigris oculis, nigroque Crine decorum. » Et Catullus nigros oculos in amica Formiani desiderat, Carm. XLIII, 1-2: « Salvé nec minimo puella naso, Nec bello pede, nec nigris ocellis. » Ed.

38. Quartum Præceptum. Carmina, quæ tam facundia, quam lucido ordine se commendent, scripturus, rem, virium modulo accommodatam, deligere debet. — *æquam*, convenientem. — *versate*, perpendite, explorate; accommodate ad onera, quæ, antequam humeris imponantur, manibus versari et ponderari solent, an vires iis ferendis sufficiant. — *Cui lecta potenter erit res*, rem sive materiam *potenter* legit, cujus vires lectæ materiæ pares sunt, qui eam, ut par est, *potenter* moderari et ad artis normam dirigere potest. — *Ordinis hæc*, etc. Ordinis autem (*virtus*) præcipua dos et (*Venus*) amabilis pulchritudo (*hæc erit*) in eo cernetur, ut in principio statim (*jam nunc*) dicat, quæ (*jam nunc*) in principio dici debent, scilicet ut lector vel spectator in mediam rem rapiatur, pleraque (*differat*) postea demum enarret, et nunc quidem (*præsens in tempus*) reticeat. — *Hoc amet, hoc spernat*, de poematis ordine locutus, jam ad varias ejus partes, vel etiam ad episodia transit, jubetque non omnia sine discrimine offerri, sed ea tantum deligi quæ lectori placeant. Nonnulli doctissimi interpretes hunc versum sequenti postponi voluere, nescio autem qua de causa; quum sane

Digitized by Google

In verbis etiam tenuis cautusque serendis,
Dixeris egregie, notum si callida verbum
Reddiderit junctura novum. Si forte necesse est
Indiciis monstrare recentibus abdita rerum,
Fingere cinctutis non exaudita Cethegis

hic versus in suo præsenti loco utilem sensum habeat, et sequens per se suam significationem præbeat. (Vide Excursum III, ad calcem.) Ed. — *promissi carminis*, carminis satis longi ac gravis; hujus generis enim carmina promittuntur et exspectantur. Ed.

46. Quintum Præceptum. In vocabulis et locutionibus tam deligendis, quam repudiandis, prudenter loquendi usus, penes quem et jus, et norma, et arbitrium est, in consilium vocetur: verba nota apta junctura noventur; verba ad nova inventa designanda efficta recipiantur; verba ex fonte græco hausta et paululum ad latinæ linguæ formam inflexa probentur; et, quum verba modo floreant, modo flaccescant; modo nascantur, modo, ut regum splendida opera, intereant, suus cuique verbo honor tribuatur.

46. *In verbis etiam tenuis cautusque serendis;* sis etiam *tenuis*, parcus, modestus, et *cautus*, prudens, sagax, subtilis, in verbis *serendis*, novandis, fingendis et quasi producendis. Translatio est ab agricola, qui serit, novas ut fruges metat. Cicero oratorem etiam sic monuit, in Oratore ad Brutum: «Ergo tenuis orator modo sit, elegans, nec in faciendis verbis erit audax, et in transferendis verecundus et parcus, in priscis reliquisque ornamentis et verborum et sententiarum remissior.» De hoc longe plura Cicero ipse tertio libro de Oratore ad Q. fratrem, et Quintilianus libro VIII. Ed. — *notum si callida*, etc. Hic locus sensus duos videtur habere. Alii scilicet per *junctura* ex verbo noto verbum novum efficientem, intelligunt nota verba duo conjuncta inter se in unum verbum novum, ut *velivolum, saxifragum, versutiloquus;* alii autem simpliciter metaphoram, vel verborum e vulgari sensu ad alium insolitum translationem, qua tam feliciter usus est Noster, ut de eo dicat Petron. *Horatii curiosa felicitas;* et Quintilian. *verbis felicissime audax.* Ed. — *callida*, acute, sollerter, et apte instituta; non raro *callidus* in bonam partem pro: sollers, acutus; Cic. Quæst. Tusc. I, 20: «callidissimum artificium naturæ,» et Nat. D. II, 57: «natura nihil est callidius.»

48. *Si forte necesse est*, etc. Si forte necesse est, res inventas recens factis vocabulis insignire, licebit sane verba fingere inaudita priscis Romanis, et hæc licentia, modeste et verecunde usurpata, concedetur; *monstrare*, designare. — *abdita rerum*, res, adhuc abditas, in lucem protractas, h. e. res inventas; nam quæ inveniuntur, fuerunt antea *abdita*. — *Cethegis*, pro: priscis Romanis; cf. supr. ad Epist. II, 2, 117. — *cinctutis*, cinctu quasi cinctis, succinctis, vel quod prisci Romani tunicæ

Digitized by Google

Continget, dabiturque licentia sumta pudenter.
Et nova fictaque nuper habebunt verba fidem, si
Græco fonte cadant, parce detorta. Quid autem?
Cæcilio Plautoque dabit Romanus, ademtum
Virgilio Varioque? ego cur, acquirere pauca
Si possum, invideor, quum lingua Catonis et Ennî
Sermonem patrium ditaverit, et nova rerum
Nomina protulerit? Licuit, semperque licebit,
Signatum præsente nota producere nomen.
Ut silvæ foliis pronos mutantur in annos,
Prima cadunt: ita verborum vetus interit ætas,
Et juvenum ritu florent modo nata, vigentque.

loco corpus ab umbilico usque ad pedes cinctu, campestri subligaculo, tegebant, vel quod tunicam cinctu constringebant; bene autem prisca vox *cinctutus* respondet sermoni de priscis moribus. Ovid. Fast. V, 101: « Semicaper coleris cinctutis, Faune, Lupercis. » Ed. — *Continget*, licebit. Supr. Epist. I, 17, 36: « Non cuivis homini *contingit* (licet) adire Corinthum. » — *habebunt fidem*, habebunt auctoritatem, probabuntur.

53. *Quid autem? Cæcilio*, etc. Cur autem? Romanus licentiam nova verba faciendi, quæ nostra ætate Virgilio Varioque ademta est, Cæcilio Plautoque concedet? cur, quod licuit Plauto atque Cæcilio, non Virgilio et Vario licebit? iterum in hoc loco carpit sui temporis hominum fastidium in contemnendis et reprehendendis novis scriptoribus, quum veteres contra extollerent et admirarentur; cf. quæ supra scripsit in Epist. lib. II, 1, ad Augustum. Ed. — *acquirere pauca Si possum*, si pauca parare et invenire possum ad linguam ditandam; — *invideor*, dente livido petor. — *Signatum præsente nota producere nomen*; Bentl. ex codd. *procudere nomen*, bene, opinor, pro vulgari: novum nomen invenire et in medium producere; verba, quibus utitur Horatius, translata sunt a nummo, qui cuditur; eleganter igitur pro simplice: novum: *signatum præsente nota*; quemadmodum enim nummus vel principis imagine, vel ætatis indicio, etc. signatus, notam ætatis præ se fert, ita novo vel invento rei alicujus nomini præsentis ætatis nota, vel hoc, vel alio modo impressa est. Similiter Juvenal. Sat. VII, 55: « Communi feriat carmen triviale moneta. » Ed.

60. *Ut silvæ foliis*, Hom. Il. VI, 146: « Οἵη περ φύλλων γενεὴ, τοίηδε καὶ ἀνδρῶν. » — *pronos*, prono et celeri cursu labentes, ut *proni menses* Od. IV, 6, 39; alii *pronus* ad anni tempus, ad autumnum, quo annus ad

Digitized by Google

Debemur morti nos nostraque: sive receptus
Terra Neptunus classes Aquilonibus arcet,
Regis opus; sterilisque diu palus, aptaque remis,
Vicinas urbes alit, et grave sentit aratrum;
Seu cursum mutavit iniquum frugibus amnis,
Doctus iter melius: mortalia facta peribunt,

finem properet, (ut supr. Od. IV, 27, 13: « pronus Orion ») referunt; *pronos in annos*, simpliciter capio pro: quotannis. (Vid. Excurs. IV.)

63. *Nostraque*, et quæ a nobis exstructa sunt, debentur morti, h. e. ad interitum vocantur, ut opera, quæ statim commemorantur, splendidissima; 1) Exstructus portus, et quidem, lacu Lucrino et Averno marique inter se junctis, celeberrimus ille Portus Julius. Sueton. Octav. c. 16. 2) Exsiccata loca paludosa, et quidem, ut observat Vet. Schol. Paludes Pontinæ. 3) Mutatus ab Augusto, et ab inundationibus derivatus Tiberis cursus. Sueton. Octav. c. 30.—Hic miro Noster utitur artificio, quo gratiam Augusti captet, nec captare tamen videatur: neque enim aperte significat de quibus loquatur operibus, neque ipsum auctoris nomen indicat: sed sine ulla principis offensione, splendidissima ejus opera, ut cetera hominum, mox peritura esse demonstrat, quanquam eadem, dum laudat, suis versibus facit immortalia. Ed.— *Sive receptus*, etc. Nam, *sive receptus Terra Neptunus* (mare in sinum terræ receptum) *classes Aquilonibus arcet*, (inversa constructio, ut sæpe apud Virgilium, pro: aquilones a classibus arcet.) *Regis opus*, splendidissimum) *sterilisque diu palus, aptaque remis* (navigabilis), *Vicinas* (nunc) *urbes alit, et grave aratrum sentit* (aratro proscinditur); *Seu amnis* (Tiberis) *cursum iniquum frugibus* (agrorum cultui) *mutavit, Doctus iter melius;* (delabi scilicet itinere, haud amplius agrorum cultui infesto) hæc omnia sunt opera mortalia, quæ peribunt; quomodo igitur *sermonum honor* (splendor) *et gratia* (elegantia) *vivax stet?* (non pereat?) — *Regis opus, regia* et *regalia* dicuntur, quæ summa magnificentia exsplendescant; sic ædificia ingentibus sumtibus exstructa Od. II, 18, 1, dicuntur « regiæ moles. » — pro: *sterilisque* Dacerius et Bentleius malebant *sterilisve;* in particulis enim *que* et *ve* non apud Horatium tantum, ut pluribus locis observavimus, sed etiam apud alios scriptores sæpissime peccatum est a librariis. In voce *palus* ultima contra leges metricas correpta est; sed idem, ut Servius et Priscianus observant, nonnunquam in *tellus* et *senectus* factum est. Satius igitur videtur, in hac Grammaticorum observatione acquiescere, quam loco, omnium Codd. auctoritate confirmato, vel transponendo, vel immutando, vim inferre. (Vid. Excurs. V, ad calcem.)—*Doctus iter melius*, etc. *docendi* verbo similiter utitur Noster in Epist. I, 14., ad Villi-

Digitized by Google

Nedum sermonum stet honos, et gratia vivax.
Multa renascentur, quæ jam cecidere, cadentque,
Quæ nunc sunt in honore, vocabula, si volet usus,
Quem penes arbitrium est et jus, et norma loquendi.
Res gestæ regumque ducumque, et tristia bella,
Quo scribi possent numero, monstravit Homerus.
Versibus impariter junctis querimonia primum,

cum : « Addit opus pigro rivus, si decidit imber, Multa mole docendus aprico parcere prato. » Ed. — *Multa renascentur*, etc. Conveniunt hæc fere cum iis quæ Noster supra dixit Epist. II, 2, ad Florum, v. 115 sqq. « Obscurata diu populo bonus eruet, atque Proferet in lucem speciosa vocabula rerum, Quæ priscis memorata Catonibus atque Cethegis, Nunc situs informis premit et deserta vetustas. Adsciscet nova, quæ genitor produxerit usus, etc. » Ed.

73. Sextum Præceptum. Res diversæ diversa postulant versuum genera. Res gestæ et bella, præeunte Homero, celebrantur hexametris; carmine Elegiaco non dolor tantum, ut prima elegiarum origine, de rebus tristibus, sed etiam sensus lætior de iis, quæ ex voto cesserunt, exprimitur; versus vel pes iambicus, quo Archilochus primus composuit carmina maledica, quum aptius esset sermonibus miscendis et rebus agendis, locum, ubi se moveret, in comœdiis et tragœdiis invenit; carmina lyrica tam in hymnis deorum heroumque et in Epiniciis Hieronicarum, quam in rebus, ad amores et lætas compotationes spectantibus, versantur.

73. *Res gestæ*, etc. Fabius de Stesichoro poeta scribens lib. X, quæ sit epici poematis propria materia declarat: « Stesichorum, inquit, quam sit ingenio validus, materiæ quoque ostendunt, maxima bella, et clarissimos canentem duces, etc. » Item Noster Sat. I, 10 : « Pollio regum facta canit; pede ter percusso forte epos acer, Ut nemo, Varius ducit, etc. » Ed. — *tristia bella*, Virgilius quoque in Eclog. VI, 7 : « et *tristia* condere bella. » Ed.

74. *Quo numero*, quo metri genere. — *monstravit Homerus*, ex Homeri exemplo, Epica carmina versu hexametro constant, cui uni majestas ac gravitas inest. Aristot. in Poetica, c. XXIII : « Τὸ δὲ μέτρον τὸ ἡρωϊκὸν ἀπὸ τῆς πείρας ἥρμοσεν· εἰ γάρ τις ἐν ἄλλῳ τινὶ μέτρῳ διηγηματικὴν μίμησιν ποιοῖτο, ἢ ἐν πολλοῖς, ἀπρεπὲς ἂν φαίνοιτο. Τὸ γὰρ ἡρωϊκὸν στασιμώτατον καὶ ὀγκωδέστατον τῶν μέτρων ἐστί. Διὸ καὶ γλώττας καὶ μεταφορὰς δέχεται μάλιστα· περιττὴ γὰρ καὶ ἡ διηγηματικὴ μίμησις τῶν ἄλλων. Τὸ δὲ ἰαμβικὸν καὶ τετράμετρον, κινητικά· τὸ μὲν ὀρχηστικόν, τὸ δὲ πρακτικόν. Ἔτι δὲ ἀτοπώτερον, εἰ μιγνύοι τις αὐτά, ὥσπερ Χαιρήμων· διὸ οὐδεὶς μακρὰν σύστασιν ἐν ἄλλῳ πεποίηκεν, ἢ τῷ ἡρῴῳ, ἀλλ' ὥσπερ εἴπομεν, αὐτὴ ἡ φύσις διδάσκει τὸ ἁρμόττον αὐτῇ διαιρεῖσθαι. Ed.

75. *Impariter junctis*, elegiacis, Hexametris Pentametrisque alternan-

Digitized by Google

Post etiam inclusa est voti sententia compos.
Quis tamen exiguos elegos emiserit auctor,
Grammatici certant, et adhuc sub judice lis est.
Archilochum proprio rabies armavit iambo.
Hunc socci cepere pedem, grandesque cothurni,
Alternis aptum sermonibus, et populares
Vincentem strepitus, et natum rebus agendis.
Musa dedit fidibus divos, puerosque deorum,
Et pugilem victorem, et equum certamine primum,

tibus. De Elegia longioribus brevioribusque versibus constanti Ovidius, Amor. III, 1, 7-8 : « Venit odoratos Elegeia nexa capillos, Et puto pes illi longior alter erat. » Ed. — *voti sententia compos*, sensus voluptatis et lætitiæ ; lætatur enim, qui voti cujusdam compos fit. — *exiguos elegos*, tam ob versus impares, quam quod carmina elegiaca breviora esse solent.

79. *Proprio... iambo*, jure *iambus* res *propria* dicitur ejus, qui eum invenit. Jam satis antea passim de Archilocho diximus. — *rabies*, de canibus acrioribus, quibuscum comparari solet maledicentium impetus et acerbitas. — *Hunc socci cepere pedem*, etc. hoc pede fabulas incedere jusserunt poetæ tam comici, quam tragici ; *soccus*, calceamenti genus humilius, quo comœdi, et *cothurni*, calceamenti genus grandius et altius, quo tragœdi in scena uti solebant, jam pro comœdia et tragœdia, et quidem pulcherrime et accommodatissime ad *iambum*, quem, ut *pedem*, jam *socci* et *cothurni cepisse* dicuntur. — *Alternis aptum sermonibus*, etc. quam vim iambus in sermocinationibus scenicis habeat, et quomodo iambi usu spectatorum strepitus fortius pervinci, supprimi et compesci possit, id auribus magis percipi, quam verbis doceri potest ; hinc *iambus* factus et *natus* ad res in scena agendas dicitur. — Aristoteles quoque iambicum alternis sermonibus aptum esse ait, in poetica, c. IV : « Λέξεως δὲ γενομένης, αὐτὴ ἡ φύσις τὸ οἰκεῖον μέτρον εὗρε· μάλιστα γὰρ λεκτικὸν τῶν μέτρων τὸ ἰαμβεῖόν ἐστι· σημεῖον δὲ τούτου, πλειστὰ γὰρ ἰαμβεῖα λέγομεν ἐν τῇ διαλέκτῳ τῇ πρὸς ἀλλήλους. » Ed. — *Vincentem strepitus* ; celeritas acumen soni gignit, tarditas gravitatem : iambi vero numeri sunt celerrimi (inde *citi* dicuntur) et acutissimi, propterea et audiendi sensum multo celeris acrius ferientes. Igitur audiuntur multo facilius et popularem strepitum vincunt, de quo supra Noster in Epist. II, 1 : « Nam quæ pervincere voces Evaluere sonum, referunt quam nostra theatra?... Tanto cum strepitu ludi spectantur, etc. » Ed.

83. *Fidibus*, lyræ, testudini. — *puerosque deorum*, heroas. — *Et pugilem victorem*, in ludis Isthmicis et Olympicis ; cf. supr. Od. IV, 3, 3. Horatium in hoc versu Pindarum

Digitized by Google

Et juvenum curas, et libera vina referre.
Descriptas servare vices operumque colores,
Cur ego, si nequeo ignoroque, poeta salutor?
Cur nescire, pudens prave, quam discere malo?
Versibus exponi tragicis res comica non vult:
Indignatur item privatis ac prope socco
Dignis carminibus narrari cœna Thyestæ:
Singula quæque locum teneant sortita decenter.

præcipue, ut sequente versu Sapphus et Anacreontis carmina lyrica respexisse, quilibet videt. — *equum certam. primum*, equus enim, in certamine victor, simul cum victore celebrari solebat. Vid. Interpp. ad Pindar. Olymp. I, 29. — *Et juvenum curas*, amores; nam, ut Ovidius canit (Heroid. I, 12), « Res est solliciti plena timoris amor. » — *libera vina*, alii intelligunt *vina larga*, ut supr. Od. III, 18, 6, quæ liberius et largius bibuntur in lætis compotationibus. Sunt, qui *vina libera* explicent: pectus a curis liberantia. Ego autem intelligam: convivia, compotationes in quibus convivæ liberius genio indulgent, nec ullum in loquendo et canendo modum adhibent. Ed.

86. Septimum Præceptum. Qui diversas in diverso carminum genere sustinendas partes non perspectas habet; qui suam cuique carmini naturam et formam induere non didicit; qui in re sublimi serpit humi, in re humili altiora affectat; qui tragica et comica permiscet, etc. is abstinere debet a scribendis carminibus.

86. *Descriptas servare vices*, etc. cur ego poetæ nomen gero, si pro ingenii tenuitate aut non possum servare et obire, quæ descripta poetæ munera (*vices*) et diversæ artis poeticæ species (*colores*) exigunt, aut, quæ exigunt, ignoro? — *Cur nescire*, etc. Cur ob importunum pudorem, me aliquid ignorare, in hac ignorantia perstare et me turpiter dare, quam quod ignoro, discere malo?

89. *Versibus exponi tragicis*, etc. Quemadmodum res comica non vult exponi tragica sublimitate, ita et tragica, exempli causa nefanda illa cœna Thyestæ, versus (*privatos*) tenues et fere comicos respuit. — *privatis. Carmina privata*, quibus non reges, tyranni, principes, duces, sicut in tragœdia, sed *privatæ* vitæ homines describuntur; ergo humilioris argumenti. — *prope socco Digna*, ad argumenta, quæ in comœdia tractantur, prope accedentia. — *cœna Thyestæ*, ubi Atreus fratri Thyestæ occisos pueros, quos hic furtivo amore ex Ærope, Atrei uxore, procreaverat, epulandos apposuit. — *Singula quæque*, etc. Singula quæque locum, sorti cujusque convenienter occupandum, ut decet, teneant. Quintil. lib. X, cap. de imitatione: « Sua cuique proposita lex, suus decor est: nec Comœdia in cothurnos assurgit, nec contra Tragœ-

Digitized by Google

Interdum tamen et vocem comœdia tollit,
Iratusque Chremes tumido delitigat ore:
Et tragicus plerumque dolet sermone pedestri. 95
Telephus et Peleus, quum pauper et exsul uterque
Projicit ampullas et sesquipedalia verba,

dia socco ingreditur. » Cicer. quoque, de Optim. gen. Orat. in libri principio: « nam et in tragœdia comicum vitiosum est, et in comœdia turpe tragicum. » Ed.

93. *Interdum tamen*, etc. Interdum etiam in comœdia, quum prodit homo graviter commotus, locum habet oratio concitatior; hinc Chremes apud Terentium (Heaut. act. V), ira tumens, sævit et litigat; interdum (*plerumque*, cf. supr. v. 14; *et tragicus*) in tragœdia quoque persona, in scenam producta, humiliore (*pedestri*) sermone dolorem exprimit; sic Telephus et Peleus, tum, quum alter pauper, alter exsul est, (*uterque si curat*) si uterque id assequi tentat, ut animum spectatoris, querelas fundendo, tangat, haud nunc magniloquus verba grandiora jactat, sed voce querula et submissa miserationem movere studet. — *vocem comœdia tollit*, in iis præsertim rebus, quæ comœdiæ sunt cum tragœdia communes. Sunt autem communes affectus, ira et dolor, qui in utro erunt scripti genere, semper colorem verborum habebunt suum. Quintil. lib. X, 2, 23: « Habet tamen omnis eloquentia aliquid commune: id imitemur, quod commune est. » Ed.

94. *Delitigat*, particula *de* in verbo composito *delitigare* notionem auget, ut sit fere: vehementer et ad satietatem usque litigare; sic *desævire*, supr. Ep. I, 3, 14. — *tragicus*, persona, quæ queribunda in tragœdia inducitur; sic Orestes, qui furens in tragœdia inducitur, *tragicus* appellatur. Cic. in Pison. c. 20: « Ego te non vecordem, non furiosum, non mente captum, non tragico illo Oreste aut Athamante dementiorem putem? »

96. *Telephus*, filius Herculis, rex Mysiæ, quum vulnus, quod ab Achille acceperat, secundum oraculi effatum, nisi illud eadem hastæ cuspide, qua inflictum esset, tangeretur, sanari non posset, castra Achillis adiit, et hanc veniam ab eo petiit, et quidem *pauper*, h. e. miseri et supplicantis speciem præ se ferens. — *Peleus*, filius Æaci, ob fratrem Phocum, a se cæsum, solum vertere et ex patria Ægina in Thessaliam fugere coactus est; hinc *exsul* dicitur. — De Telepho et Peleo tragœdias composuisse videtur Euripides. Conf. Aristoph. Ran. act. III, sc. 2: item Acharn. act. IV, sc. 2. (Vid. Excurs. VI, ad calcem.) Ed.

97. *Projicit* (ἀποβάλλει); abjicit, rejicit, removet, deponit *ampullas*, sive abstinet ab *ampullis*. — *ampulla*, proprie lecythus, vas angusto collo, sed ventre capaciore et turgido, in quo oleum inprimis et acetum servari solebat. Ab hac *ampullæ* forma, turgida et inflata quasi, translate dicuntur *ampullæ* verba turgida, ventosa, magnifica, quibus fere se jactant grandiloqui; hinc supra Epist. I, 3, 14, *ampullari*, magniloo-

Digitized by Google

Si curat cor spectantis tetigisse querela.

Non satis est pulchra esse poemata, dulcia sunto,
Et, quocumque volent, animum auditoris agunto.
Ut ridentibus arrident, ita flentibus adsunt
Humani vultus. Si vis me flere, dolendum est
Primum ipsi tibi; tunc tua me infortunia lædent.
Telephe, vel Peleu, male si mandata loqueris,

quentia superbius et insolentius se efferre. — *spectantis*, nam querelis miserabiliter fusis spectatorum quoque movetur animus.

99. Octavum Præceptum: Non sufficit, carmina pulchre et eleganter esse scripta, sed ea simul vis et virtus iis insita sit necesse est, ut, quocumque velis, animos flectas, eosque aut dolore et tristitia oppleas, et confundas, aut dulci de rebus lætis sensu perfundas atque delinias. Loquendi modus respondere debet personarum sensibus. Poetæ porro est, ut personas, quas producit, plane ad earum naturam, ingenium et mores loqui, agere et se gerere jubeat.

99. *Dulcia sunto*, non jucunda, sed miserabilia, miserationem moventia. Ed.—*Et, quocumque volent, animum*, etc. Omnesque, quos volent, sensus affectusque legentium vel audientium animis injiciant. Ed. — *Humani vultus*, vultus hominum, humanitatis sensum exprimentes. Notissimum est illud Terentii, Heaut. 77: « Homo sum, humani nihil a me alienum puto. » Pro: adsunt, legunt alii *adflent*. Ed.—*Si vis me flere, dolendum est Prim. ipsi tibi.* Polus histrio, Electram Sophoclis agens, Orestis ossa non tulit, sed filii, quem modo amiserat, et serio luxit: cujus fletu miserabili facile omnes commoti doluerunt. Aul. Gell. VII, 5. Quintil. VI, 3: Summa enim, quantum ego quidem sentio, circa movendos affectus in hoc posita est, ut moveamur ipsi. » Cicer. de Orator. lib. secundo: « nec fieri potest, ut doleat is, qui audit, ut oderit, ut invideat, ut pertimescat aliquid, ut ad fletum misericordiamque deducatur, nisi omnes ii motus, quos orator adhibere volet judici, in ipso oratore impressi esse... videbuntur, etc. » Aristoteles quoque in Poetica eadem fere ac Noster præcipit: « Πιθανώτατοι γὰρ ἀπὸ τῆς αὐτῆς φύσεως οἱ ἐν τοῖς πάθεσιν εἰσί· διὸ ὁ καὶ χειμαίνει ὁ χειμαζόμενος, καὶ χαλεπαίνει ὁ ὀργιζόμενος ἀληθινώτατα. » Ed.

103. *Me lædent*, me perturbabunt et in doloris societatem trahent. Ad hujus loci imitationem Bolæus Art. Poet. lib. III: « Il faut dans la douleur que vous vous abaissiez; Pour me tirer des pleurs il faut que vous pleuriez; Ces grands mots dont alors l'acteur emplit sa bouche, Ne partent point d'un cœur que sa misère touche. » Pers. Sat. I, 91: « Plorabit, qui me volet incurvasse querela. » Ed.

104. *Telephe, vel Peleu*, omnes fere volunt hic poetam alloqui actores

Digitized by Google

Aut dormitabo, aut ridebo. Tristia mœstum
Vultum verba decent, iratum plena minarum,
Ludentem lasciva, severum seria dictu.
Format enim natura prius nos intus ad omnem
Fortunarum habitum; juvat, aut impellit ad iram,
Aut ad humum mœrore gravi deducit, et angit;
Post effert animi motus interprete lingua.
Si dicentis erunt fortunis absona dicta,
Romani tollent equites peditesque cachinnum.

Telephi et Pelei personas agentes, iisque de actione his partibus accommodata præcepta dare. Mihi autem videtur Horatius neque in præced. neque in seq. actores respicere, et nescio cur hic eos admonere diceretur. Præterea *tristia verba*, *seria verba*, etc. non ad actionem sane, sed ad stylum ipsum, expressionemque referri possunt. Unde persuasum habeo hic non nisi de poetis agi. *Telephe*, vel *Peleu*, h. e. o poeta, qui Telephi vel Pelei personas in tua tragœdia inseris, et in scenam inducis, etc. Ed. — *male si mandata loqueris*, si verba non convenientia fortunæ suæ loquuntur personæ tuæ, si loquendi modus non partes decet ipsis a fortuna, vel a te mandatas, etc. Ed.—*Tristia mœstum Vultum verba decent*, persona cui vultus mœstus est, quæ mœsti hominis partes sustinet, loqui debet modo miserabili. Quæ enim ridendi causa, si homo qui rerum suarum conditione tristis est, aut animi motibus iratus jocose aut leniter diceret? Hanc Aristoteles virtutem et verborum cum rebus convenientiam ἀνάλογον vocat in Rhet. III, quæ nulla est, si ut idem ait, « τὰ μαλακὰ σκληρῶς, καὶ τὰ σκληρὰ μαλακῶς λέγηται· ἀπίθανον γὰρ γίνεται. » Ed. — *Vultus mœstus*, *iratus*, etc. hic ponitur pro animo mœsto, irato, etc. vultus enim non nisi sensuum repræsentatio et indicatio est. Ed.— *Ludentem*, res ludicras tractantem, jocantem, delicias facientem.

108. *Format enim*, etc. Natura enim animo nostro (*prius*) a primo ejus ortu inserit animi affectiones, quæ vim suam in omni fortunæ statu, conditione et mutatione exserunt. — *juvat*, suaviter sensus afficit, *aut impellit ad iram*, etc. — *ad humum deducit*, affligit, prosternit.— *Post*, respondet particulæ *prius* in v. 108, *post*, si natura pro fortunæ habitu insitas animo affectiones impulit et excitavit, eas palam facit oratione. — *Si dicentis erunt*, si verba non respondebunt fortunæ, sorti, et conditioni ejus, qui loquitur. — *equites peditesque*, culti et inculti; honorati et inhonorati; omnes ac singuli; *equites*, homines cultiores, ut supr. Sat. I, 10, 75, et Epist. II, 1, 185, ubi *equites* opponuntur *plebiculæ*. Jam, quia in militia equites et pedites diversæ sunt copiæ, ut distinguat cultos

Digitized by Google

Intererit multum, Davusne loquatur, an heros,
Maturusne senex, an adhuc florente juventa
Fervidus; an matrona potens, an sedula nutrix;
Mercatorne vagus, cultorne virentis agelli;
Colchus, an Assyrius; Thebis nutritus, an Argis.

ab incultis, facete Horatius illos *equites*, hos (plebem) *pedites* vocat. Huc accedit, quod passim humiliora vocantur *pedestria*, pedibus quasi humi incedentia; hinc supr. v. 95: « sermo pedestris » (humilis, πεζὸς λόγος), et supr. Od. II, 12, 9: « historiæ pedestres, » humili scribendi genere, oratione soluta, conditæ.

114. *Intererit multum, Davusne loquatur, an heros*, multum intererit, utrum (*Davus*) servilis conditionis homo, an *heros* (Achilles, Bacchus, Hercules, etc.) loquens in fabulis inducatur; sic infr. 237. *Davus* pro quovis servo, et *Pythias* pro quavis ancilla: « Ut nihil intersit, Davusne loquatur, et audax Pythias, emuncto lucrata Simone talentum, An custos famulusque dei Silenus alumni. » Hinc supr. Sat. II, 5, 91, *Davus comicus*, de quovis servo, qui prodit in comœdia; et sic passim quivis servi designantur nominibus, quibus producti sunt alii servi in comœdiis. Qui pro: *Davusne* defendunt lectionem *divusne*, non cogitasse videntur de iis, quæ huic lectioni obstant. Nam primum, quum jam sermo sit de diversæ plane et inter se contrariæ conditionis personis, quis Horatium tantum discriminis inter deos et heroas, deorum mensis adhibitos, fecisse sibi persuadeat? Deinde vere heroes in fabulis loquentes versantesque cum servis inducuntur; vid. Gesn. ad h. l. Wielandus pessime tentabat: *Davusne loquatur, an herus*. Jam ejusdem antea doctissimi critici simile in emendando Horatio peccatum mirati sumus. Ed.

115. *Maturusne senex*, supr. Od. III, 15, 4: « Maturo propior funeri. » — *matrona potens*, matris familias dignitatem tuens. Matronam inter comicas numerat personas Quintil. lib. XI, 3, 74, de pronunciatione: « In comœdiis vero, inquit, præter aliam observationem qua servi, lenones, parasiti, rustici, milites, vetulæ, meretriculæ, ancillæ, senes austeri ac mites, juvenes severi ac luxuriosi, matronæ, puellæ, inter se discernuntur, etc. » Ed. — *nutrix* (cui parvulorum cura demandata est) *sedula*, sedulitate et officiosa voluntate placere studens. — *Mercatorne vagus*, quem itinera et multa cum hominibus consuetudo facundum, catum, concinnum et multarum rerum peritum reddiderunt, cui opponitur *virentis agelli cultor*, homo simplex, rudis, indisertus et rusticis moribus. — *Colchus, an Assyrius*, etc. Vet. Schol. « Nam Colchus non nisi sævus inducendus est; Assyrius astutus: nec inducas Argis natum timidum, aut Thebis natum facias peritum. » Sic Bolæus in Art. Poetic. lib. III, 115: « Des siècles, des pays étudiez les

Digitized by Google

AUT FAMAM sequere, aut sibi convenientia finge,
Scriptor. Honoratum si forte reponis Achillem; 120
Impiger, iracundus, inexorabilis, acer,
Jura neget sibi nata, nihil non arroget armis:

mœurs; Les climats font souvent les diverses humeurs. » ED.

119. NONUM PRÆCEPTUM. Poeta, qui res memoriæ proditas tractat, diligentissime eas describere, et ingenia moresque eorum, quos producit, iisdem, quibus expressi sunt, coloribus de integro sollertissime adumbrare debet; at qui res fingit, et res fictas primum scenæ committit, novasque personas formare audet, is et sibi convenientia fingere, et omnia ac singula ad rei fictæ naturam ab initio usque ad finem scitissime accommodare debet. Idem, quum difficile sit tractare velle, quæ a nemine adhuc tractata sunt, materiam scribendi petat ab iis, qui divini ingenii specimina ediderunt, et doctrinæ copias publice exposuerunt, ita tamen, ut neque verbis nimium inhæreat; neque serviliter illos imitetur; neque pro magnis, quæ jactabundus promisit, pusilla edat; neque fulgentia obscuret, sed obscura illustret; neque rem ab alta origine repetat, sed auditorem in mediam rem rapiat et ad eventum festinet; neque quidquam, cui impar sit, moliatur.

119. *Famam*, quæ litteris consignata traduntur, quæ ab omnibus admittuntur, sive de historicis, sive de mere poeticis, personis agatur. *Famam sequi*, est personam ex historiis, vel ex poetarum operibus sumere; quod qui facit, non recedere debet ab iis quæ de hac persona vel historici, vel poetæ tradidere. Quod ab Aristotele dicitur τὸ ὅμοιον (poet. c. XIV); qui vero aliquam fictam inducit personam, eam illi tribuere debet indolem quæ et ipsi congruat, et usque ad finem sibi constet: quod Aristoteles vocat τὰ ἀρμόττοντα ἤθη καὶ ὁμαλα. (ibid.) ED. — *Scriptor;* alii punctum ponunt post *finge*, et virgulam post *scriptor*. Quæ differentia parvi momenti est. ED.

120. *Honoratum*, ab Homero celebratum carmine; per λιτότητα prio: heroem celebrare; Cic. de Divinat. c. 40: « Amphiaraum sic *honoravit* fama Græciæ, deus ut haberetur. » — *reponis; ponere* (ἱστάναι) de pictoribus pro: describere, adumbrare, vid. supr. ad Od. IV, 8, 8: *reponere* igitur pro: de integro post Homerum describere. (Vide Excursum VII, ad calcem.) — *Impiger* (ἄκαμας), sc. sit, quod v. 123 sequitur. Sic supr. Od. IV, 8, 30: « Hercules *impiger*, » et Tiberius Od. IV, 14, 22: « *impiger* Hostium vexare turmas. » — *iracundus* (ὀξύχολος), natura ad iram proclivis, irritabilis. — *inexorabilis*, sic Achilles supr. Od. I, 6, 6: « cedere nescius, » et Epod. XVII, 14: « pervicax. » — *acer*, gravis, vehemens, minax. Hom. Il. XX, 461: « Οὐ γάρ τι γλυκύθυμος ἀνὴρ ἦν, οὐδ' ἀγανόφρων, Ἀλλὰ μάλ' ἐμμεμαώς. » — *Jura neget sibi nata*, nulli juri se obnoxium profiteatur. — *nihil non arroget armis*, putet se armis omnia posse consequi; at contra Gnatho

Digitized by Google

Sit Medea ferox invictaque; flebilis Ino;
Perfidus Ixion; Io vaga; tristis Orestes.
Si quid inexpertum scenæ committis, et audes
Personam formare novam; servetur ad imum,
Qualis ab incœpto processerit, et sibi constet.
Difficile est proprie communia dicere, tuque

Terentianus : « Omnia prius experiri, quam armis sapientem decet. » Ed.

123. *Sit Medea ferox invictaque*, cujus ferox et immitis animus, quum fratrem Absyrtum discerperet, et Jasonis perfidia in furorem acta filios suos trucidaret, non vinci et frangi poterat nefandi sceleris cogitatione.— *Ino*, Cadmi et Hermiones filia, quum maritum suum, Athamantem, Thebanorum regem, qui, furore correptus, uxori mortem intentabat, non amplius effugere pŏsset, una cum filio suo Melicerte se in mare dedit præcipitem, ubi mutata est in deam marinam, cui nomen erat *Leucothea*, uti filius Melicertes sub nomine *Palæmon* dei marini honorem accepit. In fabula *Inus* mirum in modum variant et discrepant scriptores. — *flebilis*, aut passive, digna miseratione et fletibus, supr. Od. I, 24, 9–10 : « Multis ille bonis flebilis occidit, Nulli flebilior, quam tibi, Virgili. » *Flebilis* Hector, Ovid. Am. II, 1, 32 : aut active, quæ de misera sorte lacrimas fundebat, a marito scilicet se persequente pressa.

124. *Ixion*, rex Thessaliæ. — *perfidus*, ob incestum erga Junonem amorem, quem Jovis conviva adeo exsatiare cupiebat.—*Io*, Inachi filia, quum a Jove ob iram et odium, quo Juno eam ut Jovis pellicem vexabat et huc illuc agitabat, mutata esset in vaccam, post multos errores in Ægyptum venisse, Osiridi ibi nupsisse, et post mortem *Isis* facta esse in fabulis traditur; hinc illa *vaga*.—*trist. Or.* Orestes, Agamemnonis et Clytæmnestræ filius, quem matris sanguine pollutum Furiæ agitasse dicuntur, tristi et miseranda furentis specie in tragœdiis (Eurip. Orest. Sophocl. Electr.) sistitur. Ovidius similiter Trist. V, 5, 21–22 : « Ut foret exemplum veri Phocæus amoris, Fecerunt furiæ, *tristis* Oresta, tuæ. » Ed.

125. Jam explicat poeta v. 119 posteriorem partem *sibi convenientia finge*.—*servetur ad imum Qualis ab incœpto*, etc. Semper usque ad finem eamdem indolem retineat. Hoc est morum æqualitas. Et si persona, ut ait Aristoteles, inæqualis animi est, oportet eam æqualiter inæqualem esse. Ad hujus loci imitationem Bolæus Art. Poet. lib. III, 124 : « D'un nouveau personnage inventez-vous l'idée? Qu'en tout avec soi-même il se montre d'accord, Et qu'il soit jusqu'au bout tel qu'on l'a vu d'abord. » Ed.

128. *Communia*, quæ nondum tractata unicuique tractanda se offerunt, quæ tanquam in loco communi palam proposita a quolibet pro lubitu capi et tolli possunt; — *proprie dicere*, nova et peculiari arte exponere, et quasi sibi propria facere. Vid. Ex-

Digitized by Google

Rectius Iliacum carmen deducis in actus,
Quam si proferres ignota indictaque primus.
Publica materies privati juris erit, si
Nec circa vilem patulumque moraberis orbem;
Nec verbum verbo curabis reddere fidus
Interpres; nec desilies imitator in arctum,
Unde pedem referre pudor vetet, aut operis lex.
Nec sic incipies, ut scriptor cyclicus olim:
« Fortunam Priami cantabo et nobile bellum. »

cursum VIII, inprimis notabilem. Ed. — *tuque Rectius Iliac. carm. ded. in actus*, rectius argumenta jam tractata ab aliis, e. c. ex Homeri carmine Iliaco hauris et in scenam deducis; lectionem, a *Fea* exhibitam, *diducis* vulgari lectioni *deducis* nonnulli præferunt; *diducere* enim eleganter dicitur de fontibus, e quibus aqua dimanat, atque in diversos rivulos *diducitur*. — *ignota indictaque*, quæ nemo alius legerit dixeritve: *indictum* enim id etiam est, quod non ante dictum. Virgil. Æn. VII, 733: « Nec tu carminibus nostris *indictus* abibis, etc. » Sic Noster Od. III, 25, 7. « Dicam insigne, recens, adhuc *Indictum* ore alio. » Ed.

131. *Publica mater. privati juris erit*, materiem, jam ab aliis publicatam et in medio positam poteris tibi propriam facere, et in usum privatum convertere, si neque rebus tritis et vulgaribus putide immoraberis, neque, sicuti fidus interpres, (comparationis particula *ut* ad *fidus interpres* omissa est; vid. supr. ad Epist. I, 2, 42) verbum verbo reddere curabis, neque servili imitatione te præcipitem dabis in ejusmodi angustias, unde pudor et instituta lex, qua opus tractare cœpisti, pedem expedire te prohibeat. — Per *vilem et patulum orbem* eleganter exprimitur late patens gyrus vel spatium, in quo aliquis ex vilis rei studio huc illuc discurrit et circumagitur (τόπος κοινός); *in arctum*, scil. locum, *patulo orbi* oppositum. — *pudor, aut operis lex*, scilicet, qui nimium imitandi studio se abripi passus est, is non audet, præ pudore fateri se pravum iter iniisse, nec potest, ob incœpti operis institutum, novam viam ingredi. Ed.

136. *Ut scriptor cyclicus olim*, quod nomen gesserit malus iste poeta cyclicus, quem h. l. Horatius notat, divinent alii. De *poetis cyclicis*, qui de rebus, tam ipso bello Trojano, quam ante et post illud, gestis, intra cyclum vel gyrum quemdam se continentes ad Homeri exemplum carmina concinnare conati sunt, post *Schwarzium* Altdorf. in peculiari *Dissert. de Cyclo Epico*, Casaubonum ad Athen. VII, 4, Dodwell. de Cycl. p. 802, copiose et docte disputaverunt Heynius in Excurs. I, ad Virg. Æn. II, et Jacobsius in præfat. ad Tzetz. pag. XX, sqq. Fuerunt quoque, qui *poe-*

Digitized by Google

Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?
Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus.
Quanto rectius hic, qui nil molitur inepte:
« Dic mihi, Musa, virum, captæ post tempora Trojæ,
Qui mores hominum multorum vidit et urbes. »
Non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem
Cogitat, ut speciosa dehinc miracula promat:
Antiphaten, Scyllamque, et cum Cyclope Charybdin;

tas cyclicos de poetis circumforaneis et circulatoribus interpretarentur. — *Quid dignum*, etc. *Quid hic promissor feret* (proferet, edet) *dignum tanto hiatu*, quod respondeat verbis, quæ tanto oris hiatu et plenis buccis denunciat? Nam ventosus iste poeta cyclicus, *conclusas hircinis follibus auras* (Sat. I, 4, 19) imitans, non Musa aliqua Homeri exemplo in partes vocata, ferox fidensque ingenii ita carmen exorditur: « Ego post Iliadem Fortunam Priami cantabo et nobile bellum. » — *Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus.* Hujus proverbialis locutionis, qua homo vanus, grandia moliens minansque, sed pusilla proferens, cum monte post graves labores ridiculum murem in dias luminis auras edente, comparatur, mentio quoque fit apud Athenæum Deipn. XIV, 6: « Ὤδινεν ὄρος· Ζεῦς δ' ἐφοβεῖτο· τὸ δ' ἔτεκεν μῦν. »

140. *Qui nil molitur inepte*, laudatur Homeri judicium et ingenii ratio. — *Dic mihi Musa virum*, etc. En tres primi Odysseæ versus latinis numeris ab Horatio, sed non ad verbum expressi. Idem vero in Epist. I, ad Lollium, iisdem pæne verbis: « Qui domitor Trojæ multorum providus urbes, Et mores hominum inspexit. » Ed. — *Non fum. ex fulg.* etc. Illi ex fulgore fumum dant, qui initio præclare se gerere affectant, mox tanquam lumen videntur exstingui, et paulatim deficiunt, vel etiam repente; ii vero lucem dant ex fumo, qui e tenui modestoque principio altius provehuntur et perpetuo quodam tenore semper excrescunt. Leves scilicet paleæ, vel minimo igni admoto, subito exardescunt, claramque dant flammam, at brevi exstinguuntur; unde nos rem magni sed brevissimi splendoris vocamus: « *un feu de paille.* » Lignum autem, primum difficile, ac nonnisi dato multo fumo, incenditur; simul ac autem inflammatum est, longo et æquali igni uritur. Ed. — *speciosa miracula promat*, nihil nisi hominis alicujus pererrationes pollicitus, res multas portentosas mirabilesque lectoribus enarrat, scilicet *Antiphaten, Scyllamque*, etc. varia hæc sunt Odysseæ episodia. Ed. — *Antiphates*, rex Læstrigonum, homo, cruenta crudelitate abominabilis, et Ulyssis sociis, quorum unum devoravit, infestissimus; vid. Hom. Odyss. X, 82-132. — *Scyllamque, et..... Charybdin*, de his duabus in mari Siculo voragi-

Digitized by Google

Nec reditum Diomedis ab interitu Meleagri,
Nec gemino bellum Trojanum orditur ab ovo.
Semper ad eventum festinat, et in medias res,
Non secus ac notas, auditorem rapit, et quæ
Desperat tractata nitescere posse, relinquit;
Atque ita mentitur, sic veris falsa remiscet,
Primo ne medium, medio ne discrepet imum.
Tu, QUID ego et populus mecum desideret, audi.

nibus, summi periculi terrore præternavigantes percellentibus, vid. Hom. Odyss. de *Scylla* quidem Lib. XII, 85; de *Charybdi* XII, 104, sqq. *Scylla*, ut docet Cluver. Sic. 1, 8, fuit scopulus, humanam olim forte formam referens, unde fluctus allisi ingenti fragore retundebantur; — *Charybdis*, fluctuum magno tumultu invicem se tundentium vehementior impetus. — *cum Cyclope*, Polyphemo, Cyclopum immanissimo.

146. *Nec reditum Diomedis*, etc. Nec Homerus, ut ineptus iste poeta cyclicus, narrationem de Diomedis e bello Trojano reditu incipit a re ante bellum Trojanum facta, a morte scilicet Meleagri; nec idem bellum Trojanum orditur ab Helena, ex altero duorum illorum ovorum, quæ Leda edidisse fingitur, exclusa. *Diomedis* pater, *Tydeus*, filius Œnei, Ætolorum regis, et Meleagri, cujus interitus vario modo narratur, frater fuit. — Aristoteles quoque, poet. c. XXII, Homerum laudat quod simul, totum Trojanum bellum, utpote longius ac pluribus eventibus impeditum non tractaverit. Ed. — *Semper ad eventum festinat*, etc. semper ad operis finem procedit, nec in episodiis lectorem moratur, quæ ad eum finem non perducant, et totius operis partes non sint. Ed. — *in medias res*, etc. Non causas Homerus exortæ inter Agamemnonem et Achillem iræ ante exponit, sed *in medias res* (Μῆνιν ἄειδε θεά) *Non secus ac notas* (tanquam jam notas) *auditorem rapit.* — *et Quæ desperat*, etc. prætermittit eas res, quæ minime lectorem moveant, aut delectent: id est, inter omnes operis sui partes, eas tantum tractandas legit, quæ aliquid pretii habeant. Hoc ad v. 39 redit: « Hoc amet, hoc spernat promissi carminis auctor. » Ed. — *Atque ita mentitur*, etc. atque res ita fingit, et fictis veras immiscet, ut prima, media et ultima amice in totam rem conspirent. Aristoteles in poet. c. XXIII: « Διδάσκει δὲ μάλιστα καὶ τοὺς ἄλλους ψευδῆ λέγειν ὡς δεῖ. » Ed.

153. DECIMUM PRÆCEPTUM. Scriptor, qui sibi conciliare cupit auditorum vel spectatorum animos, quomodo homines pro sua quisque ætate agant sentiantque, penitus perspectum habeat, necesse est. Sic enim, quod pueris, juvenibus et senibus tribuendum est, unicuique tribuet, et, si eos tales, quales vere sunt, egregie de-

Digitized by Google

Si plausoris eges aulæa manentis et usque
Sessuri, donec cantor, *Vos plaudite*, dicat;
Ætatis cujusque notandi sunt tibi mores,
Mobilibusque decor naturis danduș, et annis.
Reddere qui voces jam scit puer, et pede certo
Signat humum, gestit paribus colludere, et iram
Colligit ac ponit temere, et mutatur in horas.
Imberbis juvenis, tandem custode remoto,

scriptos expressosque in scenam produxerit, plausum feret. — *desideret*, a te exigat. — *Si plausoris eges*, si exoptas spectatorem plaudentem. — *plausoris aulæa manentis*, usque ad finem fabulæ in spectaculo manentis; — *aulæa* autem, peracta fabula, non sicut nunc, ex loco superiore demittebantur, sed ex inferiore loco sursum trahebantur; vid. supr. ad Epist. II, 1, 183. — *cantor*, histrionum unus, *Vos plaudite*, decantans. Hoc ad cujusque comœdiæ vel tragœdiæ finem dicebatur. Quintil. l. VI, c. 1: « Tunc est commovendum theatrum, quum ventum ad ipsum illud, quo veteres comœdiæ tragœdiæque claudantur: plaudite. » Ed. — *Mobilibusque decor*, etc. hunc locum, de quo multum pulveris, præcipue a Bentleio, sparsum est, ita interpretor: *natura* jam est, indoles, ingenium, sentiendi ratio, quam cuique hominum ætati natura insevit; hæc insita indoles est *mobilis*, h. e. mutabilis; aliter enim puer, aliter juvenis, aliter vir, aliter senex sentit. Sensus igitur: Et (*dandus est decor*) tribuendum est id, quod decet et convenit (*mobilibus naturis*), hominum ingeniis et studiis, quæ cum ætate et annis mutantur. — Plures secuti sunt Bentleium, qui pro: *naturis* reposuit: *maturis*; sed primum pueriles anni vix simpliciter possunt dici mobiles; unicuiusque enim ætatis anni sunt *mobiles*; deinde Horatius non duas tantum, sed quatuor, ut sequentia docent, vitæ ætates designare voluit. (Vid. Excurs. IX.)

158. Hic locus de cujusque vitæ ætatis natura præstantissimus comparandus omnino est cum Aristot. Rhet. II, 12, seqq. — *Reddere qui voces jam scit puer*, qui ex infante factus est puer; Virgil. Æneid. VI, v. 988: « et notas audire et *reddere voces*. » Ed. — *et pede certo Signat humum*; eleganter pro: firmum gressum in solo ponit, firmo pede incedit. Apud Virgil. Georg. III, 101, de juvencis vestigia in pulvere exprimentibus: *et summo vestigia pulvere signent*. — *temere*, facile et inconsideranter; supr. Epist. II, 1, 190: « vatis avarus Non *temere* est animus. » Hanc ipsam puerorum naturam Terentius eleganter expressit in Hecyra, v. 310 sq. « Pueri inter se quas pro levibus noxis iras gerunt! Quapropter? quia enim, qui eos gubernat animus, infirmum gerunt, etc. » Ed.

161. Particula *tandem* facete ado-

Digitized by Google

Gaudet equis canibusque, et aprici gramine campi;
Cereus in vitium flecti, monitoribus asper,
Utilium tardus provisor, prodigus æris,
Sublimis, cupidusque, et amata relinquere pernix.
Conversis studiis, ætas animusque virilis
Quærit opes et amicitias, inservit honori,
Commisisse cavet, quod mox mutare laboret.
Multa senem circumveniunt incommoda, vel quod
Quærit, et inventis miser abstinet, ac timet uti;
Vel quod res omnes timide gelideque ministrat,
Dilator, spe longus, iners, avidusque futuri,

lescentis, qui hujus temporis, quo ex juvenili ætate excedat, impatiens est, exprimit ingenium. — *Gaudet equis canibusque* : « Quod plerique omnes faciunt adolescentuli, Ut animum ad aliquod studium adjungant, aut equos Alere, aut canes ad venandum, etc. » Hæc verba Terentii sunt in Andria, v. 55, ad quæ videtur Hor. dum scriberet, respexisse. Ed. — *aprici gramine campi*, gymnasticis exercitationibus in Campo Martio. Supra quoque Od. I, 8, 5, Campus Martius dicitur *apricus*. — *Cereus* (κήρινος), cereæ instar flexibilis. — *Utilium tardus provisor*, eleganti brevitate pro : in rebus utilibus, quibus vitæ futuræ providere debet, tardus. — *Sublimis*, altiora spirans (ὑπέροχος). — *et amata relinquere pernix*, similiter Epist. II, 1, 100, de puella infante : « Quod cupide petiit, mature plena relinquit. »

166. *Conversis studiis*, animo a juvenilis ætatis studiis ad ea, quæ virili ætati propria sunt, converso. — *inservit honori*, dignitatem sectatur. *Commisisse cavet*, etc. nunquam temere et inconsideranter agit, sed iterum atque iterum quid facturus sit perpendit, ne mox sit hujus quod fecerit, pœnitendi locus. Matii verba in Epistol. ad M. Tullium eadem prorsus sententia locum hunc mirum in modum illustrant; hæc enim scribit : « An quod adolescens præstiti, quum etiam errare cum excusatione possem, id nunc ætate præcipitata commutem, ac me ipse retexam? non faciam, neque quod displiceat committam. » Ed. — *circumveniunt*, circumvallant, premunt. — *Quærit*, scilicet opes, *et inventis*, quæsitis, collectis, *miser abstinet, ac timet uti*; supr. Sat. II, 3, 140 : « Nescius uti Compositis, metuensque velut contingere sacrum. » — *gelideque*, et animo, qualis est senum, frigido, h. e. haud promto paratoque, sed lento et anxio; — *ministrat*, administrat, peragit. — *spe longus*, qui longioris vitæ spem alit, ipse jam dicitur *spe longus* (μακρὸς ἐλπίδι). Huc facit locus Ciceronis, a Lambino allatus, de Senect. cap. 7 : « Nemo enim

Digitized by Google

Difficilis, querulus, laudator temporis acti
Se puero, censor castigatorque minorum.
Multa ferunt anni venientes commoda secum,
Multa recedentes adimunt. Ne forte seniles
Mandentur juveni partes, pueroque viriles,
Semper in adjunctis, ævoque morabimur aptis.
Aut agitur res in scenis, aut acta refertur.
Segnius irritant animos demissa per aurem,

tam senex, qui se annum non putet posse vivere. » — *iners*, ob virium defectionem rebus gerendis minus aptus. — *aviduseque futuri*, nonnulli intelligunt cupidus sciendi, *quid sit futurum cras* (Od. I, 9, 13). Sed ego malim explicare : « vitæ longioris cupidus, summopere mortis metuens. » (Vide Excursum IX, ad v. 172.) Ed. — *Difficilis*, haud facilis se adeuntibus, morosus (δύσκολος) : *querulus*, assiduis de sorte sua querelis fatigans alios (μεμψίμοιρος). — *minorum*, juniorum. — *Multa ferunt anni*, etc. Donec ad ætatis robur desiimus progredi, vita quasi ad nos accedere videtur, quum semper vires corporis et animi in diem augeantur. Inde autem debilitamur et frangimur, et vita quasi recedere, et abire, donec omnino desinat, donec moriamur, dici potest. Anni igitur usque ad hoc humanæ ætatis quasi culmen, venire, inde autem recedere dicuntur. Ed. — *Multa recedentes adimunt*, ipse quæ nobis ætas jam devexa adimat, enumerans, ait Epist. II, 2 : « Singula de nobis anni prædantur euntes, Eripuere jocos, Venerem, convivia, ludum, etc. » Ed. — *Semper in adjunctis, ævoque*, etc. semper eorum, quæ cuique ætati adjuncta et apta sunt, h. e. conveniunt, rationem habebimus ; — *immorari* alicui rei dicuntur, qui diligentiorem curam et operam in aliqua re recte tractanda ponunt.

179. Undecimum Præceptum. Quum ea, quæ oculis conspiciuntur, multo gravius animos spectatorum afficiant, quam illa, quæ audiuntur, horroris plena non oculis in scena subjici, sed tanquam intus acta narrari debent.

180. *Segnius*, eleganter pro : minus vehementer, lenius, languidius. — *fidelibus*, de iis, quæ audimus, possumus dubitare, non ita de iis, quæ videmus ; hinc *oculi fideles* (πιστοί). — *et quæ Ipse sibi tradit spectator*, quæ audimus, traduntur nobis ab aliis ; quæ vero spectamus, ea ipsi nobis per oculos tradimus. — *intus*, extra scenam. — *quæ mox narret facundia præsens*, quæ mox persona in scenam prodiens (*præsens*) facunde edisserat. Locus est Aristotelis simillimus, quem, quia ad hæc quoque intelligenda facit, subjicimus : « Quum metus et misericordia, quas sibi propositas perturbationes habet optimus quisque poeta,

Digitized by Google

Quam quæ sunt oculis subjecta fidelibus, et quæ
Ipse sibi tradit spectator. Non tamen intus
Digna geri, promes in scenam, multaque tolles
Ex oculis, quæ mox narret facundia præsens.
Ne pueros coram populo Medea trucidet,
Aut humana palam coquat exta nefarius Atreus,
Aut in avem Progne vertatur, Cadmus in anguem.
Quodcumque ostendis mihi sic, incredulus odi.

Neve minor, neu sit quinto productior actu
Fabula, quæ posci vult, et spectata reponi;
Nec deus intersit, nisi dignus vindice nodus

rebus ipsis agendis et sub oculos subjiciendis magnopere commoveantur: majoris tamen est artis ac poetæ longe præstantioris, res sic apte ipsas constituisse ac perscripsisse, ut, quum removeantur ab oculis, illa ipsa tamen commemoratione tum inhorrescamus, tum commisereamur etiam audientes; quibus sane modis affici necesse est eos qui OEdipodis fabulam tantum audierint. At rebus ipsis admotis propius et aspectis perturbationes illas demum in animis spectatorum efficere atque ingenerare, id vero est operæ et negotii minoris, etc. » Ed.

185. *Pueros Medea trucidet*, cf. supr. ad v. 123. — *Atreus*, de horrenda illa cœna, quam Atreus fratri suo Thyestæ apparavit, vid. supr. ad v. 91. — *in avem*, secundum Anacr. Virg. Propert. et alios; in lusciniam, vid. ad Catull. LXV, 14, sed secundum Ovidium in hirundinem. Ceterum fabula Terei, Prognes et Philomelæ, est una earum, quas felicissime tractavit Ovidius Met. VI, 425, seqq. De *Cadmo*, Thebarum conditore, in anguem mutato, vid. Apollod. III, 5, 4. — *sic*, scilicet, ut in scenam producas incredibilia, hominum in aves, angues, etc. mutationes.

189. Duodecimum Præceptum. Cavendum est, ne fabula ultra quinque actus producta fastidium tandem creet spectatoribus; ne repentino dei alicujus interventu rei implicitæ nodus importuno tempore solvatur; ne quarta persona sermocinantibus in scena sese immisceat; ne quid chorus intercinat, quod a re, quæ agitur, alienum sit.

189. *Neve minor*, etc. Ut certus in scribendis peragendisque fabulis servetur modus, Horatius eas nec ultra quinque actus producendas, nec in pauciores actus redigendas esse docet; ideo, ut videtur, quia tum sæpius peccabatur in utramque partem. — *posci*, sc. ad spectandum. — *reponi*, iterum spectari, repeti, iterari; sic supr. v. 120: « reponere Achillem » pro: novo carmine de integro laudes Achillis canere.

191. *Nec deus intersit*, etc. Nec

Digitized by Google

Inciderit; nec quarta loqui persona laboret.
Actoris partes chorus, officiumque virile
Defendat; neu quid medios intercinat actus,
Quod non proposito conducat, et hæreat apte.
Ille bonis faveatque, et consilietur amicis,
Et regat iratos, et amet peccare timentes;

in partes vocetur *deus* (quod vulgo nunc dicitur) *ex machina*, nisi res implicita, quam deus aliquis repente apparens expediat, digna sit. Carpit scilicet Hor. eos poetas, qui ad rem quamcunque expediendam statim ad deum confugiunt, utrum digne, an indigne fiat, parum curantes. Hinc Cicero De Nat. D. c. 20 : « Ut tragici poetæ, quum explicare argumenti exitum non potestis, confugitis ad deum. » Hinc nata est proverbialis, quam sæpe audimus, locutio : *deus ex machina*, de rebus, quæ, nisi vis quædam divina ex improviso accedat, expediri nequeunt. Translata autem est hæc locutio e re scenica, si deus præter omnem exspectationem, per machinam aliquam demissus, in scena apparet. De hujus machinæ affabre constructæ et de loco superiore suspensæ in re scenica usu, sive *de scena versatili et ductili, in cujus superiore parte deorum sedes erant*, Bœttigerus meus, qui in his rebus habitat, copiose et docte disputavit in peculiari *Prolusione, Deum ex machina in re scenica veterum* illustrante. *Vimar.* 1800. Aristot. in poet. c. XIV : « Φανερὸν οὖν ὅτι καὶ τὰς λύσεις τῶν μύθων ἐξ αὐτοῦ δεῖ τοῦ μύθου συμβαίνειν, καὶ μὴ ὥσπερ ἐν τῇ Μηδείᾳ, ἀπὸ μηχανῆς, καὶ ἐν τῇ Ἰλιάδι τὰ περὶ τὸν ἀπόπλουν. » Ed. — *vindice*, deo, qui rem ab inextricabili difficultate *vindicet*, liberet, qui nodum solvat.

192. *Laboret*, sustineat. Horatius autem quartam personam ideo in colloquiis silere jubet, ne quatuor colloquentium sermo permixtus et perplexus minus capiatur ab auditoribus.

193. *Actoris partes chorus*, etc. Chorus actoris partes, et, quod decet chorum, strenue tueatur, ita quidem, ut nihil intercinat, quod non arcte cum fabulæ argumento cohæreat. Totus chorus autem conjunctim *actoris partes* sustinet, quia, dum canit, quæ fabulæ argumento respondent et accommodata sunt, simul agit. Idem præceptum dedit Aristot. in poet. c. XVII: « τὸν χορὸν δὲ ἕνα δεῖ ὑπολαβεῖν τῶν ὑποκριτῶν, καὶ μόριον εἶναι τοῦ ὅλου. » Ed. — *Defendat*, partes defendere sic dixit, ut alibi *partes tutari*, et *vicem defendere*; Epist. II, 1: « Quo pacto partes tutetur amantis ephebi, » et in Serm. I, 10 : « Defendente vicem modo rhetoris, atque poetæ. » Ed. — *Ille bonis faveat*, etc. In versibus sequentibus quædam eorum, in quibus peragendis et commendandis versari inprimis debeat chorus, nominatim præcipiuntur. — *consilietur*, pro : consulat, ut videtur, fideliter consilia afferat. — Pro : *amet peccare timentes*, ex duorum Codd. auctoritate Bentleius refinxit : « et

Digitized by Google

Ille dapes laudet mensæ brevis, ille salubrem
Justitiam, legesque, et apertis otia portis,
Ille tegat commissa, deosque precetur et oret,
Ut redeat miseris, abeat fortuna superbis.

Tibia non, ut nunc, orichalco vincta, tubæque
Æmula, sed tenuis simplexque foramine pauco,
Adspirare et adesse choris erat utilis, atque

amet *pacare* tumentes; »—*amet* explicat: soleat, quod admodum friget; explicari certe debebat: et sibi placeat in pacandis ira tumentibus; sed *pacare tumentes* jam expressum est per: *regere iratos*, nam qui *regunt iratos*, eosdem pacant. (Vid. Excurs. X.)

198. *Dapes mensæ brevis*, victum tenuem, qui brevi tempore sumitur; similiter supr. Epist. I, 14, 35: « cœna brevis. »—*et apertis otia portis*, pro vulgari: et pacem; pace enim non clauduntur portæ; sic supr. Od. III, 5, 23, Regulus de Carthaginis securitate: « vidi... Portas non clausas. »—*tegat*, tegi (occultari, recondi) jubeat; — *commissa*, sc. fidei, quod supr. Sat. I, 3, 95, additur.

202. Præceptum decimum tertium. Quum ad ea, quæ prolatis imperii Romani finibus et aucto populi numero in civitatem immigrarunt, pertineat quoque major licentia, quæ modis numerisque chori cantum temperantibus accessit; poeta versus ad mutatam artis musicæ disciplinam, ad mutatos mores, et in universum ad ætatis ingenium, moderari, conformare et componere debet.

202. *Tibia non, ut nunc, orich. vincta*, pars tragœdiæ necessaria musica erat apud veteres. Aristot. poet. c. VI: « Ἀνάγκη οὖν πάσης τραγῳδίας μέρη εἶναι ἓξ, καθ' ἃ ποιά τις ἐστὶν ἡ τραγῳδία. Ταῦτα δ' ἐστὶν Μῦθος, καὶ Ἤθη, καὶ Λέξις, καὶ Διάνοια, καὶ Ὄψις, καὶ Μελοποιΐα..... καὶ γὰρ ὄψιν ἔχει πᾶν, καὶ ἦθος, καὶ μῦθον, καὶ λέξιν, καὶ μέλος, καὶ διάνοιαν ὡσαύτως. » Ed. — *orichalcum* vel *aurichalcum* est metallum pretiosius, colorem auri referens, sive æs luteum, vid. Beckmann ad Arist. Mirab. p. 93, 132, 133: et Celeberr. Heinrich ad Hesiodum, Scut. Herc. v. 122. — *orichalco vincta* dicitur *tibia*, sive quod illa, e simplice duplex facta, orichalco vinciebatur et copulabatur; sive quod tibiæ partes per internodia orichalco munita distinguebantur; sive quod tibia vinculis quisbusdam, vel ornamentis ex orichalco factis conspiscua erat. Pro: *vincta* recepit Bentleius *juncta*: sed hæc lectio illius mihi videtur esse interpretatio. — *tubæque Æmula*, dum tibia æque ac tuba sonis acutioribus et gravioribus aures percutiebat. — *Adspirare*, eleganter pro: accinere, quia tibia *spiritu* inflatur. — *erat utilis*, eleganter pro: solebat, adjuncta *utilitatis* notione. — *atque Nondum*, etc. junge: *atque sedilia nondum nimis spissa complere flatu.* — *spissa sedilia*, supr. Epist. I, 19, 41: « Spissis indigna theatris Scripta pudet recitare. » Epist. II, 1, 60:

Digitized by Google

Nondum spissa nimis complere sedilia flatu;
Quo sane populus numerabilis, utpote parvus,
Et frugi, castusque, verecundusque coibat.
Postquam cœpit agros extendere victor, et Urbem
Latior amplecti murus, vinoque diurno
Placari Genius festis impune diebus,
Accessit numerisque modisque licentia major.
Indoctus quid enim saperet, liberque laborum,
Rusticus urbano confusus, turpis honesto!
Sic priscæ motumque et luxuriem addidit arti

« arcto stipata theatro Spectat Roma potens. » — *Quo* (in sedilia nempe theatri) *coibat populus sane numerabilis* (numerabili utique copia), *utpote parvus*, quia parvus erat, non copia innumerabili, ut nunc; isque (*frugi*) industrius, pudicus et modestus. Quum spectatores in parvo numero essent, et boni, casti et verecundi, dulcis et gravis antiquæ tibiæ sonus sufficiebat.

209. *Latior*, latius patens, extensior, amplior. — *vinoque diurno*, et conviviis vel compotationibus *de die*, h. e. ante tempus solitum, vel justo tempestivius incipientibus; sic Græci ἀφ' ἡμέρας πίνειν; vid. Amiciss. Jacobs, ad Anthol. Gr. T. VIII, p. 144, et hinc ejusmodi convivia dicuntur *tempestiva*; vid. Ernest. in Clav. Cic. s. v. *de* et *tempestivus*. — *Placari Genius*, sic supr. Od. III, 17, 15: « Genium mero curare; qui hilaritati et vitæ jucunditati indulgent, dicuntur *placare* vel *curare Genium*, dum grato animo fruuntur muneribus, quæ *Genius*, cuique homini addictus, suppeditat. Hinc *Genio suo indulgere*, pro: iis, quæ delectant, indulgere. — *impune*, libere, nulla lege huic vivendi mori obstante; supr. Epist. I, 5, 10: « *impune* licebit Æstivam sermone benigno tendere noctem. » — *Indoctus quid enim*, etc. Quomodo enim confusa hominum turba, ubi rusticus (*indoctus*), homo rudis, et post peractos labores genio suo indulgens, urbano, (*turpis honesto*) purus impuro, vel incultus exculto, immiscebatur, recte de hac re sentire et subtiliter judicare poterat?

214. *Sic*, hinc factum est, ut tibicen (cf. supr. Epist. II, 1, 98.) (*priscæ arti*) pristinæ simplicitati, ubi tibia tenuis simplexque foramine pauco adspirabat choro (supr. 203), adderet (*motum*) mimicos gestuum motus et luxuriosam magnificentiam, et per pulpita (*vagus*) huc illuc se promovens veste longa (syrmate) humum verreret. — *motus*, de corporis jactatione mimica, vel de saltatione; supr. Od. III, 6, 21: « *Motus* doceri gaudet Ionicos Matura virgo; » sic « motus dare, » pro: saltare, Virgil.

Digitized by Google

Tibicen, traxitque vagus per pulpita vestem.
Sic etiam fidibus voces crevere severis,
Et tulit eloquium insolitum facundia præceps:
Utiliumque sagax rerum, et divina futuri,
Sortilegis non discrepuit sententia Delphis.
CARMINE qui tragico vilem certavit ob hircum,
Mox etiam agrestes Satyros nudavit, et asper
Incolumi gravitate jocum tentavit, eo quod

Georg. I, 350. Liv. VII, 2, et sic *moveri* infr. v. 232, pro: saltare. Supr. Epist. II, 2, 125: « Cyclopa movetur. » — *per pulpita*, per scenæ solum tabulis stratum, cf. infr. ad v. 279.

216. *Sic etiam*, sic etiam factum est, ut lyra, auctis fidibus, plures sonos ederet; *lyra* dicitur *severa*, quia *severa*, h. e. graviora et sublimiora canit. — *facundia præceps*, facundia, præcipite quasi cursu ruens; hinc supr. Od. IV, 2, 5, seqq. de Pindaro: «Monte decurrens velut amnis... Fervet, immensusque ruit profundo Pindarus ore. » — *tulit* (protulit), eloquium insolitum; hinc Horatius supr. Od. III, 25, 7, de se ipso: « Dicam insigne, recens, Adhuc indictum ore alio. » — *Utilium sagax rerum*, etc. et sententia, res utiles, sagaciter pervestigatas complectens, et divinitus prædicens futura, non discrepuit ab oraculis et vaticiniis, quæ Delphis edebantur.

220. PRÆCEPTUM DECIMUM QUARTUM. Postquam ad Musam tragicam accessit Satyrus, sive drama satyricum, licebit quidem poetæ tragico in gratiam eorum, qui animi recreandi et exhilarandi causa spectatum veniunt, sales satyricos et dicteria adspergere, sed hac lege, ut gravitatem servet incolumem; ut suam cuique, quæ inducitur, personæ tribuat dignitatem; ut sermo neque nubes et inania captet, neque ad humilitatem et sordem deprimatur; ut rei de medio sumtæ orationis serie et junctura honor accedat; ut immunda et ignominiosa dicta exterminentur.

220. *Carmine qui tragico*, etc. Sensus, ut mihi videtur, est: Poeta tragicus mox etiam tragœdiis immiscuit sales satyricos, eo quidem consilio, ut spectatoribus, qui delectari cupiunt, hac grata novitate satisfaceret. Horatius sequitur eos, qui originem vocis *tragœdia* a græca voce τράγος (hircus) et ᾠδή (cantus) repetunt; — *hircum* scilicet accipiebat, qui in solemni carminis tragici decantandi certamine vicerat. — *nudavit*, eleganter pro: nudos induxit; non ipsos Satyros, ut erant, nudos produxit; sed drama Satyricum a Satyris derivatum; — *asper*, acerbus in eos, quos jocose dictis urere tentavit. Supr. Epod. VI, 11: « in malos asperrimus. » Cic. Pro Planc. c. 14: « asperioribus facetiis perstringere. » — *Incolumi gravitate*, tragœdiæ ta-

Digitized by Google

Illecebris erat et grata novitate morandus
Spectator, functusque sacris, et potus, et exlex.
Verum ita risores, ita commendare dicaces
Conveniet Satyros, ita vertere seria ludo,
Ne, quicumque deus, quicumque adhibebitur heros,
Regali conspectus in auro nuper et ostro,
Migret in obscuras humili sermone tabernas;
Aut, dum vitat humum, nubes et inania captet.

men gravitatem retinens; hanc gravitatem retinendam dum tragœdiæ satyrici joci intermiscentur, explicat infra 226 et seq. Ed. — *morandus*, detinendus, advertendus, oblectandus, ut supr. Epist. I, 13, 17, et infr. v. 321. — *Functusque sacris et potus, et exlex*, ideo non sufficiebant meræ tragœdiæ adhibendique satyri erant ad detinendos spectatores, quia ipsi sacrificiis functi erant, quibus peractis vulgo genialibus conviviis indulgebatur, et compotationibus intererant, et jam, fere ebrii, nullam legem agnoscebant. Iis sane spectatoribus minime accommodata fuisset severa tragœdiæ gravitas. Ed.

225. *Verum ita risores*, etc. Sensus: Verum decebat poetam tragicum ita in partes vocare satyram, et seriis admiscere ludicra, ne vel deus, vel heros aliquis in scenam productus, et (*nuper*) modo regali magnificentia conspectus, aut ad humiliora dicteria, qualia in obscuris tabernis audiuntur, descendat; aut, dum humiliora refugit, ad altiora sese attollat et inania captet in nubibus. — Jam videtur hic Horatius præceptadare hujus scenici poematis, satyros græcos imitantis, *Atellanæ* dicti, ab urbe Atella, in qua primum inventum fuerat. In eo scilicet, quamvis de eo non satis certa habeamus documenta, admixtæ fuisse videntur et tragœdiæ gravitas, et comœdiæ facetiæ, ita ut hoc tragicomœdiæ nomine possit designari. Ed. — *risores... dicaces Satyri* pro: Satyra, quæ alios deridet et acute dictis pungit. — *commendare*, sc. spectatoribus et æquis tragœdiæ æstimatoribus. *Commendare* jam aliquid dicuntur, qui faciunt, quod dictum est. — *vertere seria ludo*, seria in ludum vertere, commiscere seria cum ludo. — *Ne quicumque deus*, etc. Hic præcipere videtur poeta, ut, in iis Atellanis sua cuique personæ indoles usque ad finem servetur, ut deus aut heros, mox ad sales et humilem sermonem descendat, sed deus et heros tragœdiæ partem impleant, aliæ autem personæ comicæ, comœdiam agant. Ed. — *tabernas*; tabernas jam posuit Horatius, pro pauperum casas, Od. I. I: « pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas. » Vel intellige tabernas vinarias, in quibus liberi et ingenui homines non versabantur. Ed. — *nubes et inania captet... et* jam est particula explicativa pro: scilicet, id est; (conf. supr. ad Carm. I, Od.

Digitized by Google

Effutire leves indigna tragœdia versus,
Ut festis matrona moveri jussa diebus,
Intererit Satyris paulum pudibunda protervis.
Non ego inornata et dominantia nomina solum,
Verbaque, Pisónes, Satyrorum scriptor amabo,
Nec sic enitar tragico differre colori,
Ut nihil intersit, Davusne loquatur, et audax

2, 16) nam qui captat nubes, captat inania.

231. *Effutire leves*, etc. non decet tragœdiam sæpe et larga copia effutire levioris argumenti versus, sed ea paulum pudibunda raro tantum inter satyros versabitur, h. e. raro, ac retento etiam aliquo pudore (quod supra *incolumi gravitate*), admittet satyræ lasciviam, sicuti matrona festis diebus tantum, h. e. raro saltat. — Suavissima est hæc tragœdiæ severæ, passim tantum satyræ protervitati locum relinquentis, cum matrona diebus festis tantum saltante comparatio! — *Effutire*, de versibus inconsiderantius et largiore copia profusis; *indigna effutire* (οὐκ ἄξια ἐκλαλεῖν), græce pro: non digna, quæ effutiat, h. e. quam non decet effutire; quia hoc infra ejus dignitatem est positum. — Quem non decet aliquid facere, vel qui non debet aliquid facere, is *indignus, qui id faciat*, dicitur; supr. Epist. I, 3, 35: « *indigni* (vos dedecet) fraternum rumpere fœdus. » Terentius Eunuch. V, 2, 26: « Nam si ego digna hac contumelia sum maxime, at tu *indignus*, qui faceres, tamen. — *leves*, satyricos. — *moveri*, saltare; vid. paulo ante ad v. 214. — *Intererit Satyris*; non, ut Lambinus, et qui eum secuti sunt, male explicant; « differet paululum a Satyris; » sed, immiscebitur Satyris.

234. *Non ego*, etc. Jam Horatius, postquam satyram in tragœdia quoque locum certis finibus circumscriptum habere docuit, ipse sibi, ut poetæ satyrico, exsequendas partes proponit atque demandat. — *inornata*, propria, non elegantiore significatione usurpata; — *dominantia*, penes quæ, ob communem eorum apud omnes usum, est rerum quas significant quasi dominatio; vulgaria. — *Satyrorum scriptor*, si satyros scriberem. — *amabo*, amplectar; supple: sed etiam ornatiora (elegantiora) et minus vulgaria. — *Nec sic enitar*, etc. Nec ego a sublimiore loquendi genere tragico ad eam in sermonibus, quos compono, satyricis loquendi humilitatem descendam, ut in nullo plane ponam discrimine, utrum inferioris conditionis servus vel ancilla, an Bacchi custos famulusque, Silenus, loquatur. — *tragico differre colori... color tragicus*, indoles loquendi generis, quo utuntur poetæ tragici, oratio scilicet sublimior; *differre alicui rei*, pro vulgari: ab aliqua re, ut supr. Sat. I, 4, 48. Epist. I, 18, 4: « nisi quod pede certo Differt sermoni. » — *Davusne loquatur*, servus Terentianus, cf. supr. ad v. 114. — *Pythias*,

Digitized by Google

Pythias, emuncto lucrata Simone talentum,
An custos famulusque dei Silenus alumni.
Ex noto fictum carmen sequar, ut sibi quivis
Speret idem, sudet multum, frustraque laboret
Ausus idem: tantum series juncturaque pollet!
Tantum de medio sumtis accedit honoris!
Silvis deducti caveant, me judice, Fauni,

ancilla, ut observat Vet. Schol. Cruq. apud Lucilium. — *Sim. Simo*, heri vel domini non apud Terentium tantum, sed etiam, ut videtur, apud Lucilium nomen. — *emuncto*, callide circumvento; locutio comica apud Plautum et Terentium *emungere aliquem*, pro: callido invento fraudare aliquem pecunia, explicari fortasse potest sic: supra Sat. I, 4, 8, Lucilius dicitur homo *emunctæ naris*, h. e. homo acutus, vide ibi *not. emungere aliquem* est: *nares alicujus emungere*, translate igitur: fraude et damno reddere aliquem acutiorem et circumspectiorem. — *Silenus*, Bacchi pædagogus, administer, et in ejus itineribus asino vectus comes; longe igitur Silenus ab inferioris conditionis servo differt.

240. *Ex noto fictum carmen sequar*, etc. versabor quidem, quum satyram scribo, in re nota et de medio sumta, ita quidem, ut quivis, se idem facili negotio facere posse opinetur, sed frustra eidem rei recte tractandæ insudabit: tam multum ab orationis excellentia, a rerum bene dispositarum et scite inter se junctarum ordine laus scriptoris pendet; tam multum valet ars, qua rebus vulgaribus paratur honor, h. e. pulchritudo, elegantia, gravitas. — *quivis Speret idem*, etc. ea maximi ingenii propria dos est, ut quod fecerit, potenter, ac sine contentione tractasse videatur. Quidquid autem lucide conceptum lucide quoque tractatur, ac peritissima partium dispositione et junctura pollet, ita veritati, ita naturæ ipsi proximum est, ut quisquis id legit, id perfacillime fieri posse credat. Ed. — *sudet multum frustraque laboret*, etc. Verum, inquis, ego ita scribam ludicra ea, quæ videntur esse non laboriosa et de medio petita, « ut res ipsa (quod de orationis subtilitate scribit Cicero) imitabilis illa quidem videatur esse existimanti, sed nihil sit experienti minus. » Sic quoque Epistol. II, 1, ad Augustum, Latinos impense tragœdia delectari, comœdiam vero, ut rem levem et nullius artis negligere, iniquo fert animo, fallique eos judicio atque opinione ostendit: « Creditur ex medio quia res accessit, habere Sudoris minimum; sed habet comœdia tanto Plus oneris, quanto veniæ minus, etc. » Ed. — *series*, partium dispositio et nexus. — *de medio*, de rebus vulgaribus, notissimis, non ab ipso scriptor inventis. Ed.

241. Horatius in versibus sequen-

Digitized by Google

Ne, velut innati triviis ac pæne forenses,
Aut nimium teneris juvenentur versibus unquam,
Aut immunda crepent ignominiosaque dicta:
Offenduntur enim, quibus est equus, et pater, et res,
Nec, si quid fricti ciceris probat et nucis emtor,
Æquis accipiunt animis, donantve corona.

Syllaba longa brevi subjecta vocatur iambus,
Pes citus: unde etiam trimetris accrescere jussit

tibus sententiam, quam supr. v. 227, seqq. in universum expresserat, nunc, ut satyrarum scribendarum doctor et judex, repetit, variat, illustrat, et tanquam rem graviorem inculcat. Hinc in v. 244, consulto addidit « me judice. »—*Fauni silvis deducti*, iidem, qui Satyri. Ovid. Met. VI, 392: « ruricolæ, silvestria numina, Fauni, Et Satyri fratres. » —*Fauni caveant*, Satyrarum scriptores caveant. — *ac pæne forenses, ac* ut ex seq. constat pro *aut* ponitur a poeta, nisi hanc particulam, a librariis depravatam fuisse malueris. Ed. Per *pæne forenses*, v. 245. Hor. designasse videtur juvenes in foro declamatores, exquisitiores loquendi formulas, vel, ut Petronius loquitur, mellitos verborum globulos captantes. — Quicquid sit, *pæne forenses* aperte opponuntur iis, qui *triviis innati* sunt, h. e. plebeculæ; *pæne forenses* versu sequente *teneris versibus juvenari* (νεανιεύεσθαι), h. e. molliter aut juveniliter luxuriari, *triviis* vero *innati* versu proxime sequente *immunda et ignominiosa dicta crepare* dicuntur.

248. *Quibus est equus, et pater, et res; equites, senatores et divites*, ut cultiores, opponuntur plebeculæ; de *equitibus* cf. supr. Sat. I, 10, 76. Epist. II, 1, 185, et in hac Epist. v. 113. — *Fricti ciceris et nucis emtor*, est plebs, quæ pro re tenui, cicere et nucibus vesci solebat; cogitavit fortasse Horatius simul de malorum poetarum ineptis chartis, quæ, quia ejusmodi merces iis amiciebantur, in manus plebis incidebant, vid. supr. Epist. II, 1, 269–270. —*donantve*, sc. malum poetam corona laurea.

251. Præceptum decimum quintum. Quum multum intersit, utrum poemata modulata, an immodulata sint, utrum versuum numeri et pedes leniter et molliter decurrant, an ponderibus quasi gravati et impediti moleste incedant; versus non ad indignam illam, quæ Romanis poetis data est, licentiam, sed ad exempla Græcorum componendi atque concinnandi sunt.

251. *Syllaba longa brevi*, etc. Elegantissima Iambi (⏑ –) descriptio. — *pes citus*, hinc *Mitscherlichius* supr. Od. I, 16, 24: « celeres Iambos » ad celerem eorum naturam refert. — *unde etiam*, etc. ob hunc celerem decursum factum quoque est, ut Iambus senos Iambos appellari ju-

Digitized by Google

Nomen iambeis, quum senos redderet ictus.
Primus ad extremum similis sibi; non ita pridem,
Tardior ut paulo graviorque veniret ad aures,
Spondeos stabiles in jura paterna recepit
Commodus et patiens; non ut de sede secunda
Cederet, aut quarta socialiter. Hic et in Accî
Nobilibus trimetris apparet rarus, et Ennî,
In scenam missos magno cum pondere versus,
Aut operæ celeris nimium curaque carentis,
Aut ignoratæ premit artis crimine turpi.
Non quivis videt immodulata poemata judex,

beret *trimetros Iambeos* (*quum senos redderet ictus*), quamvis senas percussiones redderet, quamvis esset senarius; — *trimeter*, constat tribus dupondiis, et dupondius (mensura duorum pedum) duobus pedibus. Facete autem Iambus, quod poetæ jusserunt, ipse jussisse dicitur. — *Primus ad extremum*, etc. ab initio iambi in unoquoque versu a primo usque ad extremum se invicem excipiebant, sive totus versus a prima iamborum inventione puris iambis componi solebat. — *stabiles*, eleganter spondei dicuntur *stabiles*, quia non saliunt curruntque, cicuti percitus Iambus, sed pondere suo retardati moras faciunt; — *in jura paterna*, in jura sibi soli adhuc propria, avita et hæreditate quasi accepta. — *Commodus*, officiosus, obsequiosus; ut supr. Od. IV, 8, 1, et Epist. II, 1, 227. — *non ut de sede secunda*, etc. ita tamen, ut spondeo, in societatem suam recepto, neutiquam secundam aut quartam sedem cederet, ob singularem fortasse vim, qua ille ad aures in 2 et 4 sede accidit. — *socialiter*, rebus quasi inter socios dispositis. Ed.

258. *Hic et in Accî*, etc. Jam Horatius poetam latinum tragicum Accium et Ennium carpit, quod neuter eorum iambi in secunda aut quarta sede ponendi rationem habuit; hic, ait, Iambus in secunda et quarta sede raro et in Accii trimetris invenitur, idemque Ennii versibus, quia ex iis, spondeorum pondere laborantibus, pariter exsulat, aut nimiæ festinationis ac negligentiæ, aut artis poeticæ ignorantiæ turpem culpam contraxit. Ceterum Horatius spondeorum pondus versu 260 (*In scenam missos*, etc. de quo vide Excursum XI, ad calcem) ex meris spondeis composito, ut Virgilius in notissimo illo versu: « Illi « inter sese magna vi brachia tollunt, » egregie expressit. — *premit*, facete hic etiam arguere et condemnare, ut nuper *jubere*, Iambus dicitur. Ed.

263. *Non quivis*, etc. Hic locus, qui valde vexavit et exercuit interpretes, bene mihi cohærere videtur sic: « Non quivis quidem judex, ut

Digitized by Google

Et data Romanis venia est indigna poetis.
Idcircone vager scribamque licenter? an omnes
Visuros peccata putem mea, tutus et intra
Spem veniæ cautus? Vitavi denique culpam,
Non laudem merui. Vos exemplaria Græca
Nocturna versate manu, versate diurna.
At nostri proavi Plautinos et numeros et
Laudavere sales; nimium patienter utrumque,
Ne dicam stulte, mirati; si modo ego et vos
Scimus inurbanum lepido seponere dicto,
Legitimumque sonum digitis callemus et aure.
IGNOTUM tragicæ genus invenisse Camœnæ

probe scio, immodulatorum poematum asperitatem et vitia sentit, et vere hæc licentia, (*indigna*) quæ non dari debebat, data est Romanis poetis; sed egone ideo huic datæ licentiæ confidens solutius et licentius scribam? » An sciam omnes peccata mea visuros esse, et tamen non accuratius scribam, tutus et securus, quia mihi spes est veniæ? hoc est vitare culpam, reprehensionem, sed non mereri laudem. Nam solet laus a præstanti virtute, non a venia proficisci. ED.

268. *Vos exemplaria Græca*, etc. At vos, Pisones, nolite illa poetarum romanorum licentia uti, sed contra Græcos scriptores usque et usque legite, ut ab iis imbibatis virtutes, quas bonus scriptor sectari debet.

271. *Nimium patienter*, nimis indulgenter. Horatius passim tangit Plauti vitia; supr. Epist. II, 1, 58, nimiam festinationem ei exprobrat; cf. supr. in hac Epist. v. 54. Conf. infra D. Euseb. *Salverte* de Plauto Excurs. XII, ad finem huj. Epist. ED. — *si modo ego et vos*, sit ita sane, ego et vos, Pisones, didicerimus lepida sejungere et discernere ab illepidis. — *Legitimumque sonum*, legitimos numeros et pedes. — *digitis callemus et aure*, qui versus faciunt, tam digitos in numerandis et jungendis pedibus in partes vocant, quam aures consulunt.

275. PRÆCEPTUM DECIMUM SEXTUM. Quum scriptores Romani, qui summo studio Græcos, tragœdiæ inventores, imitati jam res domesticas in scena celebrare cœperant, inciderent in vitium incuriæ, negligentiæ et festinationis; Horatius omnes, qui boni scriptoris laudem ad posteros propagare velint, vitium illud fugere, et, quicquid scribant, intentissima cura et summa diligentia emendare, expolire et elimare jubet.

275. *Ignotum tragicæ genus invenisse Camœnæ*, etc. Thespis primus scripsisse dicitur tragœdias; sed Bœt-

Digitized by Google

Dicitur, et plaustris vexisse poemata Thespis,
Quæ canerent, agerentque peruncti fæcibus ora.
Post hunc personæ, pallæque repertor honestæ
Æschylus, et modicis instravit pulpita tignis,
Et docuit magnumque loqui, nitique cothurno.
Successit vetus his Comœdia, non sine multa

tigerus in Prolus. « Quid Sit Docere Fabulam, » (*Vimar.* 1795, p. 6), artis dramaticæ initia ad longe remotiorem, quam Thespidis, ætatem refert. — *plaustris vexisse poemata*, non poemata tantum et ipse poeta cum aliquot histrionibus plaustris per compita urbis et vicorum vehebantur (vid. Bœttig. in libello laud. p. 6), sed plaustra quoque, quibus insternebantur tabulæ, erant pro pulpitis. — *peruncti fæcibus ora*, vel ut actorum vultus non agnoscerentur; vel quia vulgo hæc in diebus festis et in honore Bacchi fiebant, oraque fæce peruncta in illis orgiis genio effuse indulgentes ostendebant. Ed.

278. *Personæ, pallæque honestæ; persona*, larva, quæ opponitur histrionibus, ora fæce oblita ostendentibus. De *personis* neminem legisse pœnitebit Bœttigeri *Prolusionem: de Personis scenicis, vulgo larvis:* (*Vimar.* 1794.) — *palla honesta*, decora, dum illa syrmata per pulpita trahens regiam vel heroicam dignitatem quasi expandebat. — *Æschylus repertor*, poetarum enim erat, actores personis et vestimentis exornare; vid. Bœtt. l. l. p. 14. De Æschylo erudite disputavit Ill. Jacobs. in præclaro libello: *Beytrage zu Sulzer*, II, p. 397. — *modicis instravit pulpita tignis... tignis* est casus tertius. Subjectis non admodum amplis tignis imposuit pulpita, h. e. super mediocris magnitudinis tigna stravit solum, quo actores incederent. — *Et docuit magnumque loqui*, sc. futuros poetas edocuit. — *magnumque loqui*, jam de sublimitate tragica; at supr. Sat. I, 3, 13: « magna loqui » de jactantia. — *nitique cothurno*; cf. supr. ad Od. II, 1, 12, quæ de hoc diximus. Ed.

281. *Vetus comœdia*, cf. supr. ad Sat. I, 4, 1. — *in vitium excidit*, abiit, degeneravit. Idem Horatius poetas olim libere aliorum vitia palamque ac nominatim carpentes, lege prohibitos fuisse, ne id amplius facerent, simillimis versibus in Epist. II, 1, 145-6, ad Augustum, ait: « Fescennina per hunc inventa licentia morem Versibus alterius opprobria rustica fudit, » et quæ sequuntur. Ed. — *Dignam lege regi*, quæ debebat lege reprimi. Supr. v. 183: « Non tamen intus Digna geri (quæ debent intus geri) promes in scenam. » Hic annotandum veterem eam comœdiam, quam tam acriter carpit Horatius, apprime ad democraticam Atheniensis reipublicæ formam accommodatam fuisse; ea enim publica cujuslibet reprehensio in hac civitate necessaria fuit, in qua magistratuum quisque judicio omnium usque subjectus erat, et hanc licentiam libertatis suæ partem esse utilissimam

Digitized by Google

Laude; sed in vitium libertas excidit, et vim
Dignam lege regi: lex est accepta, chorusque
Turpiter obticuit, sublato jure nocendi.
Nil intentatum nostri liquere Poetæ:
Nec minimum meruere decus vestigia Græca
Ausi deserere, et celebrare domestica facta,
Vel qui prætextas, vel qui docuere togatas.
Nec virtute foret clarisve potentius armis,
Quam lingua, Latium, si non offenderet unum-
Quemque Poetarum limæ labor et mora. Vos, o
Pompilius sanguis, carmen reprehendite, quod non
Multa dies et multa litura coercuit, atque

ita intellexere Athenienses, ut non modo singulos cives, sed etiam populum omnem carpere et deridere Aristophani licuerit. Illa autem publice vituperandi cujusvis facultas periit, pereunte Atheniensis reipublicæ libertate; lex enim illa de qua loquitur Horatius, a triginta tyrannis lata est, quorum summo imperio sane non conveniebat democraticæ reipublicæ institutio. Ed. — *lex est accepta*, legem accipiunt, patiuntur, subeunt ii adversus quos fertur. Ed.—*Turpiter obticuit*, turpiter silet, cujus verba tam nocentia sunt, ut lege damnatus ad silentium cogatur. Ed.—*jus*, jam est potestas, facultas, licentia; exempla dedit Forcellinus in Lexic.

285. *Nil intentatum*, etc. Nostri poetæ græcarum et aliarum fabularum genera tentaverunt. Ed. — *deserere vestigia Græca*, recedere a fabularum argumentis, qualia Græci tractabant. — *domestica facta*, res præclare ab ipsis Romanis gestas. — *prætextas*, in quibus supremi ordinis viri, prætexta ornati, celebrabantur.—*togatas*, ubi res, quæ agebatur, spectabat ad homines, simplicem togam tantum gestantes: de prætextis ac togatis fabulis eam dedimus explicationem quæ fere ab omnibus accepta est. Multæ autem variæ interpretationes afferuntur, de quarum omnium veritate dijudicari minime posse libenter dicam, quum tantula ad nos pervenerint de Romano theatro documenta. (Vid. Excursum XIII, ad calcem.) Ed. —*docuere*, ἐδίδαξαν.

289. *Nec virtute foret*, etc. Nec minus lingua, h. e. scriptis claresceret populus romanus quam virtute et armis, si, etc. Ed.—*si non offend.* etc. nisi diligentia, labor et tempus, quod elimandis carminibus impendendum est, unicuique poetarum res invisa, ingrata et molesta esset. Qua de re ad August. Epist. II, 1, 167, ait similiter: « Sed turpem putat in scriptis metuitque lituram. » Ed.—*Pompilius sanguis*. Vet. Schol. « Quia Calpus filius est Numæ Pompilii, a quo Cal-

Digitized by Google

Præsectum decies non castigavit ad unguem.
INGENIUM misera quia fortunatius arte
Credit, et excludit sanos Helicone poetas
Democritus, bona pars non ungues ponere curat,
Non barbam; secreta petit loca, balnea vitat.
Nanciscetur enim pretium nomenque poetæ,

purnii Pisones traxerunt nomen. »— *multa litura*, cf. notam quæ proxime præcedit: *coercuit*, ab iis, quæ in reprehensionem incurrunt, cohibuit, h. e. emendando purgavit. —*Præsectum ad unguem: unguis* enim præsectus vel præcisus mollius sentit asperitatem aliquam; imago translata est a statuariis, qui opus, quod lævigant et expoliunt, ne quid asperitatis in eo remaneat, unguibus percurrunt, pertentant et explorant; cf. Sat. I, 5, 32. *Fea* lectionem *Perfectum* carmen, pro, *Præsectum* unguem ad fidem plurium Codd. revocavit, et eam contra Bentleium more suo defendit. ED.

295. PRÆCEPTUM DECIMUM SEPTIMUM. Horatius, alienissimus ab eorum stultitia, qui poesin non arte et doctrina, sed solo ingenio et furore poetico metiuntur, mavult docere, quibus præsidiis futurus poeta instructus ad poesin accedere debeat, quam insanire cum insanientibus. Breviter igitur agit de virtutibus, quæ ab eo, qui poeta nomine se dignum reddere vult, exiguntur.

295. *Ingenium misera*, etc. Quia Democritus, plus ingenio, quam miseræ arti tribuendum esse censens, eos, qui non insaniunt, a consuetudine cum Musis coercet, bona pars poetarum externo corporis cultu et moribus hominum oculos ad se advertere studet; non ungues desecandos, non barbam demetendam curat; recipit se in loca sola et secreta, et loca frequentia fugit. — *ars*, sive doctrina, quasi parum juvet poetas, nisi *ingenium* accesserit, ab iis præcipue, qui unice jactare possunt ingenium, contemtim *misera* dicitur, uti fere supr. Sat. II, 3, 18, *divitiæ* hominis avari *miseræ*. —*sanos*, eos scilicet, qui non concitantur *furore*, h. e. spiritu et ingenio poetico. Commode in hanc rem jam Lambinus attulit locum Ciceronis *Divinat.* I, 37: « Negat enim, *sine furore*, Democritus, quemquam magnum poetam esse posse. » Idem *de Orat.* II, 46: « Sæpe enim audivi, poetam bonum neminem (id quod a Democrito et Platone in scriptis relictum esse dicunt) sine inflammatione animorum exsistere posse, et sine quodam afflatu quasi furoris; cf. Aristot. Poet. c. 16.— *Helicone*, cf. Epist. II, 1, 218. — *balnea*, ubi frequens erat hominum conventus. Poterat Horatius addere: « vinum bibit. » Nam Epist. I, 19, 2 seqq. esse ait, qui, modo largiore vini haustu conceperint furorem, se pulchre poetæ partes explere posse opinentur.

299. *Nanciscetur enim*, etc. Scilicet, dummodo barbam aliquis promiserit, et justam laudem (*pretium*) et nomen poetæ accipiet; particula

Digitized by Google

Si tribus Anticyris caput insanabile nunquam
Tonsori Licino commiserit. O ego lævus,
Qui purgor bilem sub verni temporis horam!
Non alius faceret meliora poemata; verum
Nil tanti est; ergo fungar vice cotis, acutum
Reddere quæ ferrum valet, exsors ipsa secandi:
Munus et officium, nil scribens ipse, docebo:
Unde parentur opes; quid alat formetque poetam;

enim, ut *scilicet, videlicet, nimirum*, ironiæ inservit; vulgarem locutionem: barbam promittere, egregie et multo adsperso sale Hor. amplificat; insanum poetam vocat *caput*, cui sanando vix helleborum vel in tribus insulis, si tres essent, Anticyris natum sufficeret, qui caput vero nunquam tonderi patitur, (qui barbam promittit) facete illud *nunquam tonsori committere* dicitur; obiter simul carpere videtur tonsorem quemdam *Licinum*, qui, ut narrat Vet. Schol. Cruq. « quod odisset Pompeium, a Cæsare senator factus dicitur. » Affert idem Schol. inscriptionem, Licini sepulchro superadditam, hanc: « Marmoreo tumulo Licinus jacet, at Cato nullo; Pompeius parvo; quis putet esse deos? »

301. *O ego lævus*, etc. O me stultum, qui vernali anni tempore, quod attinet ad bilem, (ne atra bile laborem, vel ut caveam mihi ab insania) *purgor*. — *hora* (ὥρα), de anni tempore, supr. Od. I, 12, 16: « variisque mundum Temperat horis. » — *Non alius*, etc. nisi enim causas furoris ex corpore pellerem, nemo meliora poemata faceret. Tantum bilis in me est. — *verum Nil tanti est*, scil. mihi, quod sanæ menti præferam; malo sanæ, quam insanæ mentis esse homo. — *Ergo fungar vice*, etc. Horatius, non carmina insanorum poetarum more scripturus, sed præcepta tantum ad poesin spectantia daturus, acute se comparat cum cote, cujus vice se fungentem futurorum poetarum ingenium ad poesin recte tractandam acuere velle ait. — Hujus auctorem dicti Isocratem Plutarchus affert, Isocr. vit. « Καὶ πρὸς τὸν ἐρόμενον διά τι οὐκ ὢν αὐτὸς ἱκανὸς ἄλλους ποιεῖ, εἶπεν· ὅτι καὶ αἱ ἀκόναι αὐταὶ μὲν τεμεῖν οὐ δύνανται, τὸν δὲ σίδηρον τμητικὸν ποιοῦσιν. » Interroganti quanam arte fieret ut, quum ipse in foro nunquam dicere auderet, alios tamen ad dicendum aptos redderet, respondit ipsas etiam cotes quidem secare non posse, ferrum vero, ut secare possit, excuere. Ed. — *exsors ipsa secandi*, accommodate ad imaginem; *cos* acutum tantum reddit ferrum, non ipsa secat; Horatius futuros poetas acuere tantum, non ipse versus componere vult. — *Munus et officium*, sc. recte scribendi. — *opes*, copia, ubertas, materies. Supr. Epist. II, 2, 121: « Fundet opes. » — *formetque*, utitur eodem *formandi* verbo pene sic etiam in Epistol. II, 1, 128, ad Augustum:

Digitized by Google

Quid deceat, quid non; quo virtus, quo ferat error.

Scribendi recte sapere est et principium et fons:
Rem tibi Socraticæ poterunt ostendere chartæ: 310
Verbaque provisam rem non invita sequentur.

« Mox etiam pectus præceptis *format* amicis. » et in Carm. I, Od. 10: « Qui feros cultus hominum recentum Voce *formasti* catus. » Et lib. III, 24: « Et teneræ nimis Mentes asperioribus *Formandæ* studiis. » Inventio ipsa alit; reliquæ partes, et præsertim elocutio orationem format: valde ad hunc locum de materia et orationis forma illa Ciceronis verba pertinent, de Oratore: « Volo enim prius habeat orator rem, de qua dicat, dignam auribus eruditis, quam cogitet quibus verbis quidque dicat, aut quo modo. » Ed. — *virtus*, doctrina, sollertia, severum studium. — *error*, inscitia, temeritas.

309. Præceptum duodevicesimum. Non sane insania poeseos fons est, ut contra nihil recte scribi sine sapientia possit. Neglecta enim sapientia nemo naturam humanam, et quæ cujusque ætatis, loci et ordinis homini conveniant, noverit. Quibus non apprime cognitis, nec homines quales sunt describuntur, nec res, de qua agitur, veris adumbratur coloribus; denique non recte morata videbitur fabula, quæ præcipua poematis scenici laus est. Exemplo in hac quoque re esse possunt Græci, veræ laudis avari. At Romani in numeranda potius, quam avide cumulant, pecunia, quam in fingendis, quæ ætatem ferant, carminibus occupati tenentur. Ed.

309. *Scribendi recte*, etc. principium et fons recte scribendi est *sapere*, h. e. scire, quid deceat, quid non: *le bon sens*. — *Rem*, etc. materiem suppeditare tibi poterunt scripta Socratis. Plato summum oratorem fuisse Periclem docet, quia sapientiam cum eloquentia conjunxerat; cujus locum Cicero sic in Oratore ad Brutum vertit: « Siquidem etiam in Phædro Platonis, hoc Periclem præstitisse ceteris dicit oratoribus Socrates, quod is Anaxagoræ physici fuerit auditor, a quo censet eum, quum alia præclara quædam, et magnifica didicisse, uberem et fœcundum fuisse, gnarumque, quod est eloquentiæ maximum, quibus orationis modis quæque animorum partes impellerentur. Ed. — *charta* pro eo, quod in charta scriptum est; sic supr. Epistol. II, 1, 161: « chartæ græcæ. » Od. IV, 8, 21: « Si chartæ sileant. » Catull. I, 6: « Omne ævum tribus explicare chartis, » ubi vid. not. — *provisam rem*, antea exploratam; qui rem, de qua scripturus est, bene explorare, examinare, perspicere et animo complecti studuit, eum *non invita verba sequentur* (Epistol. II, 2, 113, ad Florum: « Verba movere loco, quamvis *invita* recedant. »), ei non deerit oratio. Hunc versum sic ad verbum expressit Bolæus, A. P. lib. I, 153: « Ce que l'on conçoit bien s'énonce clairement, Et les mots pour le dire arrivent aisément. » Ed.

Digitized by Google

Qui didicit, patriæ quid debeat, et quid amicis,
Quo sit amore parens, quo frater amandus et hospes,
Quod sit conscripti, quod judicis officium, quæ
Partes in bellum missi ducis, ille profecto
Reddere personæ scit convenientia cuique.
Respicere exemplar vitæ morumque jubebo
Doctum imitatorem, et veras hinc ducere voces.
Interdum speciosa locis morataque recte
Fabula, nullius veneris, sine pondere et arte,
Valdius oblectat populum meliusque moratur,
Quam versus inopes rerum, nugæque canoræ.

312. *Qui didicit*, etc. Aggreditur ea præcepta philosophiæ quæ est de moribus. — *quæ Partes*, sc. sint; quomodo dux, in bellum missus, demandatas sibi partes exsequi debeat. — *Reddere*, dare, attribuere. — *Doctum imitatorem*. *Imitator* jam est, qui in describendo hominum ingenio versatur, eosque, quales sunt, imitando exprimere studet; is igitur (*exemplar vitæ morumque*) homines, ut vere vivant, sentiant et se gerant, respicere, observare et ante oculos habere, et inde veram eorum imaginem adumbrare debet; per *veras voces* intellige veram descriptionem; lectionem *vivas* pro: *veras* a Bentleio prolatam, frustra probarunt plures; *viva* enim *vox* (λόγος ἔμψυχος), quam auribus percipimus ex ore loquentis, opponitur scriptis, et iis, quæ leguntur; nec Bentleius idoneum exemplum, quo muniret receptam lectionem, proferre potuit. — Nos hunc locum sic interpretamur, ut *exemplar* illud referatur ad id quod in unoquoque genere rerum earum, quas poeta tractat, summum est et perfectissimum; quod Aristoteles ipse videtur sensisse in Poetica, cap. XV: « Ἐπεὶ δὲ μίμησις ἐστὶν ἡ τραγῳδία βελτιόνων, ἡμᾶς δεῖ μιμεῖσθαι τοὺς ἀγαθοὺς εἰκονογράφους· καὶ γὰρ ἐκεῖνοι ἀποδιδόντες τὴν εἰκείαν μορφὴν ὁμοίους ποιοῦντες, καλλίους γράφουσι· οὕτω καὶ τὸν ποιητὴν μιμούμενον, καὶ ὀργίλους, καὶ ῥαθύμους, καὶ τἆλλα τὰ τοιαῦτα ἔχοντας ἐπὶ τῶν ἠθῶν, ἐπιεικείας ποιεῖν παράδειγμα, ἡ σκληρότητος δεῖ, οἷον τὸν Ἀχιλλέα ἀγαθὸν καὶ Ὅμηρος. » Ed.

319. *Speciosa locis*, conspicua et locuples sententiis et rebus, quas tractat; *fabulæ* enim *speciosæ locis*, opponuntur in v. 322: « versus rerum inopes. » *Speciosus* (εὐπρεπής) in bonam partem transfertur ad orationis ubertatem. Quint. Inst. Orat. V, 14, 30: « *Locuples* et *speciosa* vult esse eloquentia, » sc. ut advertat et sibi conciliet auditorum animos. — *morataque recte*, in qua recte et vere expressi sunt mores hominum, recte ad mores hominum composita. — *Valdius*, ut supr. Epist. I, 9, 6. — *mora-*

Digitized by Google

Graiis ingenium, Graiis dedit ore rotundo
Musa loqui, præter laudem nullius avaris:
Romani pueri longis rationibus assem
Discunt in partes centum diducere. — Dicat
Filius Albini: Si de quincunce remota est
Uncia, quid superat? — Poteras dixisse: Triens. — Eu!
Rem poteris servare tuam. Redit uncia, quid fit?
— Semis. — An, hæc animos ærugo et cura peculî
Quum semel imbuerit, speramus, carmina fingi

tur, detinet, capit. Supr. Epist. I, 13, 17: « Carmina, quæ possint oculos aureasque *morari* Cæsaris. » — *canoræ*, ac. in metrum redactæ; in quibus nihil præter inanes verborum sonantium strepitus. Ed.

323. *Ore rotundo*, e quo fluit oratio rotunda, h. e. bene polita, apta, concinna et omnis asperitatis expers. Supra Sat. II, 7, 86, sapiens dicitur « teres atque rotundus, Externi ne quid valeat per læve morari. » Ductum est a tereto et rotundo globo vel sphæra, ita lævigata, ut nihil in ea asperitatis restet. Apud Ciceronem Brut. 78: « *rotunda* constructio verborum. » — *nullius*, sc. alius rei.

325. *Romani pueri*, etc. Nexus: Non ita Romani; nam Romani pueri a tenera inde ætate non bonarum literarum initiis, sed rationum subducendarum arte imbuuntur; id statim probabo; adsit Albini, divitis fœneratoris, filius; dicat. — *Si de quincunce*, etc. *As* in duodecim partes sive uncias dividitur; 1° una pars dicitur *una uncia*; 2° *sextans* (sexta pars assis), duæ unciæ; 3° *quadrans* (quarta assis pars), tres unciæ; 4° *triens* (tertia assis pars), quatuor unciæ; 5° *quincunx*, quinque unciæ; 6° *semis* (quasi *semissis*), sex unciæ; 7° *septunx*, septem unciæ; 8° *bes*, octo unciæ; 9° *dodrans*, novem unciæ; 10° *dextans*, decem unciæ; 11° *deunx*, undecim unciæ; 12° *as*. — *Poteras dixisse: Triens*. Ad quem hæc verba *poteras dixisse* referemus? Alii volunt, dubitante puero, Horatium responsionem suggerere: *poteras dixisse: Triens*. Dubitantem autem de responsione puerum fingi non videtur probabile, quum de Romanorum peritia in numerandi arte agatur. Alii intelligunt puerum respondisse *quatuor*, Horatiumque id probantem et capite annuentem addere: vel (*dixisse poteras*) triens, nomine scilicet suppeditato, quo insigniuntur in ratiocinandi arte quatuor unciæ. Ed. — *Rem... tuam*, sc. familiarem. — *Redit uncia*, accedit ad *quincuncem*, sive ad quinque uncias, una uncia.

330. *Ærugo*, turpis avaritiæ et rem augendi cupiditas dicitur *ærugo*, quia, sicut hæc æri, ita avaritia tam tenaciter insidet animis, ut inde eradi et evelli nequeat. Qua translatione quasi quodam proverbio Noster quoque utitur, I, Sat. 4, 100: « hic ni-

Digitized by Google

Posse linenda cedro, et levi servanda cupresso?
Aut prodesse volunt, aut delectare poetæ,
Aut simul et jucunda et idonea dicere vitæ.
Quidquid præcipies, esto brevis; ut cito dicta
Percipiant animi dociles, teneantque fideles:
Omne supervacuum pleno de pectore manat.
Ficta voluptatis causa sint proxima veris,

græ succus loliginis, hæc est Ærugo mera. » Ed. — *imbuerit*, infecerit, occupaverit, obsederit. — *linenda cedro*, etc. digna, quæ saturentur oleo cedrino, et serventur in arca, e lævigatis tabulis cupressinis constructa, ne fiant blattarum et tinearum epulæ? Vet. Schol. « Libri, qui aut cedro illinuntur, aut arca cupressina inclusi sunt, a tineis non vexantur. » Pers. Sat. I, 42 : « .... et cedro digna locutus. » Ovid. Trist. I, El. I, 7 : « Nec titulus minio, nec cedro charta notatur. » Ed.

333. Præceptum undevicesimum. Horatius poetæ recte et prudenter in poesi versaturo, sive ei carmina didactica, sive ludicra et jocosa scribere placeat, primum commendat: 1° studium brevitatis, ne lectoris animus verborum multo strepitu et magna vi cadentium copia obruatur atque oneretur, sed dicta cito percipiat, et facile teneat; 2° studium probabilitatis, ne res, quæ omnem fidem superant, fingendo contra πιθανόν peccet; 3° studium ejus curæ, qua utilia et jucunda scite inter se jungi et bene temperari debeant. Deinde monet poetas, ut in aliorum carminibus, ubi plura nitent, imbecillitatis humanæ memores paucas maculas, præcipue in longo opere, quale sit Homeri, leni æquoque animo ferant; et ea tantum, ubi plura obscura, absurda et ridicula sint, risu et contemtu digna habeant. Denique poesin cum duabus picturis, quarum altera, si propius stat, magis capit, altera, si longius remota conspicitur, egregie ad rem comparat.

333. *Aut prodesse*, etc. poetæ aut carmina sua graviorum sententiarum luminibus, ut prosint, distinguere (quod spectant præcipue poetæ dramatici), aut leviora et jucundiora (etc. *res amatorias*) tractando lectorum vel spectatorum animos exhilarare, delectare et suaviter afficere cupiunt, aut utrumque conjungunt. — *idonea vitæ*, utilia cognitu, haud *frugis expertia* (v. 341). — *cito dicta*, apta brevitate proposita. — *teneantque fideles*. *Fideles* (πιστοί) jam dicuntur, qui, quod didicerunt, fideli cura recondunt memoria. — *Omne supervacuum*, etc. omnia, quæ sunt supervacua, non influunt in pectus jam plenum et exsatiatum, sed ab eo respuuntur. Ductum a vase pleno, in quod nihil amplius infundi potest. Sic quoque Bolæus in Art. poet. lib. I, 61 : « Tout ce qu'on dit de trop est fade et rebutant; L'esprit rassasié le rejette à l'instant. » Ed.

338. *Sint proxima veris*. Sint ejus-

Digitized by Google

Nec, quodcumque volet, poscat sibi fabula credi;
Neu pransæ Lamiæ vivum puerum extrahat alvo.
Centuriæ seniorum agitant expertia frugis;
Celsi prætereunt austera poemata Rhamnes:
Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci,
Lectorem delectando, pariterque monendo.
Hic meret æra liber Sosiis; hic et mare transit,
Et longum noto scriptori prorogat ævum.
Sunt delicta tamen, quibus ignovisse velimus:
Nam neque chorda sonum reddit, quem vult manus et mens

modi poetæ, qui de se ipsis vere illud possint Hesiodeum dicere, ex Theogonia: « Ἴδμεν ψεύδεα πολλὰ λέγειν ἐτύμοισιν ὁμοῖα. » Ed. — *Nec, quodcumque volet*, etc. nec fabulæ auctor, quodcumque tandem ei pro lubitu fingere placebit, rebus a se fictis fidem haberi poscat.—*Neu pransæ Lamiæ*, etc. neu fingat, puerum, a Lamia devoratum, vivum ejus alvo extractum esse; quis enim hoc credat? *Pransus*, active, qui prandens cibum in ventrem demisit; supr. Sat. I, 6, 127: « Pransus non avide. » — *Lamia*, (Λαμία, Μορμώ, vid. *Valck.* ad Theocrit. Adoniaz. p. 348), monstrosa mulier, cui modo hæc, modo illa species affingitur; eam venturam, et obstinatæ mentis infantes devoraturam esse, terroris illis incutiendi causa, aiebant nutrices.

341. *Centuriæ seniorum*, pro simplice: seniores; *centuria* enim de multitudinis alicujus numero haud finito.—*agitant*, exagitant, derident. — *Rhamnes*, vel *Ramnenses*, una trium decuriarum, in quas a Romulo descripti sunt equites. Livius I, 13: « Eodem tempore et centuriæ tres equitum conscriptæ sunt, *Ramnenses* ab Romulo, ab Tito Tatio Tatienses; Lucerum nominis et originis causa incerta est. » — *Celsi*, elati, erecto capite, incessu et toto corporis habitu superbiam sive confidentiam ostendentes; vid. *Duker.* ad Liv. XXX, 32. — *prætereunt*, nihil morantur, nihil curant; apposite de *celsis*, qui, quos salutare debebant, prætereunt. — *austera*, non delectantia. Horatius vult dicere: seniores carmina ludicra et nihil utilitatis præbentia, juniores carmina severioris argumenti contemnunt. Hinc addit: *Omne tulit punctum*, omnium tam seniorum, quam juniorum suffragia; de voce *punctum* vid. supr. Epist. II, 2, 99. — *Hic liber*, qui et delectat et monet lectorem, *æra meret*, multum lucri parat, *Sosiis*, bibliopolis; vid. supr. ad Epist. I, 20, 2. — *hic et mare transit*, hinc Horatius, de suo ipsius libro vaticinans, supr. Epist. I, 20, 13: « Aut fugies Uticam; aut vinctus mitteris Ilerdam. » — *noto*, celebrato. — *prorogat*, extendit.

Digitized by Google

Poscentique gravem persæpe remittit acutum;
Nec semper feriet, quodcumque minabitur, arcus.
Verum ubi plura nitent in carmine, non ego paucis
Offendar maculis, quas aut incuria fudit,
Aut humana parum cavit natura. Quid ergo est?
Ut scriptor si peccat idem librarius usque,
Quamvis est monitus, venia caret; et citharœdus
Ridetur, chorda qui semper oberrat eadem:
Sic mihi, qui multum cessat, fit Chœrilus ille,
Quem bis terque bonum cum risu miror; et idem

349. *Gravem pers. rem. acutum.* Gesnerus culpam falsi soni in chordam aut nimis, aut parum tensam confert. Sed sermo est de errore, cui optimus quisque obnoxius est. Fieri enim potest, ut optimus quisque citharœdus chorda aliqua *nonnunquam* aberret; at, (v. 356) « chorda qui *semper* oberrat eadem, Ridetur. » — *Nec semper feriet, quodcumque min. arcus*, nec unusquisque ictus, quem arcus minabitur, vere feriet id, ad quod feriendum dirigebatur, sed nonnunquam a meta aberrabit.

352. *Fudit*, adspersit, illevit, eleganter et accommodate ad *maculas*, tanquam rem fluidam. — *Aut humana parum cavit natura*, aut humana imbecillitas non satis evitavit. — *Quid ergo est?* etc. Sensus et nexus hujus paulo impeditioris loci videtur esse hic: Quid igitur de vitiis poetarum statuendum esse videtur? qui multum peccant, reprehendendi, qui raro in errorem aliquem se induci patiuntur, iis ignoscendum est. (*Ut scriptor, si peccat*) Quemadmodum scribæ (*scriptori librario*), si is, quamvis est reprehensus, in iisdem verbis describendis peccat, haud ignoscendum est, et quemadmodum citharœdus, qui semper eadem chorda oberrat, se deridendum præbet, sic mihi ille poeta, qui scatet vitiis, fit alter quasi Chœrilus, quem, præterquam (*cum risu*) quod multa ejus vitia rideo, simul miror, si nonnunquam bene canit; nihilominus tamen idem ego, qui miror adeo eum, qui bis terve tantum se bonum poetam præbet, ego, inquam, qui paucis maculis in carmine, ubi plura nitent, non offendi debebam, indignor, si quando bonus Homerus dormitat; quanquam æquitas omnino postulat, ut ei, qui longo operi intentus nonnunquam dormitat, ignoscam.

354. *Scriptor librarius*, scriba. Varro de R. R. III, 2: « Scriba librarius, libertus ejus, qui apparuit Varroni. » — *qui multum cessat*, peccat; cf. supr. ad Epist. II, 2, 14. — *Chœrilus*, vide de eo ad Epist. II, 1, 233. *Chœrili* fragmenta collegit, deque ejus vita atque scriptis docte disputavit *Nœcke*, Hal. Sax. 1812. — *cum risu miror*, rideo vitia, et miror simul

Digitized by Google

Indignor, quandoque bonus dormitat Homerus.
Verum opere in longo fas est obrepere somnum.
Ut pictura, poesis; erit, quæ, si propius stes,
Te capiet magis, et quædam, si longius abstes;
Hæc amat obscurum, volet hæc sub luce videri,
Judicis argutum quæ non formidat acumen:
Hæc placuit semel, hæc decies repetita placebit.
O MAJOR juvenum, quamvis et voce paterna

bona; ad risum enim, eo excitatum, quod malus poeta versus quoque aliquot bonos facere potuerit, equidem referre nolim.—*quandoque* pro simplice: quando, ut supr. Od. IV, 1, 17, et Od. IV, 2, 34, et passim.

361. *Ut pictura, poesis; erit, quæ,* etc. Sensus: Ut pictura, ita est poesis, sive poesis similis est picturæ; erit pictura, quæ cominus; et erit, quæ eminus te magis capiet; hæc *obscurum* (τὸ σκοτεινόν), h. e. umbram, illa lucem magis amat, nec (*argutum*) subtile judicis acumen reformidat; quæ remotior ab oculis placet, minus fortasse in propinquo placebit; at quæ, si diligentius ejus artem in propinquo consideraveris, delectat, et nunc et semper delectabit; sic res se habet cum carminibus; carmina, quæ nondum diligentius explorata e longinquo quasi placent, minus fortasse placebunt penitius in propinquo cognita; carmina autem in luce posita, et ab acuto judice lustrata et probata, et nunc et semper plausum ferent. — *pictura*, etc. Jam supra similiter dixit in Epist. II, 1, 248, ad Augustum: « Nec magis expressi vultus per ahenea signa, Quam per vatis opus mores, animique virorum Clarorum apparent. » Par autem eademque pæne est Plutarchi sententia: « Εἰ δὲ καὶ ζωγραφίας διδάσκαλον Ὅμηρον φαίη τις, οὐκ ἂν ἁμαρτάνοι· καὶ γὰρ ἐλπί τις τῶν σοφῶν, ὅτι ἐστὶν ἡ ποιητικὴ ζωγραφία λαλοῦσα, ἡ δὲ ζωγραφία ποιητικὴ σιωπῶσα. » ED. — *longius abstes. Abstare*, remotius a loco aliquo stare; eodem verbo usus est Horatius supr. Epist. I, 18, 58.

366. PRÆCEPTUM VIGESIMUM. Ne poeta in mediocritate acquiescat! Ferri quidem potest et locum habet in certis quibusdam disciplinis mediocritas, exempli causa in jurisprudentia; potest enim aliquis esse bonus et laudatus Jurisconsultus, quamvis in juris scientia haud excellat, et multo inferior sit iis, qui summa laude in jurisprudentia exsplendescunt; non ita in poesi; *mediocribus esse poetis Non homines, non dî, non concessere columnæ*.... His de mediocritate, in poesi haud ferenda, præmissis, Horatius Pisonis filium, natu majorem, qui minari videbatur carmina, ima mente recondere jubet hæc: ut nihil dicat faciatque invita Minerva: ut, si quando ad carmina

Digitized by Google

Fingeris ad rectum, et per te sapis, hoc tibi dictum
Tolle memor; certis medium et tolerabile rebus
Recte concedi: consultus juris et actor
Causarum mediocris abest virtute diserti
Messalæ, nec scit, quantum Cascellius Aulus;
Sed tamen in pretio est: mediocribus esse poetis
Non homines, non dî, non concessere columnæ.
Ut gratas inter mensas symphonia discors,
Et crassum unguentum, et Sardo cum melle papaver

scribenda animum appulerit, se scribentem et Tarpæ, et patris, et Horatii consiliis regi patiatur: ut carmina, quæ semel emissa revocari et immutari nequeant, in scrinio reposita in nonum annum premat.

366. *O major juvenum,* alloquitur ex Pisonibus, quibus librum dicaverat, eum qui erat ætate provectior; quasi alterum, qui erat junior, poeticis præceptis non dignum putet. Ed. — *per te sapis,* ipse sapienter judicas. — *tibi dictum Tolle memor,* hoc a me tibi dictum accipe et memori animo serva. — *medium et tolerabile,* mediocria et propter utilitatem toleranda et admittenda. — *certis rebus,* in quibusdam disciplinis. Ed. — *consultus juris et actor,* etc. Is qui et leges explicat, et causas dicit. Jurisconsultus is est, qui tantum de jure domi respondet; causarum autem actor causas in foro dicebat. Messala videtur causarum actor fuisse, Cascellius autem jurisconsultus. Sic ad Jul. Florum scribens, ait Epist. I, 3, 23: « Seu linguam causis acuis, seu civica jura Respondere paras, etc. » Ed. — *Messalæ,* de M. Valerio Corvino Messala, cf. supr. ad Sat. I, 10, 29, et *Heyn.* ad Tibull. I, 3, 1. — *Cascellius Aulus,* jurisprudentia tum maxime conspicuus; vid. Val. Max. VIII, 12, 1, et *Fea* ad h. l.

372. *Mediocribus esse poetis,* græca constructio, vid. supr. ad Sat. I, 1, 19. — *columnæ,* bibliopolæ, qui ad columnas porticuum libros venales habebant; supr. Sat. I, 4, 71: « Nulla taberna meos habeat, neque pila libellos, » ubi vid. *not.* et *Fea* ad h. l. Repudiabant autem bibliopolæ mediocrium poetarum carmina, quia, qui illa emerent, non inveniebant.

374. *Ut gratas inter mensas,* etc. Quemadmodum convivæ in splendido convivio vel symphonia discorde, vel crasso unguento, vel insipido papavere inter lautas epulas apposito, offenduntur, ita animi lectione carminum, quæ a sublimitate ad humilitatem, a summa dignitate ad imam indignitatem descendunt, fastidio afficiuntur. — *crassum,* non liquidum, sed coagulatum et rancidum. Pers. Sat. III, 104: « Compositus lecto, *crassisque* lutatus amomis, etc. » Ed. — *papaver,* Plin. H. N. XIX, 8, sect. 53: « Papaveris sativi tria genera. Candidum, cujus semen tostum in secunda mensa

Digitized by Google

Offendunt, poterat duci quia cœna sine istis:
Sic animis natum inventumque poema juvandis,
Si paulum a summo decessit, vergit ad imum.
Ludere qui nescit, campestribus abstinet armis,
Indoctusque pilæ discive trochive quiescit,
Ne spissæ risum tollant impune coronæ:
Qui nescit, versus tamen audet fingere! Quidni?
Liber et ingenuus, præsertim census equestrem
Summam nummorum, vitioque remotus ab omni!
Tu nihil invita dices faciesve Minerva;

cum melle apud antiquos dabatur. » —*Sardo cum melle.* Vet. Schol. «Corsicum et Sardum mel pessimi saporis; » herbæ enim admodum amaræ nascebantur in Sardinia; hinc Virg. Eclog. VII, 41: « Immo ego Sardois videar tibi amarior herbis. » — *duci,* vulgo explicant in multam noctem produci, extrahi; at mihi videtur ad sensum accommodatius si simpliciter intelligas *cœna duci,* cœnari, scilicet quia cœnari poterat sine istis, quia ista non cœnæ omnino necessaria erant. Ed. — *Sic animis natum,* etc. Similiter poesis, quæ homines docere, docendoque delectare debet (quod utrumque comprehendit verbum hoc *juvare,* ut græce ὠφελεῖν), si neutrum præstat, quonam demum in pretio esse potest? Ed.

379. *Ludere qui nescit,* etc. qui non didicit tractare arma, quibus juvenes ludunt et se exercent in campo Martio, iis abstinet; de his ludis et exercitationibus gymnasticis cf. supr. Od. I, 8, ubi de *disco* vid. ad v. 11, et de *trocho* ad Od. III, 24, 57. — *Indoctus pilæ* (ἄπειρος σφαίρας) *quiescit* (κάθηται), neque pilæ, neque disco manus admovet. — *spissæ coronæ,* condensæ spectatorum ludentes cingentium catervæ; *spissa sedilia* supr. 205, et *spissa theatra* Epist. I, 19, 41. — *impune,* liberius, quis enim risores coerceat?

382. *Qui nescit,* sc. versus fingere, ideoque ab iis fingendis abstinere debebat, tamen versus fingere audet. — *Quidni?* aliquis objicit: cur versus facere dubitaret, quum liber est et ingenuus, etc. Ed. — *præsertim cens. equestr. Summam nummorum:* præsertim si *census* est *summam equ.* (græce cum accus. pro: secundum summam equ.), h. e. præsertim, si est homo dives et possidet summam nummorum (quadraginta millium æris) quantum eques Romanus possidere debebat. — *census,* in particip. passim apud Cic. et Liv. — *vitioque remotus ab omni,* purus et insons, ut Horat. supr. Sat. I, 6, 69, loquitur.

385. *Tu,* at tu, major Pisonum. Ed. — *invita Minerva,* Cic. Offic. I, c. 31: « quia nihil decet invita (ut aiunt) Minerva, id est, adversante et

Digitized by Google

Id tibi judicium est, ea mens : si quid tamen olim
Scripseris, in Metii descendat judicis aures,
Et patris, et nostras, nonumque prematur in annum,
Membranis intus positis. Delere licebit,
Quod non edideris; nescit vox missa reverti.
Silvestres homines sacer interpresque deorum

repugnante natura. »—*Id,* tale, tam rectum.—*ea,* talis, tam sana.—*olim,* aliquando. —*Metii.... Spurii Metii Tarpæ,* de quo vide Sat. I, 10, 38. —*nonumque prematur in annum;* « quoad videlicet refrigeretur, ut ait Fabius, ille inventionis amor; » quanquam dici id etiam potest, Nostrum respexisse ad Helvii Cinnæ Smyrnam, quæ ab illo novem annis scripta fuit; et ad Panegyricum Isocratis, quem qui parcissime decem annis dicunt elaboratum fuisse, Fabio eodem teste lib. X, cap. de emendatione. Sic de Helvio Cinna Catullus, Carm. 95 : « Smyrna mei Cinnæ nonam post denique messem Quam cœpta est, nonamque edita post hiemem. » Ed. —*intus,* in scrinio, in penetralibus; supr. Epist. II, 2, 114: « Et versentur adhuc intra penetralia Vestæ. » —*nescit vox missa reverti.* Supr. Epist. I, 18, 71 : « Et semel emissum volat irrevocabile verbum. »

391. Argumentum. Postquam Horatius præcepta, ad quæ dirigendum sit poeseos studium, in medium protulit sapientissima, nunc, quid ab antiquissimis inde temporibus effectum sit carminibus, enarrat, et breviter, sed mira suavitate, poeseos laudes (ut supr. Epist. II, 1, 118 seqq.) celebrat.... Orpheus feros et rudes homines, avertendo eos a cædibus et fœdo victu, mites reddidit; Amphion homines consociatos, ut muris Thebanis exstruendis manus admoverent, dulcissimo testudinis sono permovit; alii deinde, sapienter carminum ad animos deliniendos vi usi, multum ad condenda oppida et ad civitates morum disciplina et legibus temperandas contulerunt; post hos Homerus et Tyrtæus pectora hominum fortitudinis sensu inflammarunt; carminibus denique oracula edita, regum gratia captata, et fabulæ dramaticæ compositæ sunt.

391. *Silvestres,* inter feras in silvis degentes. Verba sunt Ciceronis in proœmio prioris libri de Inventione, quæ ad hunc locum maxime pertinent : « Nam fuit quoddam tempus, inquit, quum in agris homines passim, bestiarum more, vagabantur, et sibi victu ferino vitam propagabant, nec ratione animi quidquam, sed pleraque viribus corporis administrabant. Nondum divinæ religionis, non humani officii ratio colebatur; nemo legitimas nuptias viderat; non certos quisquam inspexerat liberos; non jus æquabile, quid utilitatis haberet, acceperat, etc. Quo tempore quidam magnus videlicet vir et sapiens cognovit quæ materia esset, et quanta ad maximas res opportunitas inesset in animis hominum, si quis eam posset

Digitized by Google

Cædibus et victu fœdo deterruit Orpheus;
Dictus ob hoc lenire tigres, rabidosque leones:
Dictus et Amphion Thebanæ conditor arcis
Saxa movere sono testudinis, et prece blanda
Ducere, quo vellet. Fuit hæc sapientia quondam,
Publica privatis secernere, sacra profanis,
Concubitu prohibere vago, dare jura maritis,
Oppida moliri, leges incidere ligno:
Sic honor et nomen divinis vatibus atque
Carminibus venit. Post hos insignis Homerus,
Tyrtæusque mares animos in Martia bella

elicere, et præcipiendo meliorem reddere. Quæ dispersos homines in agris, et in tectis silvestribus abditos, ratione quadam compulit in unum locum et congregavit: et eos in unamquamque rem inducens utilem atque honestam, primo propter insolentiam reclamantes, deinde propter rationem atque orationem studiosius audientes, ex feris et immanibus mites reddidit et mansuetos. Ac mihi quidem videtur hoc nec tacita, nec inops dicendi sapientia perficere potuisse, etc. » Ed. — *sacer*, ut filius Apollinis et Calliopes. — *interpres deorum*, quasi a diis ipsis, quæ caneret, accepisset; et sic sensu proprio dici poterat *vates divinus*. — *victu fœdo*, vescebantur enim silvestres homines radicibus, glandibus (*Glans aluit veteres.* Tibull. II, 3, 71), etc. — *ob hoc*, Horatius ipse causam, ex qua Orpheus *tigres et leones lenire* dictus sit, aperit; ex feritate scilicet homines ad cultiorem vitam traduxit. — *Amphion*, filius Jovis ex Antiopa, frater Zethes (Epist. I, 18, 41), lyra a Mercurio accepta lapides, ut eorum quisque sponte locum suum in excitandis muris Thebanis occuparet, canendo movisse dicitur. Supr. Od. III, 11, 2: « Movit Amphion lapides canendo. » Movit scilicet Amphion (*blanda prece*) blandis carminibus vel blanda allocutione homines, qui lapides comportarent, et suam cuique sedem in novo muro adsignaret.

396. *Fuit hæc sapientia*, etc. Poetarum studio et opera sapienter quondam institutum est, publica bona a privatis disterminare, et sacra a profanis distinguere. — *Concubitu prohibere vago*, prohibere ne homines promiscue, vagorum animalium instar, in concubitum ruerent. Ed. — *dare jura maritis*, matrimonium instituere, quo vir et mulier rite jungantur. Ed. — *leges incidere ligno*, leges ferre et per carmina publicare. Ed. — *ligno*, ligneis tabulis, quum nondum essent æreæ.

402. *Tyrtæus*; nobilissimi poetæ Atheniensis, *Tyrtæi*, qui post Homerum vixit, quatuor exstant Elegiæ,

Digitized by Google

Versibus exacuit; dictæ per carmina sortes,
Et vitæ monstrata via est; et gratia regum
Pieriis tentata modis: ludusque repertus,
Et longorum operum finis: ne forte pudori
Sit tibi Musa lyræ solers, et cantor Apollo.
Natura fieret laudabile carmen, an arte,

in quibus militum animi ad pulchram mortem pro patria obeundam accenduntur; (vid. Excurs. XIV.) — *mares animos in Martia*, etc. sc. animos viriliter sentientes; sic supr. Epist. I, 1, 64, Curius et Camillus *mares*, dicuntur. Simile quid habet Persius Sat. VI, 2 sqq. « Jamne lyra, et tetrico vivunt tibi pectine chordæ? Mire opifex numeris veterum primordia vocum Atque marem strepitum fidis intendisse Latinæ, etc. » Ed. — *Et vitæ monstrata via est*, scil. a poetis, qui præcepta morum tradiderunt, quod in primis fecit Hesiodus, teste Fabio, lib. I, cap. 2; in eodem genere versantur Theognis, Pythagoras, Phocylides, etc. Tyrtæus quoque, ut refert Suidas, ἔγραψε πολιτείαν Λακεδαιμονίοις, καὶ ὑποθήκας δι' ἐλεγείας. Ed. — *et gratia regum Pieriis tentata modis*, et poetæ cœperunt id agere, ut (*Pieriis modis*) carminibus se insinuarent in regum gratiam; *tentare gratiam alicujus* est: periculum facere, an parari possit alicujus gratia. — *regum*, possit cogitari de Alexandro Magno, qui (ut refert Cicero pro Arch. Poet. c. 10) « multos scriptores rerum suarum secum habuisse » dicitur, sed Horatius ad antiquiora tempora respexit. — *ludusque*, ludi scenici, quibus post finita longioris temporis opera ad corpus et animum levandum interesse solebant rustici; hi ludi igitur rusticis *operum longorum* sunt *finis*, et quidem post messem, vel apud Romanos mense Decembri. Supr. Epist. II, 1, 141: « Agricolæ prisci, fortes parvoque beati, *Condita* post *frumenta* levantes tempore festo Corpus et ipsum animum spe *finis* dura ferentem. » — *ne forte pudori Sit tibi*, etc. Ne forte te pudeat musæ, etc. Ed. — *Musa lyræ solers*, lyræ cum arte tractandæ sciens et perita, Musa lyrica, et hæc pro studio, quod componendis carminibus lyricis impenditur. — *cantor Apollo*, qui arti canendi præest. *Cantoris* nomine insignitus conspicitur *Apollo* in vett. numm. Ita nunc illum *cantorem* dicit, ut *augurem* in Carm. I, Od. 2, 31: « Nube candentes humeros amictus Augur Apollo. » Ed.

408. Præceptum vigesimum unum. Sæpe quæsitum esse ait poeta, utrum ingenio, an arte hic honor, et hæc laus acquiri possit. Horatius respondet: neutrum per se sufficere, sed ad artem ingenium, et ad ingenium artem accedere, sive artem cum ingenio, et ingenium cum arte amice conspirare debere; nec quemquam, licet bono ingenio instructus sit, nisi illud a puerili inde ætate studiosissime exercuerit, acuerit, et larga doctrinæ copia

Digitized by Google

Quæsitum est: ego nec studium sine divite vena,
Nec rude, quid possit, video ingenium: alterius sic
Altera poscit opem res, et conjurat amice.
Qui studet optatam cursu contingere metam,
Multa tulit fecitque puer, sudavit et alsit;
Abstinuit Venere et vino: qui Pythia cantat
Tibicen, didicit prius extimuitque magistrum.
Nec satis est dixisse: « Ego mira poemata pango:
Occupet extremum scabies, mihi turpe relinqui est,
Et, quod non didici, sane nescire, fateri. »
Ut præco, ad merces turbam qui cogit emendas,

locupletaverit, boni poetæ laudem et honorem consequi posse.

410. *Possit*, sc. efficere: alii dant, *prosit*. — *rude*, incultum, neglectum, doctrinæ expers. — *Qui studet*, etc. Quemadmodum is, qui ad victoris laudem adspirat in ludis, ubi cursu certatur, jam puer omnia fecit, quæ ad corpus corroborandum spectant; et quemadmodum is, qui tibicen prodire vult ad celebranda Pythia, diu ante disciplina boni magistri usus in arte tibia canendi sese exercuit, ita poeta ad carmina scribenda bene præparatum pectus afferre debet. — *Multa tulit*, etc. Vet. Schol. Cruq. « Athletæ, qui ad curule certamen instruebantur, non edebant carnes elixas, sed assas igni tantum... abstinebant a Venere; et, ne forte per somnium noctu ludificarentur, laminas plumbeas renibus appendebant. » Vid. Otho Vænius, Horatii emblemata, VIII, pag. 30. Ed.

414. *Pythia*, Apollo jam infans ingentem serpentem Pythona sagittis interfecerat, unde Apollo *Pythius*, et sacra, quæ in ejus honorem et in feliciter cæsi draconis memoriam instituebantur, *Pythia* nominata sunt. — *Nec satis est*, etc. Nec satis est poetæ nomen ad se transtulisse et superbius dixisse: Ego sum magnus poeta, ego eximia carmina pango, male sit ei, qui in certamine est ultimus; ab aliis me superari, et fateri, me (*sane*) vere nescire, quæ non didici, id mihi est turpe. Sine dubio respexit Horatius poetam aliquem, sic de se sentientem et sic fere loquentem, qui pertinebat ad eos, de quibus supra Horatius ad Florum, Epistol. II, 2, 107: « Gaudent scribentes et se venerantur, et ultro, Si taceas, laudant, quidquid scripsere beati. » — *scabies*, hæc vox fuisse videtur opprobrium, quo pueri currendo certantes ei, qui ultimus ad metam venerat, rem malam imprecabantur; ad convicia pertinet *scabies* apud Catull. XLVII, 2. — *extremum et relinqui* translata sunt a certaminibus, ubi victi a victoribus post tergum relinquebantur.

419. Præceptum ultimum. Ulti-

Digitized by Google

Assentatores jubet ad lucrum ire poeta 420
Dives agris, dives positis in fœnore nummis.
Si vero est, unctum qui recte ponere possit,

ma huj. epist. pars versatur in descriptione quum assentatorum, qui carmina scribentibus vel maxime fugiendi; tum virorum vere doctorum et prudentium, qui ab iis, qui carmina evulgaturi sint, adeundi; et, ut vitia in illis animadversa benevole secum communicent, decenter rogandi sunt. Monet inprimis Horatius divites poetas, ne in fraudem se induci patiantur ab assentatoribus, lucri faciendi causa se obtrudentibus, et simulanter quævis, tanquam ab ipsis Musis dictata, ad cælum usque extollentibus. Assentatorum imaginem, vivis coloribus ab Horatio expressam, excipit descriptio severi carminum judicis, qualem Quintilium fuisse ait Horatius. Ex ore igitur Quintilii (v. 445–476) audimus plurima, quibus scriptores obnoxii sunt, vitia, omnibus, qui illa fugere cupiunt, tanquam speculum, in medio posita.

419. *Ut præco*, etc. poeta dives assentatores lucri capiendi spe ad se allicit et invitat, veluti præco, qui emtores ad merces emendas invitat; vel: quemadmodum præco... ita dives poeta, etc. Non raro enim post *sicut, ut*, particula *ita* omittitur, ut infr. v. 455; cf. *Drakenb.* ad Liv. IX, 17, § 4, et XXXIV, 9, p. 10.— *ad lucrum;* pulcherrime huic Horatii loco respondent Plinii verba, Epist. II, 14: « Heri duo nomenclatores mei ternis denariis ad laudandum trahebantur: tanti constat ut sis disertissimus. Hoc pretio numerosa subsellia implentur: hoc ingens corona colligitur: hoc infiniti clamores commoventur, quum μεσόχορος dedit signum. » Horatius de poetis, Plinius autem de oratoribus verba facit. Ed. — *positis in fœnore nummis*, de locutione *nummos in fœnore ponere* pro: fœnori dare, vide supra Epod. 2, vers. ult. not. Ed.

422. *Si vero*, etc. Sensus: Quod si vero poeta dives non est avarus, ut alias esse solent divites, sed is, qui (*unctum*) lautum opsonium, splendidum convivium (*recte*) ut decet liberalem convivatorem, (*ponere*) mensis imponere, convivis offerre, pro paupere spondere, eumque gravioribus litibus implicitum expedire possit, ejusmodi poeta dives non facile falsum a vero amico discernet; quo major enim est liberalitas, eo tectior est assentatorum fraus et calliditas. Alii explicant etiam *unctum ponere* hoc modo: *ponere*, collocare in lecto triclinari, convivam *unctum*, h. e. delibutum unguentis. Nonnisi scilicet unguentis delibuti splendido convivio interesse veteres erant soliti. Hæc autem quæsita mihi videtur interpretatio. Ed. — *Unctum*, subintell. *opsonium*: similiter Persius, Sat. III, 102: « *Uncta* cadunt laxis tum pulmentaria labris. » Facete Martialis, Epigr. VI, 47, 1: « Quod tam grande sophos clamat tibi turba togata; Non tu, Pomponi, cœna diserta tua est. » Assentatores istos Plinius junior *Laudicœnas* appellat. Ed. — *Et spon-*

Digitized by Google

Et spondere levi pro paupere, et eripere atris
Litibus implicitum, mirabor, si sciet inter-
Noscere mendacem verumque beatus amicum.
Tu, seu donaris, seu quid donare voles cui,
Nolito ad versus tibi factos ducere plenum
Lætitiæ; clamabit enim: *pulchre! bene! recte!*
Pallescet super his; etiam stillabit amicis
Ex oculis rorem; saliet, tundet pede terram.
Ut, qui conducti plorant in funere, dicunt

dere levi pro paupere. Spondere pro aliquo dicitur, qui æs alienum a debitore solutum iri promittit, et fidem suam interponit; vid. Ernest. in Clav. Cic. s. v. *spondere.* — *levi*, levioris fidei apud creditorem, quia pauper, quod pignori det, non habet. — *Litibus atris*, misere vexantibus, ut *atra cura*, supr. Od. III, 1, 40, et Sat. II, 7, 115. — *qui... possit*, cur homo dives id facere non *possit*, modo velit? Aut hic *possit ponere*, etc. simpliciter est pro: *ponat*, etc.; aut respexit Horatius, ut jam monui, avaros, qui, ut tale quid faciant, a se impetrare non possunt; inest igitur voci *possit* jam hæc vis, ut sit: qui a se impetrare possit hoc, ut convivas ad lautam cœnam vocet, etc.; prior tamen placet interpretatio. — *beatus*, tam beatus ut internoscere sciat, etc. Alii accipiunt *beatus* pro *divite*, ut sæpe alibi. At hic non est sensus. Ed.

426. *Tu, seu donaris*, etc. Nolito ei, qui jam dona a te accepit, aut se accepturum esse sperat, lætitiæ de acceptis aut accipiendis donis adhuc pleno, versus tuos recitare; is enim clamabit: *pulchre! bene! recte!* Simillimæ sunt Horatianis assentatoriæ voces illæ Gnathonis apud Terent. Eunuch. act. III, scen. 1: « Facete, lepide, laute, nihil supra. » Ed. — *Pallescet super his*, obstupescet, præ stupore vultum mutabit, propter tuos versus, quum tuos versus recitaveris. Alii *super his* ad sequentia referunt, ut sit: « super his etiam stillabit, etc. » pro: *insuper etiam* (πρὸς δὲ τούτοις); ita Epist. II, 2, 24: « quereris super hoc etiam, etc. » Ed.

429. *Stillabit*, stillatim ex oculis demittet lacrimarum guttas, eleganter pro: lacrimabit; *stillare* (sinere stillare) cum accusativo, ut *manare mella poetica.* Supr. Epist. I, 19, 44, ubi vid. not. « Lacrimarum ros » apud Ovid. Met. XIV, 708. — *amicis*, piis et intimos quasi animi sensus prodentibus. — *tundet pede terram*, summæ voluptatis, quam simulat, sensu abreptus saltabit; sic supr. Od. I, 4, 7, Gratiæ cum Nymphis saltantes *alterno pede terram quatere* dicuntur.

431. *Conducti*, mercede conducebantur, qui ploratus in funere ederent; respexit Hor. *mulieres præficas*, lamentationi quasi præfectas; vid. *Kirchm. de Funer. Rom.* II,

Digitized by Google

Et faciunt prope plura dolentibus ex animo, sic
Derisor vero plus laudatore movetur.
Reges dicuntur multis urgere cululli,
Et torquere mero, quem perspexisse laborant,
An sit amicitia dignus. Si carmina condes,
Nunquam te fallant animi sub vulpe latentes.
Quintilio si quid recitares, Corrige, sodes,
Hoc, aiebat, et hoc; melius te posse negares,
Bis terque expertum frustra; delere jubebat,
Et male tornatos incudi reddere versus.

c. VI. — *dicunt Et fac. prope plura dolentibus ex animo*, dicendo (dum in laudes mortui erumpunt) et faciendo (dum crines sciadunt et plangunt pectora, etc.) plura doloris signa edunt, quam qui ex vero animi sensu dolent. — Respexit forte Noster hunc Lucilii locum, Sat. XXII: « mercede quæ Conducta flent alieno in funere præfica, Multo et capillos scindunt et clamant magis. » Ed. — *Derisor*, qui simulatione alios ludit, ut supr. Sat. II, 6, 54. — *movetur*, externis scilicet graviter commoti animi signis.

434. *Reges*, beatiores, divites, ut passim, e. c. supr. Od. I, 4, 14. — *multis urgere cululli*, cum premere multis culullis, *quem*, etc. De *culullo*, poculo capaciore, vid. supr. ad Od. I, 31, 11. — *torquere mero*, vino, tanquam tormenti quodam genere, aliquem explorare; hinc supr. Epist. I, 18, 38: « Commissamque tegas et vino *tortus* et ira; » et Od. III, 21, 13, vinum vocatur *tormentum*. — *Si carmina condes*. Tu igitur, si versus a te factos recitabis, cave, ne unquam te ludant assentatores, ut hiantem *corvum* in fabula *vulpes* lusit. Ed. — *sub vulpe*, sub astutæ vulpis pellicula, sub callido pectore; *vulpes* enim, animal callidissimum, proverbiali locutione pro callido quovis ponitur. Pers. V, 116-7: « Pelliculam veterem retines, et fronte politus Astutam vapido servas sub pectore *vulpem*. »

438. *Quintilio*; quam carus fuerit hic *Quintilius* Horatio, apparet ex carmine, quo ejus mortem deflevit, supr. Od. I, 24, ubi de eo vide in *Argum*. — Ad *negares* repete *si*, si tu diceres, te bis terque frustra corrigere tentasse, quod Quintilius corrigendum monstraverat, idem te totum locum delere, et male elaboratos versus de integro elaborare jubebat. — *male tornati versus*, male compositi; *tornatus*, *cælatus*, *expolitus*, *exasciatus* translata sunt ab artificibus, qui opus aliquod vel torno effingunt, vel cælo exsculpunt, vel lima expolient, vel ascia lævigant; sic versus elegantissimi supr. Epist. II, 2, 92: « Cælatum novem Musis opus » vocantur, ubi vide not. Quum addit Horatius *incudi reddere* perstat in ima-

Digitized by Google

Si defendere delictum, quam vertere, malles,
Nullum ultra verbum, aut operam insumebat inanem,
Quin sine rivali teque et tua solus amares.
Vir bonus et prudens versus reprehendet inertes,
Culpabit duros, incomtis allinet atrum
Transverso calamo signum, ambitiosa recidet
Ornamenta, parum claris lucem dare coget,
Arguet ambigue dictum, mutanda notabit;
Fiet Aristarchus; non dicet: Cur ego amicum

gine ab artifice quodam translata, ab eo scilicet, qui opus, quod diffingere vult, iterum *tradit incudi;* sic supr. Od. I, 35, 39, 40: « ferrum retusum incude diffingere » dicitur. Junxit igitur Horatius duas inter se imagines, alteram ab artifice, qui opus torno fingit, alteram ab eo, qui metallum incude diffingit, ductam; quod quum non ferre possent acutioris ingenii viri, Bentleius, Cuningamus et alii, huic loco emendando frustra insudarunt. (Vid. Excurs. XV, ad calc.) Ed.

442. *Vertere*, mutare, emendare. — *Nullum ultra verbum*, etc. ne verbum quidem addebat, nec opera sua amplius impedire studebat, quominus tibi soli tuisque versibus placeres *sine rivali*, nemine te et tua tecum amante. Qui facit, quod nemo imitari vult, non habet *rivalem* et æmulum. Commode A. Statius affert locum Ciceronis ad Q. Frat. III, 8: « Hirrus auctor fore videtur. O dii! quam ineptus, quam se ipse amans *sine rivali*. » — *insumebat* per zeugma proximo tantum nomini *operam* accommodatum est; ad *verbum* aliud, v. c. addebat, adjiciebat, vel simile supplendum est.

445. *Vir bonus et prudens*, amicus fidus et sapiens. Ed. — *versus inertes*, quibus deest poetæ vis et ingenium, inelegantes, molèste incedentes, jejuni. — *incomtis allinet atrum Transverso calamo*, etc. Versus negligenter, temere et sine arte fusos, transversa per calamum lineola, vel asterisco, vel obelo (ut versus quosdam Homericos Aristarchus) notabit. — *Ornamenta ambitiosa*, placendi et vanæ gloriæ captandæ causa ambitiose conquisita, *luxuriantia*, ut dicuntur supr. Epist. II, 2, 122. — *coget*, sc. scriptorem. — *Arguet*, indicabit, ut Od. I, 15, 7; et Epod. XI.

450. *Aristarchus*, grammaticus Alexandrinus, qui pro lubitu Homero versus abjudicabat, eosque obelo, h. e. veru, transversa lineola, notabat, proverbiali locutione pro quovis severo judice ponitur; vide inprimis de eo Illustr. Wolfii Proleg. ad Homer. vol. I, § 45, p. 247; *Villoison*, in Anecdot. Gr. tom. II, p. 172, et in Prolegom. ad Homer. pag. XVII. — *non dicet: Cur ego*, etc. non dicet, ut alius fortasse minus severus et paulo indulgentior judex: « cur ego amicum meum in levioris momenti

Digitized by Google

Offendam in nugis? Hæ nugæ seria ducent
In mala derisum semel exceptumque sinistre.
Ut mala quem scabies, aut morbus regius urget,
Aut fanaticus error, et iracunda Diana,
Vesanum tetigisse timent fugiuntque poetam,
Qui sapiunt; agitant pueri, incautique sequuntur.
Hic, dum sublimis versus ructatur et errat,
Si, veluti merulis intentus decidit auceps
In puteum foveamve; licet, Succurrite, longum.

peccatis offendam? » Non, inquam, ita dicet Quintilius; nam hæc ipsa leviora, non mature reprehensa, postea bonæ famæ scriptoris nocebunt. — *derisum semel exceptumque sinistre*, quum eum semel deriseris assentando, nec recte, utque verum et candidum amicum decet, cum eo egeris. Ed.

453. *Ut mala*, etc. Junge: *Qui sapiunt, poetam vesanum, ut eum, quem scabies.... urget, Aut fanat. error et irac. Diana, timent tetigisse fugiuntque.* — *mala*, abominabilis, *fera*, ut ait Celsus. — *morbus regius*, arquatus, aurugo (a colore auri), ἴκτερος (ab ave lutei vel flavi coloris); nos: *la jaunisse*. Ed. Varro, apud Plinium, XXII, 24, § 53, *regium* cognominatum morbum arquatum tradit, quoniam mulso curetur. Scilicet *mulsum* (vinum melle conditum) pertinet ad delicias, quas reges inprimis et beatiores appetunt, et facile sibi comparare possunt. Celsus quoque lib. III, c. 24, s. f. nomen *regii morbi* repetit a remediis, quorum usus regum inprimis et ditiorum opibus patet. — *fanaticus error*, insania, furor, quo aliquis correptus huc illuc agitur. — *Diana* dicitur *iracunda*, aut quia violata furorem immittit, aut quia, quum simul sit *Luna* in cælo, tum crescens, quam decrescens, magnam vim in furiosos habet, unde illi dicuntur *lunatici*, σεληνιαζόμενοι, σεληνόβλητοι. — *agitant pueri*, sc. vesanum poetam. Hoc enim pueris in more est, ut insanos ludibrio habeant. Ed. — *incauti*, parum sibi cavente ab impetu, quem furiosus in se facere possit.

457. *Sublimis*, erecto in altum capite: alii, *sublimes*. — *ructatur*, egregie ad rem, aiunt; sed hoc equidem non magis honeste dictum esse puto, quam apud Cic. in Cat. II, 6: « cædem eructare sermonibus. » — *errat*, foras in campo, vel silvis huc illuc vertitur et ruit, bacchatur et circumvagatur; hanc explicationem postulant sequentia. — *Si, veluti merulis*, etc. Construe: si decidit in puteum foveamve, veluti auceps intentus merulis. Ed. — *longum*, non ad tempus, sed ad voces in longum ductas refero. Virgil. Æn. IV, 463, de bubone: « *longas* in fletum ducere voces. » — *non sit, qui tollere curet*, tum neminem adesse velim, qui eum extrahendum curet. — *demittere fu-*

Digitized by Google

Clamet, Io cives! non sit, qui tollere curet:
Si quis curet opem ferre, et demittere funem,
Quî scis, an prudens huc se dejecerit, atque
Servari nolit? dicam, Siculique poetæ
Narrabo interitum: Deus immortalis haberi
Dum cupit Empedocles, ardentem frigidus Ætnam
Insiluit. Sit jus, liceatque perire poetis:
Invitum qui servat, idem facit occidenti.
Nec semel hoc fecit: nec, si retractus erit, jam
Fiet homo, et ponet famosæ mortis amorem.

nem, quo arrepto in altum reducatur. Ed.—*Quî, scis an prudens*, etc. Quomodo scis, an se dejecerit ultro, sponte sua, et non velit perire? Vid. Epist. II, 2, 135–140. Ed.

465. *Siculique poetæ... Empedocles*, philosophus et physicus Agrigentinus, egregium carmen de rebus physicis scripsit, Cic. de Orat. I, 50, unde jam dicitur *poeta Siculus*. De ceteris ejus scriptis vid. Fabric. *Bibl. Græc.* II, 12. Fabula de ejus interitu circumferebatur hæc: Quum immortalis haberi cuperet, eum, aiunt, clam in montem Ætnam enixum eo consilio ibi in ardentem craterem se præcipitem dedisse, ut, si repente evanuisset, ex homine deus factus esse crederetur; rem autem ferreis ejus crepidis ex cratere cum massa ardente ejectis patefactam esse. Ostendere igitur vult Horatius hac narratione, magnum adeo illum poetam Empedoclem eo consilio in craterem Ætnæ desiluisse, ne a quoquam inde posset extrahi. Ceterum diversas de Empedoclis morte narrationes, hac ipsa de mortali illo ad immortalitatem saltu haud prætermissa, refert Diog. Laert. VIII, 79.—*frigidus* facete opponitur *ardenti Ætnæ*.

466. *Sit jus, liceatque*, etc. detur poetis venia et potestas pro lubitu pereundi; *jus*, potestas, ut supr. v. 284: « sublato jure nocendi. » Hoc sane facete dictum.— *idem facit occidenti*, idem facit, quod occidens; idem, ac si eum occidat (τὸ αὐτὸ ποιεῖ τῷ κτείνοντι). Lucretius, IV, 1168: « Nempe eadem facit, et scimus facere omnia, turpi, etc. » *eadem turpi* pro: eadem, ac turpis, ut explicat ibi *Creech.*—Redit Horatius ad insanum poetam (v. 462), qui prudens volensque fortasse in puteum dejectus servari nolit.—*Nec semel hoc fecit*, nec semel ille poeta se in foveam dejecit; sed multoties fecit et multoties se retrahi passus est, non mortis, sed famæ cupidus. Ed. — *Fiet homo*, fiet sanior et cautior. *Fiet homo* fortasse etiam opponitur his v. 464, « deus immortalis haberi Dum cupit. Ed.— *famosæ mortis*, etc. vel infamis; vel ex qua sibi, ut Empedocles, gloriam et immortalitatem quærit. Ed.

Digitized by Google

Nec satis apparet, cur versus factitet: utrum
Minxerit in patrios cineres, an triste bidental
Moverit incestus; certe furit, ac velut ursus,
Objectos caveæ valuit si frangere clathros,
Indoctum doctumque fugat recitator acerbus.
Quem vero arripuit, tenet occiditque legendo,
Non missura cutem, nisi plena cruoris hirudo.

470. *Nec satis apparet*, etc. Nec notum est quantum scelus patraverit ille, ut deorum ira eum versus tam ineptos scribere cogat. Ed.— *Minxerit in patrios cineres*, quo facto et in patrem fuisset impius, et jus sepulcrorum violasset, quod erat sanctissimum. Persius, Sat. I, 113: « Pinge duos angues; pueri, sacer est locus, extra Meiite. » Ed. — *triste bidental Moverit*, calcarit bidental, h. e. locum fulmine ictum, qui apud veteres Romanos erat religiosus sacerque fiebat, ara exstructa et peracto sacrificio ex ovibus *bidentibus*, unde nomen ductum: eum porro locum nefas erat ingredi et calcare. Persius hominem quoque fulmine ictum vocat *bidental*, Satir. II, 20: « An quia non fibris ovium, Ergennaque jubente Tristejaces lucis evitandumque bidental? » Ed. — *incestus*, impius, flagitiosus.

472, *Certe furit*, quidquid sit, quocumque facinore deorum iram in se appellaverit, furore agitur. Ed.— *caveæ clathros*, cancellos et septa domunculæ, in qua includebatur. Nos: *les barreaux de sa loge*. Ed. — *arripuit*, veluti per vim ad se recitantem audiendum traxit. Ed. — *Non missura cutem*, etc. Ut hirudo, quæ cutem non prius dimittit, quam cruorem multum plena ebiberit; sic malus poeta non prius auditorem dimiserit, quam eum ineptias audiendi tædio enecaverit. Ed.

Analysis. Si quis vel leviter et strictim tantum attingere et repetere velit, quæ super hujus Epistolæ consilio, dispositione et tractatione judicata, agitata et disputata sunt, ei profecto singularis et quidem haud exiguæ molis liber scribendus sit. Scilicet, quum hoc carmen ob ea, quæ in illo docentur et enarrantur, omnium, quæ tulit antiquitas, jure meritoque et olim habitum sit, et nunc habeatur præstantissimum gravissimumque, Viros Doctos ad illud dijudicandum, recte æstimandum et ad certas adhibitæ artis leges exigendum ambitiose concurrisse, non est quod miremur. Hinc repetenda est latarum de hoc carmine sententiarum diversitas. — Jam quid mihi de consilio, quo Horatius hoc carmen scripserit, videatur, paucis complectar. Quum magna tum temporis malorum poetarum turba vesparum more circumvolitasse, et

Digitized by Google

oblatos sibi quosque venenato aculeo lædere, vel quovis alio modo Musarum honorem contaminare cœpisset, Horatius, non tam eorum ictus, quibus jam sæpius petitus fuerat, curans, quam timens potius, ne pravo istorum exemplo alii quoque depravarentur, tam virtutes ad poeseos studium afferendas describere, easque illis, qui poetæ nomine se dignos præstare cuperent, propinare, quam vitia et errores poetis fugiendos ante oculos ponere voluit. Noluit autem præcepta, quæ de poeseos et de omnis doctrinæ studio daturus erat, ad certum ordinem redacta, accuratius, subtilius et doctius exponere, vel libellum *Artis Poeticæ* titulo insignitum scribere, sed, quæ sibi de virtutibus et vitiis poeseos succurrerent, *sine arte*, h. e. haud ad certam normam exacta, in Epistola cum amico quodam communicare. Ad familiares Horatii *L. Calpurnium Pisonem*, ex nobilissima gente ortum, pertinuisse, ex hac ipsa ad eum scripta Epistola patet. Jam vero quum *L. Calp. Piso* non ipse solum poeseos et bonarum literarum amans et studiosus esset, sed etiam filii natu majoris (duos habuit filios, quibus simul dicata est hæc Epistola) studia poetica moderaretur, (v. 366 : « O major juvenum, quamvis et voce paterna Fingeris ad rectum, et per te sapis, hoc tibi dictum Tolle memor; ») causa, cur Horatius Pisonibus potissimum præcepta ad poeseos studium spectantia impertire voluerit, satis apparet. Fortasse autem Horatius his præceptis præcipue filio Pisonis natu majori, ne is vano malorum poetarum strepitu in fraudem se induci pateretur, cautum ivit. — Ceterum eidem L. Calpurnio Pisoni, ut poetarum fautori, aliquot Epigrammata misit Antipater, poeta Thessalonicensis, Anthol. Græc. tom. II, p. 97, num. X sqq. edit. Jacobs. — Argumentum hujus Epistolæ ipse Horatius constituit his tribus versibus (v. 306–308) : « Munus et officium, nil scribens ipse, docebo : Unde parentur opes, quid alat formetque poetam, Quid deceat, quid non, quo virtus, quo ferat error. » — Recte igitur, puto, dici potest hæc Epistola *didactico-satirica*. In scribendis autem Epistolis non certum quemdam ordinem sequi ; sed, quæ succurrunt, liberius et incuriosius addere et inter se jungere solemus. Quod si reputassent secum nonnulli interpretes, non operam in hujus carminis sententiis præceptisque ad certum ordinem artificiose et severa grammaticorum subtilitate inter se conciliandis perdidissent. Titulus, qui vulgo huic carmini præfigitur, *Ars Poetica*, est Grammaticorum inventum. Separatim sine dubio hanc Epist. edidit Horatius ; potest igitur illa vel ad *Librum Secundum Epistolarum* referri, vel simpliciter *Epistola ad Pisones* vocari. Primum ego laudavi eam, ut *Epist. tert. Libr. Sec.* sed deinde constanter, ut *Epistolam ad Pisones*. Dobbing.

Jam non opus est, ut hic Epistolæ ad Pisones analysim nos quoque demus, quum de præceptis, quæ Horatius proponit, suo loco separatim in notis egerimus. Bentleii vero et aliorum notas et animadversiones, quibus difficiliora hujus Epistolæ loca explanentur, in Excursibus sequentibus subjicere operæ pretium videtur. Ed.

Digitized by Google

EXCURSUS

IN EPISTOLAM AD PISONES.

Excursus I.

De titulo hujus Epistolæ, quæ vulgo inscribitur, *de Arte poetica liber*.

Potest hic libellus commode haberi pro epistola libri secundi tertia, qui sic non major erit libro primo: nec temporum ratio, aut aliud necessarium, quod sciam, argumentum obstat. Favet etiam Charisius, qui, p. 182-3 et 183-10 simpliciter *Epistolarum* nomine, quæ hic leguntur, laudat. Mature tamen ut peculiaris libellus laudatur, a Quintiliano, Epist. ad Trypho. ubi simpliciter *artem poeticam* vocat; et VIII, 3, 60, ex *prima parte libri de Arte poetica* ipsum affert principium. Priscianus quoque, et alii Grammatici passim *Horatium de Arte poetica* citant. An occasionem separandi voluminis dedit, quod ut *somnium Scipionis ex Ciceronis opere de Republica* excerptum Macrobius explicavit, sic mature Grammatici Horatium interpretari cœpere. Certe *Terentii Scauri* (quem Hadriani temporibus assignat Gellius, II, 15) *commentariorum in Artem poeticam Horatii librum X* laudat Charisius, p. 182-5 et 188-97. In MSS. et priscis editionibus jam post Epodos et Carmen Sæculare ponitur, ut in MS. Gottingensi, item in Ed. Mediolanensi 1477, in Veneta 1479, etc. usque ad H. Stephanum; nunc medio inter Epistolas et Sermones loco, ut in edit. Zaroti; nunc denique ultimo omnium loco, post epistolas, cujus instituti auctor videtur laudatus modo H. Stephanus, qui rationem ejus reddit Diatr. p. 32. Certe non annotavi, qui ante illum ultimo loco poneret Artem, neque qui post illum non poneret. Harduino, qui Q. Horatium Flaccum negat auctorem hujus libelli esse, respondemus locis iis, unde is putat hoc probari. Gesner.

Si Aristotelis Poeticen exceperis, nullum aliud ex antiquorum

Digitized by Google

scriptis exstiterit, ex quo ad recte scribendum plus adjumenti suppetat viro cuilibet apprime sensum et mentem auctoris intelligenti. Quod de Tullio Quintilianus, id, mutato nomine, de Arte poetica jure ac merito dici potest: « Is se jam profecisse sciat, cui præcepta Horatii valde placebunt. » Omnia enim quæ præcipit, ita sunt ad rationis sapientiæque normam exacta, ut si ab iis paululum deflectatur, jam a vero et ab ipsa rerum natura deflectendum sit. Quod doctissimo sane viro accidisse miror, J. Scaligero, qui, dum ferret de hac epistola judicium, superbe ac fastidiose suam sententiam his verbis aperuit: « De arte quæres quid sentiam: quid? equidem quod de arte sine arte tradita. » Et postquam singulas operis partes obiter recognovit, quas minime intellexit, innuit artem istam nemini præterquam puero placère, neque ullum ex ea fructum percipi posse. Age vero, plane ego tibi invicem aperiam, cur ista ars poetica tanto viro vel parvi, vel nullius omnino pretii visa fuerit. J. Scaliger Poeticen ipse quoque ediderat, magnæ molis opus, quo unice delectabatur. Neque diffitebor suum esse operi pretium. Apta scilicet partium compositio, summa ordinis servandi cura, limata et rei bene congruens elocutio; quid plura? multum eruditionis, parum vero judicii, quod in hoc scriptorum genere præcipuum est. Omnia fere præcepta ad levissimas res pertinent, et plerumque ad futiles abeunt argutias, quæ profecto grammatici sunt, poetæ esse non possunt. In tanta tamque immensa rerum aut subtilium, aut inutilium multitudine, frustra speres te inventurum: « Unde parentur opes; quid alat formetque poetam: Quid deceat, quid non; quo virtus, quo ferat error. » Quæ contra in Horatii opusculo nitide, et apte, et stricte, et eleganter demonstrantur ita, ut non semel ex uno versu, poeta rudis et tiro plus capiat utilitatis, quam ex toto Scaligeri volumine. Denique Horatiana præcepta quam vere sint ad ipsam rerum naturam accommodata, quæ ubique et semper eadem est, hoc unum satis probat, quod nemo hactenus potuerit et esse poeta, et videri, nisi qui leges ab Horatio traditas sedulo servaverit.

Nemini dubium est, quin inter Epistolas referendus sit *de Arte poetica liber;* ita enim fuit olim inscriptus, ut constat ex Quintiliano, loc. sup. cit. vel ab ipso Horatio, vel ab aliis, ut a ceteris, credo, secerneretur epistolis, ubi non nisi oblata occasione, et obiter quidem, Noster poesim tractat. Quid de opusculi hujus proposito vetus

Digitized by Google

quidam senserit interpres, forte non abs re erit breviter exponere, quum nulla istius opinionis mentio apud recentiores facta fuerit.

Quum apud multas Asiæ, Ægypti Græciæque civitates mos iste vigeret antiquitus, ut docti plures eligerentur viri, quibus de scriptorum operibus judicium ferendi cura mandaretur; Octavius Cæsar, principatum adeptus, turpe existimans Romanos ab iis, quos armis vicerant, ingenii doctrinæque laude vinci, id quod tanto Athenis et Alexandriæ decori fuerat, Romæ jam suæ institutum vindicare statuit. Sentiebat scilicet vir callidus ac prudens, quanti ad ipsius claritatem imperiique gloriam interesset, ut Latini scriptores, et poetæ in primis, pulchra certantes laudis æmulatione, res Italas calamo certe, si non gladio, tutarentur. Doctissimos igitur Italiæ viros, quos jamdudum et gratia, et opibus suis, immo et amicitia adjuverat, in ædem Apollinis Palatinam convenire certis diebus voluit, iisque Bibliothecam dono dedit, et quasi sedem ibi constituit. Præclarum sane adhibitæ litteris reverentiæ documentum! Romanæ autem isti, ut nunc loquimur, *Academiæ* minus decoris attulit principis nomen, quam virorum delectus, qui litterario in hoc ludo consedere, si Theodoro Marcilio credamus, singulos nominatim appellanti, nempe Virgilium, Varium, Metium, Mæcenatem, Plotium, Valgium, Octavium, Fuscum, Viscos, Messalas, Bibulosque fratres, Pollionem, Servium, Furnium, Tibullum, Pisonem patrem, postremo Horatium; quem, dum Poeticam artem ederet, bonus interpres contendit pugnaciter quum probatas ipsi, tum suis sociis scribendi leges, ceteris scriptoribus latinis proposuisse. Factum, Hercle! id vellem, quod litteris bene vertisset, et uni saltem Academiæ diluisset desidiæ crimen; sed ne vero quidem simile arbitror, quum apud nullum scriptorem antiquum tale quid me unquam legisse meminerim. Hoc certe probabilius est, quod veteres quidam aiunt interpretes, Nostrum nempe, dum Epistolam hanc ad Pisones scriberet, luculentissima undique præcepta collegisse, et in unum corpus quasi contraxisse, Aristotelis scilicet, Zenonis, Critonis, Democriti, et in primis Neoptolemi Parii, ut testatur Porphyrio his verbis: « In quem librum conjecit præcepta Neoptolemi Parii de Arte poetica, non quidem omnia, sed eminentissima. » Quum autem Noster res, prout cogitanti sibi, vel legenti occurrebant, tractaret, neque uno spiritu tenderet ad metam, id causæ fuisse puto, cur in hac Epistola

Digitized by Google

nullus fere ordo, nulla fere sit rerum series partiumque juncturæ, sive tempus, sive auctori voluntas defuerit. Frustra igitur docti insudarunt viri, ut, in explananda ista ad Pisones Epistola, pedem et caput uni formæ redderent: quo in labore cel. Heinsius temporis multum atque olei, me judice, perdidit: quanquam præcepta sine ordine et arte amicis tradita, ut fert illud scribendi genus, nullius Veneris esse nego. (Ex Dacierii notis.) Ed.

Excursus II, vers. 32.

Æmilium circa ludum faber imus, *et ungues Exprimet, etc.*

Crucem interpretibus fixit, qui dedit, *faber imus:* ita in omnes partes se vertunt, in caussa vel nominis, vel epitheti exquirenda. *Imum*, inquit Porphyrion, *hoc est, in angulo ludi tabernam habentem.* Acron *nomen proprium* hic accipit; quod et in membranis sæpe inter lineas adnotatum vidi: *alii tamen*, inquit, *dicunt Imum, brevem; alii, in extrema parte ludi positum.* Extra hos cancellos non egredi audent recentiores: nec id mirum; quum neque de homine, neque de angulo illo ludi nunc quicquam amplius detur resciscere. Tu vero, contemtis his næniis, sic veram et veterem lectionem huc revoca, minima mutatione: « Æmilium circa ludum faber *unus* et ungues Exprimet, et molles imitabitur ære capillos, Infelix operis summa. » *Unus omnium optime* capillos et ungues exprimet, cetera vero membra et totam adeo statuam ponere non poterit. Quid clarius certiusve? Eleganter illud *unus* sic poni solet. Noster Serm. I, 10, v. 42: « Arguta meretrice potes, Davoque Chremeta Eludente senem comis garrire libellos, *Unus* vivorum, Fundani. » Epod. II, 3, v. 24: « Hortos egregiasque domos mercarier *unus* Cum lucro noram. » Epod. XII: « Namque sagacius *unus* odoror. » Nepos in Cimone: « Quum *unus* in civitate maxime floreret. » Virgil. Æn. II, 426: « cadit et Ripheus, justissimus *unus* Qui fuit in Teucris, et servantissimus æqui. » Ubi recte Servius: « *unus* non solus, sed præcipuus. » Ergo faber iste, omnium optime, præcipue, unice ungues et crines exprimebat, in ceteris deficiebat. Tolle vero vocabulum *unus;* et sententiam ipsam una opera sustuleris. Quid enim est *Exprimet ungues?* Qui scias ex isto, utrum affabre et eleganter, an crasse

Digitized by Google

illepideque, an mediocriter expresserit? Atqui in exprimendis unguibus *præstantiam artificii* hic commemorari, vel sententiæ redditio fidem facit, ubi ex adverso ponit in quibusdam corporis partibus *formæ excellentiam*, « Spectandum nigris oculis nigroque capillo. » Ceterum *unus* clare exhibet codex Oxoniensis, qui Digbeanus vocatur; et a prima manu, prout ex litura conjicere licet, Grævianus et Regiæ Societatis. Et sic quoque locum citat Joannes Saresberiensis præfatione libri VI. Viderat hunc Theodorus Marcilius: *Sed melius*, inquit, *imus*. Ita quidem: si *faber unus* idem esset ac *faber aliquis*. Sed elegantiam vocis non assecutus est. Bentl.

Excursus III, vers. 45.

Hoc amet, hoc spernat promissi carminis auctor.

Difficilis locus, quique integer apponi debet, ut accuratius excutiatur: « Ordinis hæc virtus erit et Venus, aut ego fallor, Ut jam nunc dicat jam nunc debentia dici; Pleraque differat, et præsens in tempus omittat; Hoc amet, hoc spernat promissi carminis auctor. In verbis etiam tenuis cautusque serendis, Dixeris egregie, notum si callida verbum Reddiderit junctura novum. » Distinguunt plerique hodie, et suspendunt orationem a versu medio, *ut jam nunc dicat:* deinde illud ordiuntur, quod cuivis magnam admirationem moveat: *Jam nunc debentia dici pleraque differat.* Enimvero si jam nunc dici *debent*, recte et ordine jam nunc *dicentur*. An jubes, ut quæ in hac adnotatione jam nunc a me dici oportet, ea differam et omittam? Ergo aut tacendum mihi est, aut alia quædam dicenda sunt, quæ nunc dici non debebant. Bellum sane præceptum, cui mihi illi quam maxime obtemperare videntur, qui hunc locum tam prave enarrare sustinent. Ego vero, potius quam ut tam absurda et ἀσύρατα commentarer, sic distinguerem, quemadmodum olim Lambinus: « Ut jam nunc dicat jam nunc debentia dici; Pleraque differat, et præsens in tempus omittat. » Servatur, inquit, rectus ordo et lucidus, si jam dicas quæ locus postulat, ut jam dicantur; pleraque vero, quibus scilicet præsens locus non est, in tempus aliud et locum commodiorem differas. Atqui hæc Ordinis fuerit quasi definitio generalis: Noster vero *virtutem* hic quamdam et arcanam ordinis *venerem* indicat, re-

Digitized by Google

conditam scilicet gratiam et venustatem, caute nec sine periculo tentandam: inde est quod addit, *Aut ego fallor.* Atqui, si Lambinum sequeris, haud verendum erat, ut falleretur: immo adeo planum certumque est, ut ne præceptione quidem opus sit. Quid igitur? Enimvero falluntur hic Interpretes in tritissimis illis vocabulis *Jam nunc*: quæ ubi semel veniunt, præsens tempus denotant; ubi vero repetuntur, idem valent ac *Interdum.* Et in simplicibus quidem *Jam* et *Nunc*, vel pueris hoc notissimum est: Noster Serm. II, 2, et Epist. II, 1: « Qui *jam* contento, *jam* laxo fune laborat. *Nunc* athletarum studiis, *nunc* arsit equorum. » Sed et composito *Jam nunc* sic utitur Persius, perpetuus Nostri imitator, Sat. V, 110: « Et modicus voti, presso lare, dulcis amicis? *Jam nunc* adstringas, *jam nunc* granaria laxes? » Quod ad exemplum, hunc de quo agimus locum interpretaberis; « Ut *jam nunc* dicat, *jam nunc* debentia dici Pleraque differat, et præsens in tempus omittat, » hoc est, ut *interdum* dicat omnia; *interdum* pleraque quæ debebant dici et ad locum pertinebant, differat in aliud tempus; ne mole scilicet τῶν περιστάσεων obruatur lector, et narrationis filum amittat. Hoc si cum judicio fiet, singularem gratiam veneremque conciliabit.

Jam vero illud quorsum, obsecro, pertinebit? « Hoc amet, hoc spernat promissi carminis auctor. » *Promissum* carmen est, nam et sunt qui hoc male accipiunt, quod magnam sui exspectationem *movit*: Juvenalis, Satir. VII, vv. 82-3: « Curritur ad vocem jucundam et carmen amicæ Thebaidos, lætam quum fecit Statius Urbem, *Promisitque diem.* » Alibi hoc appellat Noster *poema legitimum*: Epist. II, 2, v. 109: « At qui legitimum cupiet fecisse poema. » Jam autem talis poematis auctor, *Hoc*, inquit, *amet, hoc spernat;* quænam vero ista sunt *hoc* et *hoc?* nam sunt qui ad præcedentia referre volunt. *Amet* igitur, si vis, jam dicere jam dici debentia: sed quid est sodes, quod *spernat?* An spernat *pleraque differre?* Atqui id non vetuerat Noster, sed præceperat: non ut *spernendum*, verum ut *amandum* proposuerat. Præterea vide modo seriem et constructionem: *Ordinis virtus et venus erit, ut* auctor promissi carminis *amet hoc, spernat illud;* non persentiscis illud *promissi carminis* sententiam labefactare? Quid enim? nullus erit ordo, nulla ejus norma vel ratio, nisi carmen *promissum* sit? Nimirum hic opera luditur; neque ullo pacto versiculum

Digitized by Google

hunc prioribus possis connectere. Senserunt hoc Interpretes quidam et nuper, et olim: unde inviti licet et coacti eo demum recurrerunt, ut integrum hinc præceptum formarent et cuderent, per se constans, et a reliquis omnibus abscissum: « Hoc amet, hoc spernat promissi carminis auctor. » Ita certe Servius ad Georg. II, 4, 5: « *Me* vero primum dulces ante omnia Musæ, » suam personam pro quocumque ponit: sic paullo post: « Rura *mihi* placeant, » pro *cuilibet*. Sic in primo: « Non illa quisquam *me* nocte per altum Ire. » In tertio: « Ne *mihi* tunc molles sub divo carpere somnos. » Et hoc est quod dicit Horatius in Arte Poetica, « Hoc amet, hoc spernat promissi carminis auctor. » Et ad Æn. IV, 414: « Improbe amor, quid non!... » Exclamatio a *poeta* contra amorem; et hoc est quod Horatius dicit, « Hoc amet, etc. » Et ad v. 415: « Frustra moritura, » frustra, ex judicio *poetæ* dictum est, ut Horat. « Hoc amet, etc. » Ergo ex Servii sententia hoc præcipit Horatius, ut poeta nonnunquam ex persona sua loquatur, se rebus intermisceat, suum judicium interponat. Vides, quo redactus sit, ut sensum aliquem extunderet. Nam profecto neque ex his verbis præceptum illud enascitur; nihil minus: neque quisquam sanus id generatim præcepti loco tradiderit. Quid enim in comœdia tragœdiave fiet, ubi numquam poeta se intermiscet? Quin et in Epico carmine aliisque fieri quidem potest; præcipi nisi inutiliter et stulte non potest. Deserunt itaque Servium recentiores, et *delectum rerum ipsarum* hic intelligunt, *Hoc amandum, hoc spernendum est*, aliud probandum, aliud rejiciendum. Enimvero cum Chærea exclamare libet, « Dixti pulchre: numquam vidi melius consilium dari. » *Hoc amato*, inquit, *hoc spernito:* an tu in Poetica, ut singulare quiddam, mones, quod in omnibus negotiis, in omni vitæ genere notissimum est, quædam fugienda esse, quædam petenda? « Hoc *facito:* recte sane. Hoc *fugito*: callide. » Quin et in culina æque ac in libris locum habet: « Hoc salsum est, hoc adustum est, hoc lautum est parum: Illud recte est: iterum sic memento. » Multo scilicet doctiores et ad Poeticam instructiores discedimus, hoc arcano præcepto onusti. At nuper Cl. Dacierius, qui locum hunc ante suas Notas difficillimum et obscurissimum fuisse confitetur, sic pulchre rem expedire sibi visus est, quum ita enarrat; *spernat hoc, vel illud*, neque omnia singillatim exequatur, quæ quovis modo in argumentum et narrationem *incidunt*. Novam

Digitized by Google

rem, si Musis placet, et intactam aliis dixit, quum *Incidentia* nominavit: quid hoc, sodes, aliud est, quam *delectus rerum?* quid aliud, quam quod versu demum 150 habetur, « .... et quæ Desperat tractata nitescere posse, relinquit? » At neque bis idem diceret Noster; neque tam mutus, aut verborum pauper erat, ut præcepto illo de Incidentibus tam breviter leviterque defungeretur, *Hoc amet, hoc spernat.*

Quid multa? Restituo huic versui suum locum et ordinem jam plus mille annos, ut ex Servio patet, amissum; eoque indignius, quod de Ordine jam nunc tractatum erat: « Ordinis hæc virtus erit et venus, aut ego fallor, Ut jam nunc dicat jam nunc debentia dici; Pleraque differat, et præsens in tempus omittat. *In verbis etiam tenuis cautusque serendis, Hoc amet, hoc spernat promissi carminis auctor.* Dixeris egregie, notum si callida verbum Reddiderit junctura novum. » Vides, unius versiculi trajectio quas turbas dederit, quot coactas et ineptas Commentationes pepererit. Subtilis, inquit, et cautus ac difficilis in verbis admittendis, hoc (verbum) amet, hoc spernat: hoc ut probum recipiat, illud ut κακοῦ κόμματος repudiet atque abjiciat, utcumque populari usu quasi civitate donetur. Sic et Epist. ad Florum II, 2, v. 106: « At qui legitimum cupiet fecisse poema, Cum tabulis animum censoris sumet honesti: Audebit quæcumque parum splendoris habebunt, *Verba* movere loco, quamvis invita recedant, Et versentur adhuc intra penetralia Vestæ: Obscurata diu populo bonus eruet, atque Proferet in lucem speciosa *vocabula* rerum, etc. » Sentis, opinor, in promisso et legitimo carmine hæc verba poetæ *amanda*, hæc *spernenda* esse. Quin et sequentia illa, *Dixeris egregie,* jam cultius et concinnius post hanc emendationem feruntur: nam antea, quum sic juncta ponerentur, « In *verbis* etiam tenuis cautusque serendis. Dixeris egregie notum si callida *verbum;* » *Verbis* utique et *verbum* tam propinqua repetitione meram scabiem et sordes præ se ferebant. Jam autem similis plane in plerisque libris trajectio est Epist. I, 1, v. 57, illic tamen unus et alter codex rectam seriem servavit, hic nullus. Nempe prior et antiquior luxatio hæc est, quam altera. Ceterum illud sancte affirmare possum, me nullum usquam aut Horatii, aut cujusvis poetæ veteris manuscriptum exemplar versavisse, in quo scriba versum aliquem casu non omiserit. Qui error, ubi aliquandiu latuit, in margine demum corrigitur:

Digitized by Google

ubi statim deprehensus est, versus extra seriem scribitur; et literulis *ab* ad suam sedem revocandus notatur; scilicet ne librum venalem, aut mercede scriptum litura dehonestet. Ubi vero hac in margine literulæ negliguntur, aut evanescunt; eo tandem res venit, ut longo temporis tractu librarii unius erratio per omnia deinceps apographa propagetur. BENTL.

EXCURSUS IV, vers. 60.

Ut silvæ foliis pronos mutantur in annos, etc.

Insolens profecto loquendi genus, *Silvæ foliis mutantur;* quodque nullo, ut opinor, exemplo defendi, aut excusari potest. In hac constructione legerim potius, mutatione minima, « Ut silvæ foliis pronos *nudantur* in annos. » Cicero in Arateis: « *Denudant folia* ramos, et cortice truncos. » Claudianus de Bello Getico, v. 166: « Frigida ter decies *nudatum frondibus* Hæmum Tendit hiems vestire gelu. » Sen. Hippol. 966: « Ut nunc canæ frigora brumæ *Nudent silvas:* nunc arbustis Redeant umbræ. » Severus, poeta Christianus: « Quam multis *foliis silva* cadentibus *Nudatur,* gelidis tacta aquilonibus. » Vel eadem prorsus sententia legerim, levi item mutatione, « Ut silvæ foliis pronos *viduantur* in annos. » Plane ut Noster Carm. II, 9: « Aut *foliis viduantur* orni. » Virgil. Georg. IV, 618: « Arvaque Riphæis numquam *viduata* pruinis. » Silius Ital. III, 601: « Nec Stygis ille lacus, *viduataque* lumine regna. » Et XII, 370: « Serpentum tellus pura, et *viduata* venenis. » Et sunt quidem, ni fallor, qui utramvis ex his conjecturis plausu excipere velint: sed ubi contextum orationis accuratius considero, plana via incedendum esse video. Quum enim *Folia* hic, non silvæ, cum *Verbis* comparentur; oportet utique, ut id vocabulum casu recto efferatur, et ducat sententiam. Atque ita sane locus hic citatur a Diomede, p. 394: « Sed injecit, *inquit,* postera ætas manum; et veluti disciplinam pristini sæculi, ita et sermonem fastidire cœpit, et nova parturire verba, quæ juvenum ritu ipsa modo florent et vigent, ut ait Horatius, « Ut *folia in silvis* pronos mutantur in annos, Prima cadunt; ita verborum vetus interit ætas, Et juvenum ritu florent modo nata, vigentque. » Adde et illud, quod dure admodum et inconcinne illa subnectuntur, *Prima cadunt;* nisi no-

Digitized by Google

minativum *Folia* in præcedentem versum adsciveris. Qualis enim, sodes, oratio est, *silvæ mutantur foliis : prima cadunt?* Immo *folia mutantur silvis*, et tum demum apte commodeque subjunxeris, *Prima cadunt.* Heinsius quidem Daniel *non dubitaverit*, ut ait, *præferre, quod à Diomede adducitur.* Utinam vero manuscripti mihi codicis copia esset; veram, opinor, lectionem apud illum Grammaticum delitescentem reperirem. Nunc quia res conjecturis agenda est, non crediderim ab Horatii manu esse, quod profert Diomèdes: quippe quod ita clarum ac facile est, ut incredibile sit a librariis nostris interpolari potuisse. Illi etenim difficilia et recondita facilioribus, non contra, solent mutare: neque quisquam inauditum illud *Ut silvæ foliis mutantur* perverse substitueret, si in exemplari suo invenisset quod extra omnem exceptionem est, *Ut folia in silvis.* Virgil. VI, 309: « Quam multa *in silvis* autumni frigore primo Lapsa *cadunt folia.* » Manilius lib. V: « Quot delapsa *cadunt foliorum* millia *silvis.* » Quamobrem, aut valde fallor, aut sic dedit Horatius: « Ut *silvis folia* pronos mutantur in annos. » Ubi syllaba brevis sustentatur, tum cæsuræ ratione, tum ob binas quæ sequuntur consonantes: qualia passim apud Virgilium et alios occurrunt. Hanc porro licentiam quum librarii datam esse nescirent, quid magis in proclivi, quam ut *silvæ foliis* officiose reponerent? Sed et aliud, opinor, hic mendum latet, in lucem jam protrahendum. Quid enim est *in annos pronos?* an vergentes, declinantes, sub autumno scilicet; ut *prona dies*, decedens, apud Statium Theb. II, 41: « Ast ubi *prona dies.* » Hoc quidem Dacierius voluit: verum haud patitur hanc sententiam indoles locutionis, ubicumque enim dicunt, *In horas, in dies, in menses, in annos;* totos et integros necessario denotant, non aliquam eorum partem. Ergo alii cum Acrone *pronos* in universum annos accipiunt, *volubiles* scilicet, *declives, cito labentes, et instabiles.* Ita Seneca *præcipitem annum* appellat, Herc. Fur. v. 180: « .... properat cursu Vita citato, volucrique die Rota *præcipitis* volvitur *anni.* » Atqui apud Senecam morata oratio est: ubi enim de vitæ brevitate querimur, belle sane præcipitem annum et volucrem diem incusamus: at alias iidem, ut lentos nimis et morantes, increpamus, « Et queritur *tardos* ire relicta *dies.* » Atqui nullus hic apud Flaccum moratæ orationi locus est; et profecto quum *In annos* dicit, inepte prorsus utrumvis addidisset, seu *cele-*

Digitized by Google

res, sive *tardos*, neque enim quisquam in simili phrasi moratum epitheton usquam adjunxit.

Equidem sic locum restituo : « Ut *silvis folia privos* mutantur in annos, Prima cadunt, etc. » Amavit scilicet hoc vocabulum Noster, qui et alibi habet « priva triremis, » et « Turdus, sive aliud privum. » Festus : « Privos privasque antiqui dicebant pro Singulis. » Gellius, lib. X, cap. 20 : « Veteres Priva dixerunt, quæ nos Singula dicimus. » Ut folia, inquit, mutantur in singulos annos ; ita verborum vetus ætas interit, nova exoritur. Lucretius, lib. V, v. 275 : « Aera nunc igitur dicam, qui corpore toto Innumerabiliter *privas mutatur in horas*. » Quid autem ? nonne gemina plane et germana sunt, « Privas mutatur in horas, » et « Privos mutantur in annos ? » Iterum V, 732 : « *Inque dies privos* aborisci quæque creata. » Ceterum unum idemque est, utrum *in horas privas seu singulas*, an brevius *in horas* dixeris. Noster infra in Arte, v. 160 : « .... gestit paribus colludere, et iram Colligit ac ponit temere, et *mutatur in horas*. » Serm. II, 7, 10 : « .... modo læva Priscus inani Vixit inæqualis, clavum ut *mutaret in horas*. » Ingere huc, si vis, quodcumque epitheton, præterquam *privas* aut *singulas* : et putidissimam orationem efficies. Porro « in dies singulos, in menses singulos, in singulos annos » passim apud Ciceronem, Livium, aliosque occurrunt ; nec in tam notis exemplis est immorandum. *Privus* autem, et *Primus*, et *Pronus* ob compendiosam scribendi rationem facillime a librariis permutabantur. Sic Epist. II, 2, v. 98 : « Lento Samnites ad lumina *prima* duello. » Duo Blandinii apud Cruquium *prona*. Virgil. X, 242 : « *Primus* in arma jube. » Ubi Pieriani aliquot codices *Pronus*. Lucret. III, 373 : « Illud in his rebus nequaquam sumere possis Democriti, quod sancta viri sententia ponit ; Corporis atque animi primordia singula *primis* Adposita, alternis variare et nectere membra. » Ita nunc scripti editique : sed sine dubio corrigendum est ; « Corporis atque animi primordia singula *privis* Adposita. » Hoc est, « Singula corporis primordia singulis animi apposita. » His argumentis freti *privos in annos* apud Flaccum adscivimus, non *pronos*. Nam quod *pronos annos* hic dictum opinantur, ut *pronos menses* Carm. IV, 6 ; in eo judicium eorum et acumen desidero : « Rite Latonæ puerum canentes, Rite crescentem face Noctilucam, Prosperam frugum, celeremque *pronos* Volvere *menses*. » Recte siquidem ubi *cele-*

Digitized by Google

rem addidit et *volvere*, *pronos* hic menses finxit, quasi a capite summo ad imum per prona devolvendos; Silius Ital. XV, 235: « .... passim *per prona voluti* Truncato instabiles fundebant corpore vitam; » Gellius II, 30: « Fluctus excitatos quasi per *prona* volvi. » *Celer* enim Luna est comparatione Fratris, ut et ipse Sol comparatione Sæculi; Seneca Œdip. 250: « Tuque, o sereni maximum mundi decus, Qui tarda *celeri* sæcula evolvis rota. » Hæc omnia, ut vides, morate dicuntur, prout locus, causa, persona, sententia variat: atqui idem Noster si *In menses*, vel *In annos* dixerat, ubi *privos* vel *singulos* tacite subauditur, nunquam, mihi crede, *pronos* addidisset. Quamquam et hoc loco suspicio est scholiastas veteres legisse olim, « celeremque *privos* Volvere menses; » quippe uterque sic enarrat, « Quia *singulis* mensibus Zodiacum circulum Luna pertransit. » Verum de hoc quisque sentiat, ut volet. Recte vero *prima cadunt:* neque hanc quispiam lectionem sollicitet, aut *priva* substituat. Hieronymus in Præfat. ad II librum Oseæ: « Postquam alia venerit generatio, *primisque foliis cadentibus* virens silva succreverit. » Bentl.

Excursus V, vers. 65.

Sterilisque diu palus, aptaque remis, etc.

Quum ex analogia et pronunciationis lege *palus* posteriorem syllabam producat; ut Virgilio, « Limosoque *palus* obducat pascua junco.... Cocyti tardaque *palus* inamabilis unda..... Dicitur et tenebrosa *palus* Acheronte refuso.... Atque hinc vasta *palus*, hinc ardua mœnia cingunt; » gravat profecto Flacci manes sceleratus hic versiculus, « atque ignoratæ premit artis crimine turpi; » ubi syllaba ista Musis indignantibus corripitur: « Regis opus: sterilisque diu *palus*, aptaque remis, Vicinas urbes alit, et grave sentit aratrum. » Neque vero ullum in codicibus subsidium est: hi omnes et Grammatici etiam veteres jam a mille annis lectionem hanc et notarunt, et propagarunt. Servius ad Æn. II, 65: « Sane in Tellus *us* longa est, et pauca sunt, quæ *us* producunt, ut Senectus, Juventus, Salus, Virtus, Palus, Servitus, Incus, Tus, Rus, Mus, Pus. Palus tamen brevis nonnunquam invenitur, quia in *dis* exit genitivus: ut Horatius, *Sterilisque diu palus aptaque remis.* » Idem Æn. VI, 107; « In palus bene Virgilius produxit *lus*, quia paludis facit;

Digitized by Google

quod supra plenius diximus. Horatius corripuit: ut, *Sterilisque diu palus aptaque remis.* » Idem De ultimis syllabis, p. 1813: «*Us* vero, quum in genitivo crescente longa permanserit, producitur, excepto uno Palus, ut est hoc, *Sterilisque diu palus aptaque remis.* » Quæ totidem verbis habentur apud Bedam De metris, 2360. Denique et Priscianus, p. 718: « Palus tamen etiam correpta *us* invenitur apud Horatium de Arte poetica, *Sterilisque diu palus aptaque remis.* Vides hoc Nostri loco omnes inniti, quodque pejus est, hoc uno; neque quemquam alium scriptorem ad partes vocare. Doluerunt itaque recentiores Horatii vicem, nullumque non lapidem moverunt, ut tam fœdum a caro capite dedecus amolirentur. Alciatus hoc effugium reperit, ut *Palus* in unam syllabam coalescat, et quasi *Plus* efferatur; quemadmodum apud Comicos *Meum*, *Tuum*, *Novum* ad monosyllaba sæpe rediguntur; cujus animum quidem laudes, commentum ut futile vituperes. Erythræus vero cachinno excipiendus est, qui literam *s* abjiciendam putat, *palu' aptaque remis*, more veterum poetarum, qui *Hibernis pastibu' pulsi*, *Subito ex infantibu' parvis*, et alia ad id exemplum passim usurpabant; ignarus, hoc ante consonantes solum, ut ubi *us* natura breve erat, vel veteribus illis licuisse. Jam autem strenue frontem perfricat Theodorus Marcilius, qui *ex veteribus* Horatii Priscianique *membranis* veram, ut ait, lectionem profert, *Sterilisque palus aptataque remis.* Ubi enim gentium sunt tales membranæ? aut qui, sodes, credibile est apud Priscianum produci, qui ideo citat, ut corripi ostendat? quid quod *aptata remis*, minime quidem *palus*, sed *navis*, vel *ratis*, recte dicitur: palus vero apta remis. Ovidius, Art. Amat. II, 126: « O quoties illum doluit properare Calypso; *Remigioque aptas* esse negavit aquas. » Claudianus Bello Get. v. 339, de Rheno et Danubio: « Ambo *habiles remis*, ambo glacialia secti Terga rotis. » Quid igitur fiet? favebunt, ut bene ominor, qui Horatio bene volunt; si et ipse in re jam deplorata et deposita quid possim tentavero. Principio igitur nemo a me impetrabit, quin Grammaticos illos vitiosis exemplaribus deceptos esse credam: qualia pleraque Virgilii erant, teste Gellio, diu ante quam illi nascerentur. Incredibile enim est, ut *palus* corripuerit Flaccus, contra sermonis genium et normam, omniumque aliorum morem, tam profecto quam si *Virtus* aut *Tellus* breviter eum extulisse contenderis. Posito igitur et con-

Digitized by Google

cesso, locum, ut hodie fertur, in mendo cubare; sic restituendum et reponendum arbitror: « Regis opus: sterilisve palus *prius* aptaque remis, Vicinas urbes alit, et grave sentit aratrum. » Ubi illud *ve* ex Vossiano, Græviano, et Batteliano adsciscimus; « *Sive* Neptunus... sterilisve palus... *seu* annis cursum mutavit; » ut Carm. IV, 2: « *Seu* deos regesque canit.... *Sive* quos Elea domum reducit.... Flebili sponsæ, juvenemve raptum Plorat. » *Que* vero nullum hic locum habet; ut miror hic tot editoribus somnum obrepsisse. Jam autem ut *diu* in *prius* mutaremus, et vocum similitudo, præsertim ubi *Prius* compendiose scribitur, et ipsa sententia monuerunt. Hoc enim sine dubio voluit Flaccus, Quæ *ab omni ævo* sterilis palus fuerat, nunc exsiccata segetes fert. Atqui in hac sententia rectius *prius palus* dixeris, quam *diu*. Noster Carm. I, 3: « Semotique *prius* tarda necessitas Leti corripuit gradum. » *Prius semoti*, nempe ab ipsis humani generis primordiis. Ovid. Metam. I, 135: « Communemque *prius*, ceu lumina solis et auras, Cautus humum longo signavit limite mensor. » Et II, 174: « Quæque polo posita est glaciali proxima serpens. Frigore pigra *prius*, nec formidabilis ulli, Incaluit. » Pone jam in his locis *Diu* pro *prius*; versus quidem æque utrumque recipiet, sententia non item. Quippe *Diu* fuisse dicuntur, quæ a longo tempore sic erant; vix quæ ab omni: *Prius* vero utrique sensui ex æquo convenit. Virgil. Georg. III, 362: « Concrescunt subitæ currenti in flumine crustæ, Undaque jam tergo ferratos sustinet orbes, Puppibus illa *prius* patulis, nunc hospita plaustris. » Et Æn. X, 123: « .... innabant pariter, fluctusque secabant, Quot *prius* æratæ steterant ad litora proræ. » Quum autem *prius* a dormitante librario in *diu* mutatum esset, *sterilisque palus diu aptaque remis*; reliquum erat, ut proximus exscriptor ipsius, ut putabat, versus gratia, verba illa inverteret. Bentl.

Excursus VI, vers. 96.

Telephus et Peleus, quum pauper, etc.

Locus hic ab omnibus Interpretibus perperam intellectus est: « Interdum tamen et vocem Comœdia tollit, Iratusque Chremes tumido delitigat ore: Et Tragicus plerumque dolet sermone pedestri. Telephus et Peleus, quum pauper et exsul uterque, Projicit

Digitized by Google

ampullas et sequipedalia verba. » In hac certe distinctione *Tragicus* est ipse Poeta; et sic enarrat Scholiastes Cruquii, *Scriptor Tragœdiarum*. Atqui inepte quispiam dixerit, Poetam in Tragœdia dolere; quippe qui nunquam ex persona sua loquitur. Vidit hoc, ut opinor, Cl. Dacierius: et idcirco *actorem* hic interpretatur, non *scriptorem*. Livius quidem Aristonem quemdam *Tragicum actorem* memorat; verum nemo actorem absolute *Tragicum* dixit, sed *Tragœdum*. Tu lege et distingue, « Et tragicus plerumque dolet sermone pedestri Telephus *aut* Peleus: quum pauper et exsul uterque, Projicit ampullas et sesquipedalia verba. » Ubi constructio est, *Tragicus Telephus*, aut *Tragicus Peleus* plerumque humili sermone dolet. Noster Serm. II, 5, v. 91: « Davus *sis* comicus. » Cicero in Pisonem, c. 20: « Ego te non vecordem, non furiosum, non mente captum, non *tragico illo Oreste aut Athamante* dementiorem putem? » Apuleius in Apologia: « Quamquam teterrimum os tuum minime a *Thyesta tragico* demutet; » ubi frustra sunt, qui *Thespi* aut aliud nescio quid reponunt. Ita *Comici servi, Comici senes*, apud Plautum. Propertius IV, 5, v. 44: « Sed potius mundi Thais pretiosa Menandri, Quum ferit astutos *comica mœcha* Getas. » Cæcilius Epiclero apud Ciceronem in Lælio, c. 26: « Hodie me ante omnes *comicos* stultos *senes* Versaris atque luseris lautissime. » Ubi pro *luseris* Palatinus primus codex habet *unxeris*: unde corrigo certissime, « Versaris atque *emunxeris* lautissime. » Litera *m* virgula tantum superne notabatur, *e* a præcedente absorbebatur: vides inde *mendi* initium et progressum. Recte igitur apud Nostrum conjunximus, *Tragicus Telephus*: et agnoscis, credo, pulchram oppositionem, in Comœdia iratus *Chremes* tumido, in tragœdia *Telephus* pauper humili sermone utitur. *Aut* vero pro *et* adscivimus, sententia jubente, licet abnuant librarii: sic infra v. 104: « Telephe *vel* Peleu; » et Cicero, ut jam vidisti, « Oreste *aut* Athamante. » BENTL.

EXCURSUS VII, vers. 120.

Scriptor, honoratum si forte reponis Achillem.

Videamus locum integrum: « Aut famam sequere, aut sibi convenientia finge, Scriptor, *honoratum* si forte reponis Achillem;

Digitized by Google

Impiger, iracundus, inexorabilis, acer, Jura neget sibi nata, nihil non arroget armis. Sit Medea ferox invictaque, flebilis Ino, Perfidus Ixion, Io vaga, tristis Orestes. » Ubi multum se torquent recentiores, (Scholiastæ enim nihil de hoc verbo annotant) cur Achillem *Honorati* epitheto poeta donaverit. Expressit, aiunt quidam, Homericum illud δῖος Ἀχιλλεύς, quod singulis fere paginis occurrit. Bene sane: quasi non alii quivis eodem titulo ibi honestentur, etiam ipse adulter *Paris*, et bonus ille *Subulcus*, δῖος Ἀλέξανδρος et δῖος συβώτης. At Cl. Dacierius, « Latine, inquit, vertit epitheton τετιμένον, quod ubique Achilli ab Homero datur. » Enimvero, si sic agemus, facillime et nullo negotio curva omnia corrigentur: quum ter quaterve, non sæpius, in toto Homero compareat id vocabulum, neque semel ad Achillem pertineat. Immo, ait Lambinus, idcirco *Honoratus* Achilles, quod Thetis Jovem oraverit, ut filium *honoraret*, Iliad. I, 508: « Ἀλλὰ σὺ μέν μιν τίσον, ὀλύμπιε μητιετὰ Ζεῦ. » Atque id sub exitu Iliados a Jove concessum est. Vide quo devenimus, in quas angustias compulsi. Quippe tota Ilias ob Μῆνιν illam Ἀχιλλῆος, quod in *nullo honore* haberetur, composita et scripta est; nulla omnino futura, nisi *contumelia* Achilli facta materiam et argumentum suppeditavisset. Ipse Achilles queritur, nec Jovem, nec Agamemnonem se vel hilum *honoravisse*, Iliad. I, 354: « Τιμήν πέρ μοι ὄφελλεν ὀλύμπιος ἐγγυαλίξαι Ζεὺς ὑψιβρεμέτης· νῦν δ' οὐδέ με τυτθὸν ἔτισεν: et 412; Γνῶ δὲ καὶ Ἀτρεΐδης εὐρυκρείων Ἀγαμέμνων Ἥν ἄτην, ὅτ' ἄριστον Ἀχαιῶν οὐδὲν ἔτισεν. » Immo adhuc indignatur libro IX, se ut *nullius pretii* homunculum et *inhonoratum exsulem* ignominiose tractatum esse, v. 646: « Ἀλλά μοι οἰδάνεται κραδίη χόλῳ, ὁππότ' ἐκείνων Μνήσομαι, ὡς μ' ἀσύφηλον ἐν Ἀργείοισιν ἔρεξεν Ἀτρεΐδης, ὡσεί τιν' ἀτίμητον μετανάστην. » Hoc est, vertente Cicerone Tuscul. III, 9: « Corque meum penitus turgescit tristibus iris, Quum *decore* atque omni me *orbatum laude* recordor. » Neque id solum in causa Briseidos, quam Agamemnon vi abduxerat: verum etiam quum in lento illo novem annorum bello tres et viginti urbes sua manu jam cepisset, meliorem ait prædæ partem abstulisse Agamemnonem; sibi nihil eximii cessisse, non magis quam si in castris otiosus sedisset, IX, v. 319, 333: « Ἐν δὲ ἑῇ τιμῇ ἠμὲν κακὸς, ἠδὲ καὶ ἐσθλός. Δεξάμενος διὰ παῦρα δασάσκετο, πολλὰ δ' ἔχεσκε. » Eant igitur, et novas hujus vocabuli rationes excogitent. Ego vero, quantumvis *honoratus* sit Achilles,

Digitized by Google

utcumque alias justum aptumque fuerit epitheton, hoc tamen loco prave absurdeque poni contendo. « Famam, inquit, sequere, et si reponis honoratum Achillem; sit impiger, iracundus, inexorabilis. » Atqui et illud *Honoratus*, uti cetera quæ sequuntur, *fama* acceptum est, et partem characteris constituit. Ergo stulte in priore sententiæ colo ponit, quod in posteriore dicendum erat, hoc exemplo, « Si Achillem reponis, sit *honoratus*, impiger, etc. » At nunc perinde est, ac si dixerit, « *Si* impigrum *Achillem describis, sit* iracundus. » Quis ferat ὕστερα πρότερα tam præpostere narrantem? et quis non sentiat, nullum in priore membro moratum et χαρακτηρίζον epitheton esse collocandum? Ita recte in ceteris; « Medea sit ferox, Ino sit flebilis, Ixion sit perfidus, Io sit vaga, Orestes sit tristis; » nuda hic vides nomina. Pone jam adjectiva χαρακτηρίζοντα, « Impudica Medea sit ferox, Fidus Orestes sit tristis; » et ridicule in protasi id anticipas, quod in apodosi demum venire debebat. Atque hoc quidem adeo certum est, et sua luce clarum, ut Cl. Dacierius, utcumque in notis frustra incrustare conatus sit, in versione tamen Gallica sciens prudensque τὸ *Honoratus* omiserit. Recte tamen dicere poteris, *Medea* Colchis *sit ferox*, Agamemnonius *Orestes sit tristis;* quia hæc et similia morem, indolem, ingenium, conditionem, characterem personæ non monstrant, neque formant. Quid multa? restituo tibi sinceram lectionem jam a multis sæculis deperditam: « Scriptor, *Homereum* si forte reponis Achillem. » Hoc quum librariis nusquam lectum nec auditum esset, non mirum adeo si quod proxime accedebat *Honoratum* interpolaverint. Famam, inquit, sequere, et *si reponis Achillem Homericum;* talem tu illum exhibe, qualem Homerus memoriæ prodidit. Recte autem *Homereus*, sive Homericus: sic enim et ceteri heroes. Ulixes, Agamemnon, Nestor aliique, qui Homero soli nomen et famam apud posteros debent, passim nominantur. Cicero de Legibus I, 1: « Aut quod *Homericus Ulixes* Deli se proceram et teneram palmam vidisse dixit. » De Divinatione I, 30: « Ex quo et illud *Homerici Hectoris*, qui moriens propinquam Achilli mortem denuntiat. » Tuscul. Quæst. III, 26: « Hinc ille *Agamemnon Homericus*, idemque Accianus, Scindens dolore identidem intonsam comam. » Et ibidem IV, 23: « Quid *Achille Homerico* fœdius, quid Agamemnone in jurgio? » Seneca De Tranquillitate, c. 2: « Qualis ille *Homericus Achilles* est, modo

Digitized by Google

pronus, modo supinus, in varios habitus se ipse componens. » Apuleius De deo Socratis : « Species quam solus Socrates cerneret, ita ut *Homericus Achilles* Minervam. » Quintilianus II, 3 : « Sit ergo tam eloquentia quam moribus præstantissimus, qui ad *Phœnicis Homerici* exemplum dicere ac facere doceat. » Gellius IX, 9 : « Atque illud impense Probum esse demiratum in Virgilio dicebant, quod *Homerica quidem* Ἀητὼ gaudium gaudeat (lege ex codice Lutetiæ regio gaudebat) geminum et intimum. » Ammianus Marc. XXVII, 8 : « Ut *Ulixes Homericus* apud Phæacas ob difficultatem nimiam replicare formidat. » Et XXVIII, 1 : « Ut inter innumera multa *Ajax quoque Homericus* docet, optans perire potius luce, quam pati formidinis augmenta nocturnæ. Juvenalis XIII, 113 : « Tu miser exclamas, ut Stentora vincere possis, Vel potius quantum *Gradivus Homericus*. » At Noster, quia *Homericum* versu dicere non potuit, ad Græcam et rariorem inflexionem confugit, ut *Homereum* diceret. Epigrammate in Catalectis LXVIII, hortorum Deus loquitur : « Rusticus indocte si quid dixisse videbor, Da veniam : libros non lego, poma lego. Sed rudis hic dominum toties audire legentem Cogor, *Homereas* edidicique notas. » Ubi in scriptis codicibus quum mendose *meracas* sit (teste Heinsio ad Nasonem Epist. Sabini tertia) quædam olim editiones *Homereas*, aliæ *Homeriacas* præferunt. Utrum voles ab auctore sit (nam alterutrum ut sit necesse est) æque huic Nostri loco conveniet : *Scriptor Homereum*, vel, si forte mavis, *Scriptor Homeriacum*, ut ab Hellesponto *Hellespontiacus*, a Tartesso *Tartessiacus* et alia similia. Nos *Homereum* ideo prætulimus, quod Græcis Ὁμήρειος magis placuisse comperimus. Inde Latine *Homereus*, ut ab Ἀχίλλειος, Ὀρέστειος *Achilleus*, *Oresteus* et alia infinita poetis familiaria. Sic Arati Phænomena a se versa Cicero *Aratea* inscripsit. Callimachus, Epigr. VI : « Ὁμήρειον δὲ καλεῦμαι Γράμμα. Κρεωφύλῳ, Ζεῦ φίλε, τοῦτο μέγα. » Ita legunt Eustathius ad Iliad. p. 250, et auctor Etymologici, p. 240. Et apud Sextum Empiricum, I, 2, Ὁμήρου νῦν δὲ hodie fertur. Anthologia III, 14, Acerati : « Ἕκτορ Ὁμηρείησιν ἀεὶ βεβοημένε βίβλοις. » Et IV, 9, in Ulixen : « Τί πλέον, εἰν ἐπέεσσιν Ὁμηρείοις γὰρ ἐκείνου Εἰκὼν ἀφθάρτοις ἐγγράφεται σελίσι. » Et alibi, « Τὶν γὰρ Ὁμηρείοις ἀντιφέροιτο λόγοις. » Et « Μηδ' ἐς Ὁμηρείην σελίδ' ἤμβλεπτε, μηδ' ἐλεγείαν. » Stetimus, opinor, promissis, et revocatam ex oblivione veram lectionem satis firme

Digitized by Google

constabilivimus; unum modo adjiciemus, idque haud levis momenti, vix aliter olim legisse veteres Scholiastas. Sic enim enarrant: « Reponis, inquiunt, itidem scribis. Si ergo Achillem, de quo semel *Homerus* scripsit, velis scribere; talem debes scribere, qualem *Homerus* ostendit. Aut *reponis*, ad imitationem *Homeri* describis. » Quorsum, sodes, hæc pertinent, nisi ad *Scriptor Homereum?* At iidem, quod ad *Honoratum* faciat, nihil omnino habent. BENTL.

Quamvis hæc argumenta Bentleii ad confirmandam hanc lectionem *Homereum* probaverit, et inter felicissima inventa laudaverit Clar. *Sanadon*, tamen in textu nostro *honoratum* recipere non dubitavimus, quia hæc est omnium codicum genuina lectio. Hanc vocem explicat Vet. Schol. Cruq. *magnificum;* cui *superbum, honoris plenum* addidit BAXTER, exclamans nemini ante Bentleium, neque visum, neque auditum hoc monstrum, *Homereum.* Gesnerus interpretatur, sic *honoratum* Homeri carminibus Achillem fuisse, ut Alexander magnus illi inviderit. Franc. Luisinus Utinensis affirmat multam voluptatem cepisse conferendo hanc Achillis *honorati* descriptionem cum Pindarica, quæ est ode tertia Nemeorum. Ach. Statius ait *honoratum* superis esse carum, ut in Terentii Phormione, v. 852: et ἔνδοξον, ἔντιμον, ut Cicero in Bruto Thucydidem *honoratum* fuisse dicit.

Inter Horatii recentiores interpretes celeberrimus Bentleii imitator, non minore audacia et ingenio singularis, (*l'abbé* GALIANI) sic Gallice disserit (mirum et incredibile) de hoc versu: ....*Honoratum* si forte *reponis* Achillem.

« Ces mots ont été mal entendus. *Honor*, en latin, veut dire une *charge publique*, une dignité municipale. On appelait *honoratus* le magistrat qui s'était retiré de lui-même, après un *honorable* exercice de ses fonctions; et généralement *honorati*, ceux qui, n'exerçant plus, conservaient néanmoins leurs *honneurs*, et jouaient même un rôle dans les républiques et dans les colonies, aussi bien qu'à Rome, par leur crédit et par le souvenir de leurs glorieux services. Il y a cinq cents inscriptions antiques, où ce mot est employé. Plusieurs expressions des langues modernes confirment le sens du mot latin, et même l'empruntent à cette langue, telles que, *conseiller honoraire, marguillier d'honneur*, etc., etc.; en un mot, *honoratus Achilles* veut dire *Achille dans sa retraite;*

Digitized by Google

et, pour parler plus familièrement, *Achille dans sa démission*, lorsqu'il se retira sur sa flotte, résolu de ne plus combattre sous les ordres d'Agamemnon.

« Le sens du mot *reponi* semble ajouter à la justesse de cette interprétation. Il est clair que ce mot qui, traduit littéralement, signifie *être remis*, reçoit ici la même acception qu'en français, quand on parle d'une pièce *remise* au théâtre. Qu'on fasse attention au vers 190 :

Fabula quæ posci vult, et spectata reponi.

« Si vous voulez que la pièce soit reprise; » et il est évident qu'*Achilles honoratus* était une pièce connue du temps d'Horace, et qui n'avait pas réussi, parce que le rôle d'Achille était mal conçu. Le poète indique le changement qu'exigeait le principal rôle, pour que la pièce fût *remise* avec succès. Au reste, il est naturel qu'un poète ait intitulé son ouvrage *Achilles honoratus*, pour désigner, non-seulement la colère et la retraite d'Achille, mais encore la satisfaction éclatante qui lui fit oublier l'injustice d'Agamemnon. »

Excursus VIII, vers. 128 et seqq.

Difficile est proprie communia *dicere : tuque*
Rectius Iliacum carmen deducis in actus,
Quam si proferres ignota, indictaque primus.

Ces vers, dit l'abbé Galiani, sont fameux par les fausses interprétations des commentateurs et des traducteurs. Je propose une variante pour la première fois, et je n'y retomberai jamais. Je pense donc qu'il faut lire, *difficile est proprium communi addicere*. Voici mes raisons. Personne n'ignore que la finale *um* s'écrit en abrégé, même à présent, même au collége, au moyen d'un trait en haut: *ũ*. On le remarque aussi dans les vieux manuscrits: il est vraisemblable que ce trait ayant été pris par le copiste pour un *e* marqué d'un accent, il aura cru nécessaire d'indiquer le mot *proprie* comme un adverbe.

Le reste de ma variante n'est pas contestable. On sait que les anciens ne séparaient pas les mots; on sait aussi que très souvent

Digitized by Google

l'*i* long, ou le double *i* ne se distinguaient pas de l'*i* ordinaire: or, *communia dicere*, et *communi addicere*, se sont vraisemblablement trouvés écrits de la même façon dans les anciens manuscrits, ou du moins avec une différence sur l'*i*, si peu sensible, que le copiste, qui ne l'a pas aperçue, s'est trompé dans la séparation des mots.

En adoptant cette variante, toutes les difficultés disparaissent. D'abord, le passage devient latin; il ne l'était pas: car l'adjectif *communia* suppose *bona* sous-entendu; les *biens communs*. *Addicere communi proprium* est l'expression juste pour dire, *ajouter ses biens propres aux biens communs*. Quels sont ces biens communs? les récits connus de la mythologie; car ils appartiennent également à tous les poètes qui veulent s'en emparer. Quant aux *biens propres*, ce sont les produits de notre imagination. Horace a dit qu'en présentant des personnages connus, il fallait se conformer à la tradition, et que lorsqu'on en crée de nouveaux, il importe de soutenir leur caractère: mais il veut dissuader les poètes de cette sorte de création. « Il vous sera difficile, leur dit-il, de lier vos propres fictions aux faits mythologiques connus et consacrés, et vous aurez moins de peine à tirer votre tragédie des livres d'Homère, qu'à produire sur la scène des choses inconnues, et qu'on n'aura pas traitées avant vous. » Horace avait raison, dans son temps.

> Publica materies privati juris erit, si
> Nec circa vilem, patulumque moraberis orbem,
> Nec verbum verbo curabis reddere, fidus
> Interpres; nec desilies imitator in arctum
> Unde pedem referre pudor vetet, aut operis lex.

« Ces vers, dit encore l'abbé Galiani, ont été l'écueil de tous les traducteurs, par ignorance de la langue. *Materies*, en latin, signifie *le bois*. Horace ne s'en est servi qu'une fois; mais on le rencontre à chaque page dans Vitruve, et sa signification est constamment la même. Les traducteurs se sont abusés, en confondant *materies* et *materia*, deux mots dont le sens est très différent.

Horace entend donc *du bois* par *materies;* c'est une métaphore. Il regarde la mythologie grecque, et les sujets traités par les tragi-

Digitized by Google

ques de la Grèce, comme une forêt commune où tout le monde peut aller couper du bois; *publica materies*. Il est inutile que j'explique ici ce que c'était chez les Romains que ces bois publics, si nombreux encore en Italie; mais je dois faire remarquer la liaison exacte et naturelle de ce passage avec ce qui précède. Il a parlé des sujets et des personnages qui sont tirés des traditions fabuleuses, et de ceux qu'on puise dans son imagination. Il a conseillé de s'attacher au premier de ces deux moyens; mais il prévoit l'objection qu'on pouvait lui faire. « Ces sujets, auraient peut-être dit les auteurs des tragédies romaines, sont si connus, ont été tellement maniés par les poètes Grecs, qu'il est malaisé de les traiter encore sans encourir l'accusation de plagiat. »

Horace fait donc voir comment il faut tirer son sujet d'Homère ou d'Euripide, sans s'exposer à ce reproche. « Les ouvrages des Grecs, dit-il aux poètes, sont des *communes* (*publica materies*), où tout le monde a droit d'aller et de prendre; mais quand vous irez pour y *couper du bois*, dont vous devenez ensuite propriétaire, et qu'il sera *privati juris*, observez trois choses : 1° ne vous arrêtez pas à la lisière du bois, c'est-à-dire à cette partie de la fable grecque dont mille autres se sont saisis avant vous; 2° gardez-vous de transcrire l'auteur avec une fidélité servile, comme si vous n'en étiez que le traducteur; car c'est alors que vous passerez pour un plagiaire; 3° n'allez pas, en suivant de trop près le conseil de ne pas vous arrêter à la lisière, vous enfoncer dans le plus touffu de la forêt, où la faculté de *couper* vous est interdite, et d'où par conséquent il serait honteux qu'on vous vît sortir; c'est-à-dire, en prenant à l'auteur grec son sujet, ne lui prenez pas son intrigue, son dénouement, ses détails. »

Materies, patulum orbem, desilies in arctum, et operis lex; ces quatre expressions sont allusives aux bois, ainsi qu'aux coutumes romaines sur cet objet. *Materies* signifie le bois; *orbis* la lisière du bois. Elle était abandonnée, comme de nos jours, à tous les passans; ce qui l'a fait qualifier par Horace de *vilem et patulum*, ouverte et dégarnie.

In arctum desilire veut dire sauter dans la réserve. Par *arctus* on entendrait le touffu du bois, où se trouvaient de jeunes plants qu'il fallait garder et défendre pour la conservation du bois. *Operis lex*, les lois de la coupe.

Digitized by Google

Il est à remarquer aussi qu'Horace a coutume d'emprunter une comparaison, de la quitter et de la reprendre; c'est ce qu'il a fait ici, en disant *nec verbum verbo curabis reddere*, etc.; il a brusquement interrompu sa comparaison, à laquelle il revient ensuite, en y mêlant des mots non allégoriques; car au lieu de dire, *nec desilies lignator*, il a dit *imitator*.

Ces sortes de comparaisons, à ce qu'il me semble, ne sont pas tout-à-fait dans le goût des Français; leur langue est dédaigneuse, et n'admet même pas ce qui lui manque. »

N. B. Ces différentes remarques que je viens de rapporter, ne me semblent point admissibles, quoiqu'elles prouvent l'immense érudition de l'abbé GALIANI. (Voyez ce que j'ai dit de lui plus haut, page 444.) J'aime mieux l'opinion de Dumarsais, qui réfutait, en 1745, M. Dacier et M. de Sévigné, dont les dissertations sur ce passage de l'Art poétique occupèrent en 1698 les plus illustres savans de cette époque. Voici la lettre du lumineux Dumarsais :

« Dans l'interprétation de ce vers, *dit-il*, je n'ai suivi ni M. Dacier, ni le P. Tarteron, ni le P. Sanadon.

Pour bien comprendre le sens de ces paroles, il ne faut point les séparer de ce qui les précède, ni de ce qui les suit. Voici toute la série du discours, dans lequel se trouve la phrase, ou la difficulté.

Si quid inexpertum scenæ committis, et audes
Personam formare novam, servetur ad imum
Qualis ab incœpto processerit, et sibi constet :
(*Verum*) *Difficile est proprie communia dicere :* tuque
Rectius Iliacum carmen deducis in actus,
Quam si proferres ignota indictaque primus :
(*Et tunc illa*) *Publica materies privati juris erit*, si
Nec circa vilem patulumque moraberis orbem,
Nec verbum verbo curabis reddere, fidus
Interpres; nec desilies imitator in arctum,
Unde pedem referre pudor vetet, aut operis lex.

Ces vers me paraissent ne former qu'un sens total, une seule et même période, dont les membres sont liés par des conjonctions sous-entendues que j'ai pris la liberté de mettre ici entre deux crochets, et en *italique*.

Digitized by Google

Horace, qui est concis, a supprimé ces conjonctions ou transitions. La suppression des prépositions et des conjonctions rend le discours plus vif, mais moins clair. Auguste ne faisait pas difficulté de les exprimer, et même de les répéter pour se rendre intelligible.

Mais revenons à Horace; voici une paraphrase qui me paraît faire entendre le sens de ces vers : « Si vous osez mettre sur la « scène un sujet nouveau, un caractère qui n'ait point encore été « traité, *inexpertum*, et que pour peindre ce caractère vous in- « ventiez un personnage jusqu'alors inconnu au théâtre, *personam « novam;* que ce personnage conserve toujours son caractère; « qu'il ne se démente point; et que jusqu'à la fin de la pièce il « soit tel qu'il aura paru au commencement. Mais prenez-y garde; « mesurez vos forces : il est bien difficile d'imaginer et de soutenir « ce nouveau personnage, de le créer, pour ainsi dire, tel qu'il « doit être, *proprie;* pour peindre quelqu'un de ces caractères, « dont on n'a encore qu'une idée générale, *communia*, on n'a « aucun modèle devant soi, point d'auteur qui ait traité le même « sujet; on n'a pour guide que la nature.

« C'est ainsi que Molière, en prenant l'*Avare* pour sujet d'une « comédie, nous a peint un caractère général, *communia;* et que « par la conduite de sa pièce, et par tout ce qu'il fait dire et faire « à son Harpagon, personnage nouveau, il a traité ce sujet *proprie;* « il a appliqué convenablement à ce nouveau personnage le ca- « ractère général d'avare.

« Le *Joueur*, de Regnard, était aussi un sujet commun; c'est-à- « dire général, indéterminé, dont avant lui on n'avait fait aucune « application particulière au théâtre; mais Regnard a particularisé « ce caractère dans la personne de Valère, personnage nouveau « et inventé exprès, *inexpertum, personam novam;* et il a donné « à ce personnage tous les traits qui peignent le joueur, qui le ca- « ractérisent, qui le font reconnaître *proprie.*

« Mais, jeune poète pour qui j'écris, vous n'êtes ni Molière, ni « Regnard; vous n'êtes ni Aristophane, ni Ménandre; vous n'êtes « ni Sophocle, ni Euripide : ne volez pas d'abord de vos propres « ailes; croyez-moi, prenez plutôt un sujet, un caractère et un « personnage déjà connus dans le public, *publica materies:* le « vaillant Achille, la barbare Médée, le perfide Ixion, le triste et

Digitized by Google

« furieux Oreste, la tendre et infortunée Didon. Tirez vos sujets « et vos personnages d'Homère, de Virgile, et même de quelque « historien célèbre. Ces sujets et ces personnages que tout le monde « connaît déjà, *publica materies*, vous deviendront propres, *pri-* « *vati juris erit*, si vous en usez comme de votre propre bien, sans « vous asservir, en commentateur littéral, à la conduite, ni aux « pensées connues de votre original. Ne croyez pas que, parce « que vous tirez le fond de votre ouvrage d'un auteur, il ne vous « soit plus permis de retrancher, d'ajouter, de changer, ni de don- « ner l'essor à votre imagination : vous devez traiter votre matière « avec la même liberté, que si vous en étiez vous-même le premier « auteur. »

Il me semble que cette paraphrase rend le véritable sens d'Horace, et ne lui fait pas donner à *proprie* et à *communia* des sens forcés que ces mots n'ont nulle part.

Je crois donc que *proprie* signifie *d'une manière propre, adaptée, déterminée*, au personnage particulier par lequel on peint le caractère qu'on veut traiter.

Communia veut dire *général, vague, indéterminé*. C'est dans ce sens que les grammairiens divisent les noms substantifs en noms *communs* ou appellatifs, et en noms propres. *Commun* est donc ici un de ces termes que les logiciens appellent *universaux*, qui signifient, disent-ils, les *idées communes*, c'est-à-dire, *générales*. Tels sont les noms qui conviennent aux individus de même espèce. C'est ainsi que *héros* est un nom *commun, général, appellatif*, c'est-à-dire, un nom qui convient à Achille, à Alexandre, à César, à Henri IV, au roi de Prusse, et à tous ces grands hommes qui se sont distingués par l'héroïsme, et que l'admiration des peuples consacre à l'immortalité.

Achille, Alexandre, César, sont des noms propres, c'est-à-dire, les noms des individus particuliers de l'espèce, ou nom commun.

Ainsi, selon Horace, il est difficile d'inventer une fable particulière dans laquelle on peigne, pour la première fois, par un personnage singulier, par un nom propre, *proprie*, quelqu'un de ces caractères généraux, qui font une espèce particulière d'hommes, soit parmi les grands, soit dans le peuple, *communia*.

Hypocrite, faux dévot qui cache toutes sortes de vices sous le manteau de la dévotion, *communia*, est un caractère qui n'est que

Digitized by Google

trop commun. Molière a si bien peint ce caractère dans la personne de Tartufe, et a rendu ce caractère tellement propre à Tartufe, *proprie*, que notre langue s'est trouvée enrichie de ce mot; et que *Tartufe*, nom propre, est devenu par figure un nom commun; de sorte que l'on dit aujourd'hui d'un hypocrite et d'un faux dévot, *c'est un tartufe*.

Ainsi, *proprie communia dicere*, c'est adapter si bien un caractère à un personnage particulier, que tout ce qu'on fait dire ou faire à ce personnage réponde parfaitement à l'idée abstraite et générale qu'on a du caractère.

Communia, c'est le caractère en lui-même dans le sens abstrait, général et métaphysique.

Proprie, c'est le caractère appliqué à un personnage particulier et inventé pour être le tableau du caractère. Les mœurs d'un hypocrite, *communia*, ce sont les mœurs de Tartufe, *proprie*.

Au reste, je dois le fond de cette remarque à la note[1] que M. Piat a faite sur ce passage dans le petit Horace qu'il fit imprimer en 1730, chez Brocas; note qu'il ne doit à aucun autre commentateur: mais que ne trouve-t-on pas dans le fond d'un esprit judicieux? C'est l'instrument et le commentaire universel.

Deux passages, l'un de Cicéron, l'autre de Quintilien, m'ont fait entrer dans la pensée de M. Piat, et m'ont fait entendre que *communia* voulait dire ici les caractères généraux, communs à plusieurs, et que *proprie* désignait l'application du caractère à un personnage particulier.

Cicéron, à la fin de son oraison pour le poète Archias, dit: *quæ* COMMUNITER *de ipsius studio locutus sum*, « ce que j'ai dit, « EN GÉNÉRAL, de la poésie, talent et étude d'Archias. » C'est ainsi que tout le monde entend ce passage, et c'est un des sens que nos

(1) Hic *communia* sunt mores generatim et in universum spectati nulla ratione habita hujus aut hujus hominis. *Proprie dicere*, est mores illos, sive naturas, alicui homini adscribere et illius proprias facere.

Quum persona aliqua ex historia desumitur, habet jam mores suos, suam indolem, suam naturam propriam ac peculiarem: nec alius poetæ labor incumbit, nisi ut naturam eam, jam factam et cognitam sequatur. At si nova persona effingitur, adiri necesse est naturas illas generales atque communes, atque ex iis hauriri unde hujusce personæ indolem propriam conficias: quod esse difficile Horatius dicit, ideoque suadet personas jam cognitas adhiberi.

Digitized by Google

dictionnaires donnent à *communiter*; c'est ainsi que je l'ai traduit dans l'interprétation interlinéaire que je vous ai envoyée de cette oraison de Cicéron.

Quintilien est plus précis (Inst. Or. l. VII, cap. I.): *Non dissimile huic est illud præceptum ut a* communibus *ad* propria *veniamus. Fere enim* communia *generalia sunt.* Commune *est, tyrannum occidit;* proprium, *Viriatum tyrannum occidit.*

« C'est encore un autre précepte approchant de celui dont nous « venons de parler, qu'il faut passer des propositions communes « aux propres; par *communes*, dit-il, on entend presque toujours « *générales*. Il a tué un tyran, voilà une proposition *commune*, « c'est-à-dire *vague*, *indeterminée*. Il a tué Viriate, voilà une pro- « position *propre*, c'est-à-dire *singulière*, *déterminée*. »

Vers la fin du siècle passé, le sens de ces paroles d'Horace partagea l'académie, et donna lieu à un procès par écrit entre M. Dacier et M. le marquis de Sévigné, fils de l'illustre dame dont nous admirons les lettres. Je dis *un procès*, parce que ces messieurs trouvèrent à propos d'intituler leurs écrits *Factum*, *contredits*. Ces écrits furent imprimés à Paris, chez Girin, en 1698, sous le titre de *Dissertation critique sur l'Art poétique d'Horace*. On ne trouve aujourd'hui cette dissertation que dans le cabinet de quelques curieux. C'est cette dissertation que M. Dacier a en vue, lorsque dans ses notes sur le passage en question, après avoir traité d'*absurde* le sentiment différent du sien, il ajoute: *Comme je l'ai prouvé ailleurs.*

Voici, en peu de mots, le sentiment de chacune des deux parties.

La plupart des commentateurs font dire, comme nous, à Horace: *Il est difficile de faire telle chose,* DIFFICILE EST; *ainsi ne la faites pas; vous ferez mieux de faire autrement,* TUQUE RECTIUS; mais M. de Sévigné, qui avait des sentimens héroïques, lui fait dire: *Il est difficile de faire telle chose, ainsi faites-la;* surmontez, bravez les difficultés.

« Un poète qui aura inventé son sujet, fera une bonne tragédie, « dit M. de Sévigné, pourvu qu'il observe bien les caractères; « mais il en fera une meilleure, s'il choisit un sujet *connu*, *com-* « *mun*, et si *commun* que presque personne ne l'ignore; par « exemple, quelque action éclatante de la guerre de Troie.

« J'avoue qu'il est difficile de traiter ce sujet commun et rebat-

Digitized by Google

« tu, *communia*, d'une manière nouvelle qui donne de la curiosité « et de l'attention aux spectateurs, *propriè ;* mais c'est le but où « vous devez aspirer. »

Voilà le sentiment de M. de Sévigné, où vous voyez que par *communia* il entend *connu, ce que personne n'ignore.*

Selon M. Dacier, *communia* ne veut pas dire *connu ;* au contraire, il veut dire *inconnu, nouveau, que tout le monde a droit d'inventer, mais qui n'est encore que dans les espaces imaginaires, iusqu'à ce qu'un premier occupant s'en empare.*

« Ces caractères nouveaux, *communia*, sont difficiles, dit M. Da- « cier ; il faut donc les éviter, et avoir recours aux caractères con- « nus, et par conséquent vous ferez mieux de les prendre dans « Homère. »

M. Dacier me paraît abuser de l'autorité des jurisconsultes, quand il dit, dans ses *contredits*, que *les jurisconsultes ne donnent point d'autre sens que lui à* communia. Mais ce que les jurisconsultes appellent *res communes*, telles que *l'air, l'eau des rivières, la mer, le rivage de la mer*, ne sont point des choses nouvelles, ni des êtres de raison que chacun peut inventer ; ce sont des êtres très anciens, très réels et très connus, qui sont à l'usage de tout le monde. Je retrouve là l'idée que j'ai de *commun*, que *commun* signifie *inconnu, nouveau, nouvellement inventé ou qui peut l'être.* J'avoue que cette interprétation, quoique presque généralement suivie, m'a paru bien forcée et bien étrange ; je n'ose dire *absurde*, quoique M. Dacier appelle ainsi le sentiment contraire au sien.

Le P. Sanadon traduit : « Il n'est pas aisé de traiter d'une ma- « nière peu commune des sujets communs, et que tout le monde « peut tirer de son fonds ; vous ferez mieux d'en prendre dans « l'Iliade que d'en imaginer qui n'aient été traités de personne. »

Et dans la note, page 579, le P. Sanadon dit qu'*Horace appelle communs des sujets nouveaux, inventés et inconnus.* De sorte que, dans cette phrase, *il n'est pas aisé de traiter d'une manière peu commune des sujets communs ; commune* veut dire le contraire de *commun ;* car *une manière peu commune*, c'est une manière *peu ordinaire, peu usitée, peu connue, peu triviale ;* et *commun*, selon la note, signifie *nouveau, inventé, inconnu :* de sorte que si l'on donnait à *commune* le même nom que la note donne à *commun*, et que l'on dit d'une *manière peu commune*, c'est-à-dire *peu*

Digitized by Google

nouvelle, peu inconnue, on ferait dire à l'auteur le contraire de ce qu'il a entendu par *commune*, quoique ce soit ce qu'il a entendu par *commun*.

Mais revenons à nos plaideurs. M. de Sévigné mit les rieurs de son côté par la légèreté de son style, et par le ridicule qu'il jeta sur M. Dacier par des traits dont je vous amuserais volontiers, si cette lettre n'était déjà trop longue : M. Dacier, de son côté, crut avoir accablé son adversaire de raisons et d'autorités; de sorte qu'il arriva dans cette occasion ce qui n'est que trop ordinaire, c'est qu'après avoir bien écrit et bien disputé, et cela de bonne foi de part et d'autre, chacun persista dans son sentiment, et crut avoir triomphé de son adversaire.

L'un et l'autre avait assez d'esprit pour voir que le sentiment qu'il combattait n'était pas le véritable. M. de Sévigné avait raison quand il soutenait que M. Dacier avait tort, et M. Dacier prétendait avec justice que M. de Sévigné n'avait pas raison; mais ni l'un ni l'autre ne sentit qu'il n'avait pas lui-même saisi le vrai. Il est aisé de voir que les autres ont tort: il est plus rare, je ne dis pas de convenir, ce serait peut-être trop exiger, mais du moins de sentir qu'on a tort aussi soi-même. On croit avoir raison, parce qu'on sent qu'on est persuadé. Peu de personnes ont assez d'étendue d'esprit pour aller au-delà, et remonter, sans trouble et de bonne foi, au motif et à la cause de leur persuasion. La brute, le sauvage, qui voit un homme dans un miroir, est persuadé qu'il y a là un homme; mais le philosophe n'y reconnaît que des rayons réfléchis. »

Excursus IX, vers. 157.

Mobilibusque decor naturis dandus et annis.

Ego vero quænam illæ sint *mobiles naturæ*, parum intelligo : « Ætatis cujusque notandi sunt tibi mores, Mobilibusque decor naturis dandus, et annis. » Quippe variæ hominum naturæ, unde fit, ut alii aliis iracundiores, audaciores, tardiores simus, adeo non sunt *mobiles*, hoc est, facile mutabiles; ut nulla quidem industria possint mutari. Eleganter Lucret. III, 308: « Sic hominum genus est: quamvis doctrina politos Constituat pariter quosdam, tamen illa

Digitized by Google

relinquit *Naturæ* cujusque animi vestigia prima. Nec radicitus evelli mala posse putandum est; Quia proclivius hic iras decurrat in acres, Ille metu citius paullo tentetur; at ille Tertius accipiat quædam clementius æquo. Inque aliis rebus multis differre necesse est *Naturas* hominum varias, moresque sequaces. » Vides naturarum singularum vestigia, nulla doctrina nec institutione penitus deleri posse; tantum abest, ut *mobiles* sint et se ipsæ identidem mutent. Ovidius, Epist. Hypermnestræ, v. 55: « Femina sum et virgo, *natura* mitis et *annis*: Non faciunt molles ad fera tela manus. » Mitis annis, quia *virgo*; mitis natura, quia *femina*: ut non magis natura, quam ipse sexus sit mobilis. Infinita sunt apud Philosophos, Ciceronem præsertim, huc facientia; unde scias naturas et ingenia per totam vitam manere, studia et cupiditates pro ætate variare. Quorsum igitur *Naturæ* hic apud Nostrum, ubi varies tantum *ætatum mores* commemorat? Phidippus senex, Terent. Hec. II, 2: « Aliud fortasse alii vitii est: ego sum *animo leni natus*; Non possum adversari meis. » Antipho adolescens, demissus et timidus: Phorm. I, 4: « Non sum apud me: Non possum immutarier. » Ea Phidippo lenitas, Antiphoni timiditas a *natura* erat. An tu omnes ideo senes in scenam indaxeris *lenes* et obsequentes? juvenes autem, *modestos* et meticulosos? Immo hoc ipso in loco præcipit Noster, ut *difficiles, queruli* inducantur senes, juvenes autem *sublimes, cupidi*, feroces. « Ostendit Antipho, ait Donatus, *naturæ* suæ timiditatem nullis adhortationibus ejici posse. » Vides jam aliud esse vitium *ætatis*, aliud *naturæ*; et tam falso *naturas mobiles* hic dici, quam inepte cum *annis* et *ætatum moribus* conjungi. Et sensisse quidem hæc incommoda videntur sagaciores Interpretum; dum sollicite quærunt et respondent, quid hic *Naturæ* sibi velint. At Cl. Dacierius ita nulla hic difficultate offensus est, ut *bellum esse versum* exclamet, *Naturas* autem hic esse *Ætates*. Belle sane: tu tamen, si me audis, hoc bellum admiratori suo relinque, et sic ocius repone: « Ætatis cujusque notandi sunt tibi mores; Mobilibusque decor, *maturis* dandus et annis. » *Maturis annis*, hoc est, seniorum, *Mobilibus*, hoc est, juniorum, suus quibusque decor tribuendus est: quod quomodo fiat, per singulos ætatum gradus fuse mox persequitur. *Maturi*, inquam, anni sunt seniles et viriles. Noster supra v. 115: « *Maturusne senex*, an adhuc florente juventa Fervidus. » Et Carm. IV, 4: « Natosque

Digitized by Google

maturosque patres. » Virgil. Æn. V, 73 : « Hoc Helymus facit, hoc *ævi maturus* Acestes. » Ovid. Met. VIII, 617 : « .... Lelex animo *maturus* et *ævo.* » XIV, 617 : « ..... Remulus *maturior annis.* » XV, 210 : « Excipit Autumnus, posito fervore juventæ *Maturus* mitisque inter juvenemque senemque. » Tacitus, Ann. I, 4 : « Tiberium Neronem, *maturum annis*, spectatum bello. » Sic matura ætas, maturitas ætatis, matura senectus, passim. » Cicero de Senectute, c. 10 : « Sua cuique parti ætatis tempestivitas est data : ut et infirmitas puerorum, et ferocitas juvenum, et gravitas *jam constantis* ætatis, et senectutis *maturitas* naturale quiddam habeat, quod suo tempore percipi debeat. » Ubi obiter nota illud *Constantis ætatis ;* ut et infra, c. 20 : « Sunt et ineuntis adolescentiæ studia ; num ea *constans* jam requirit *ætas,* quæ *media* dicitur ? sunt etiam hujus ætatis : ne ea quidem quæruntur a senectute. » Inde enim discas, quæ et quamobrem *mobilis ætas* dicatur : *constans* enim et *mobilis* sunt Opposita. Cicero pro Q. Roscio, c. 16 : « Venit ad Cluvium : quem hominem ? levem ? immo gravissimum : *mobilem ?* immo *constantissimum :* familiarem ? immo alienissimum. » Ergo ut *maturi anni* constantem et senilem ætatem, ita *mobiles* puerilem juvenilemque denotant. Virg. Georg. III, 165 : « Jam vitulos hortare, viamque insiste domandi, Dum faciles animi *juvenum,* dum *mobilis ætas.* » Atque hanc equidem emendationem jam olim ex conjectura feceram ; postea vero nactus Vigorniensem codicem, ut vidi, ut delectatus sum, quum interlinea sibi pro varia lectione adscriptum reperi, aliter *maturis.* Codici igitur huic fidem habeat, qui argumentis et rationibus duci non potest. Quin et olim inter Scholiastas erant, qui sic legerent, ut ex laceris illis reliquiis divinare possis. Enarrator Cruquianus : *Naturis,* aliud enim *puerum* decet, aliud *adolescentem*, aliud *maturum senem.* Acron : *Puero, adolescenti, et maturo seni* (sic MS. non sene) τὸ πρέπον, *id est, decorum cuique proprium tribuendum est.* Profecto qui hæc commentati sunt, non *naturis,* sed *maturis* interpretari jure videantur. Jam autem præter sententiæ virtutem, etiam compositionem hoc pacto dulciorem et nitidiorem esse, qui aurem purgatam habet, facile agnoscet.

Dilator, spe longus, iners, aviausque futuri.

Quid illud *spe longus* hic sibi velit, anxie quærunt, neque se

Digitized by Google

expediunt Interpretes. Experiamur et nos, si majorem forte lucem obscurissimæ dictioni possimus affundere. Principio illud pro comperto habendum est, in his ætatum characteribus, ut Aristotelem Naturæ, ita Nostrum Aristotelis vestigiis institisse. Is igitur Rhet. II, 13, *senes* δυσέλπιδας esse tradit, hoc est, *desperantes, vix et tarde et tenuiter sperantes*; idque quum ob *experientiam*, quod pleraque in vita male cecidisse meminerunt, tum ob *tiniditatem*. Idem senectutis vitium et Cicero perstringit, Epist. ad Fam. II, 16: « Recordor enim *desperationes* eorum, qui *senes* erant, adolescente me. Eos ego fortasse nunc imitor, et utor *ætatis vitio*. » *Spe longus* itaque idem apud Nostrum notare debet, quod apud Græcum δύσελπις; id vero qui fieri possit, aut non contrarium potius significet, haud ita manifestum est. Phrasi quidem hac *spe longus* nemo quisquam, qui hodie exstant, veterum usquam est usus: id tamen quodammodo aut pæne certo quid sibi velit scire possumus, si *spes longa* quæ sit, semel rescierimus. Noster, Carm. I, 4: « Vitæ summa brevis *spem* nos vetat inchoare *longam*. Jam te premet nox, fabulæque Manes. » et I, 11: « .... sapias, vina liques, et spatio brevi *Spem longam* reseces: dum loquimur, fugerit invida Ætas. » Seneca, Epist. XXII: « Facile est occupationes evadere; si occupationum præmia contemseris: illa sunt, quæ nos morantur et detinent. Quid ergo? tam *longas spes* relinquam? ab ipsa messe discedam? » Idem alibi: « O dementiam in brevi ætate *spes longas* inchoantium? » Sic Ἐλπίδες μακραὶ Plutarcho, Περὶ τῆς εἰς ἔκγονα φιλίας, p. 881, de muliere infantem alente: Τίνων ταῦτα μισθῶν ἢ χρειῶν ἐκείνοις; ἀλλ' οὐδὲ τοῖς νῦν· αἱ γὰρ ἐλπίδες ἄδηλοι καὶ μακραί. Statius Theb. II, 321: « .... exedêre animum dolor iraque demens, Et qua non gravior mortalibus addita cura, *Spes* ubi *longa* venit. » et I, 322, eleganter; « .... *spes* anxia mentem Extrahit, et *longo* tendit præcordia voto. » Juvenalis, I, 133: « Vestibulis abeunt veteres lassique clientes, Votaque deponunt: quamquam *longissima* cœnæ *Spes* homini: caulis miseris atque ignis emendus. » Sallustius apud Servium: *Et Metello procul agente* longa spes *auxiliorum*. In his omnibus locis *spes longa* eadem est quæ *sera*, *longinqua*, quæ in longinquum extenditur. Tacitus, Annal. XIII, 37: « Posse illi regnum stabile contingere, si omissa *spe longinqua et sera*, *præsentem* potioremque sequeretur. » Livius, V, 6: « Insuescere militem nostrum, non solum parata victoria frui; sed, si res etiam

Digitized by Google

lentior sit, pati tædium, et quamvis *seræ spei* exitum exspectare. » Statius, Silv. II, 1, v. 52 : « O ubi venturæ *spes non longinqua* juventæ? » et Theb. XII, 339 : « .... gratum est fortuna : peracta est *Spes longinqua* viæ. » Quamobrem, si *spe longus* (id quod ne dubitandum quidem est) is demum recte dicitur, qui *spes longas*, longinquas, seras solet concipere; minime omnium hoc senibus competit, qui in extremo vitæ curriculo non nisi *præsentes* et propinquas audent assumere. *Spe longus* igitur alterius ætatis vitium notabit, minime senilis. Virgil. de juvene, X, 547 : « Dixerat ille aliquid magnum, vimque adfore verbo Crediderat, cæloque animum fortasse ferebat; Canitiemque sibi et *longos* promiserat annos. » At senibus contra spes curtæ brevesque sunt, in certæ et necessariæ mortis confinio positis : « ἐλπὶς γὰρ τοῦ μέλλοντός ἐστι, τὸ δὲ τοῦ βίου τοῦ τῶν γερόντων τὸ μέλλον ὀλίγον, ait Græcus; *Spes siquidem futuri est; at in vita* senum *quod futurum est, parvum est.* Ubi nunc sunt, qui imperiose jubent *spe longus* δύσελπις accipere? sententia quidem hoc et natura ipsa jubet; verba vero refragantur et reclamant, immo contraria prorsus sunt; quum, ut satis jam vidimus, *spe longi* juvenes merito dicendi erunt, senes autem *spe breves.* Quid ergo? Hoccine ut Horatio credamus excidere potuisse? Tentandum certe aliquid est, si forte damnatum hominem et sub furca cædendum calumnia periculoque liberemus. Id quidem in propatulo est, *longus* et *lentus* passim a Librariis permutari solere. Noster, ut vulgo nunc fertur, Epist. I, v. 21 : *Dies longa;* sed ibi Barthii codex *lenta* præfert. Ovid. Fast. II, 722, *lentas moras;* ubi alii codices *longas.* Trist. IV, 1, v. 86, *Tempora lenta;* sed plures ibi membranæ *longa.* In Claudiani loco, Prob. et Olyb. 65 : « .... et *longo* tendit præcordia voto : » sunt ibi, quæ *lento* exhibent, teste Heinsio : et pari modo variatum est in scriptis quibuscumque. Tu igitur, si Horatio faves, idem hic facinus admissum crede, et sic mecum restitue : « Dilator, spe *lentus,* iners, avidusque futuri. » *Lentus* siquidem tardus est, et *spe lentus* recte dicetur δύσελπις, qui tarde, ægre, difficulter ad spem erigi potest. Et *lenta* quidem *spes* utrumque significat, et *longam spem* et *tardam*, et quæ longe porrigitur, et quæ dinturna mora trahitur, et quæ tarde assumitur, et quæ timide fovetur. Livius, V, 5 : « Brevis enim profecto res est, si uno tenore peragitur; nec ipsi per intermissiones has intervallaque *lentiorem spem* nostram facimus. »

Digitized by Google

Idem, VI, 8 : « Quæ postquam nulla eruptione impediri videt; minus esse animi ratus in hoste, quam ut in eo tam *lentæ spei* victoriam exspectaret. » Idem, XXX, 28 : « Quum assuessent per aliquot annos bellum ante oculos aliis atque aliis Italiæ partibus *lenta spe* in nullum propinquum debellandi finem gerere. » Ovid. Her. II, 9 : « *Spes* quoque *lenta* fuit: tarde quæ credita lædunt, Credimus: invita nunc et amante nocent. » In his locis *spes lenta* est, quæ longa mora extrahitur : at alibi est, quæ lente, segniter, et cunctanter inchoatur. Idem Heroid. XVII, 107, ubi Helena Paridi : « Si te vidissem, primus de mille fuisses. Judicio veniam vir dabit ipse meo. Ad possessa venis præceptaque gaudia *serus*. *Spes* tua *lenta* fuit; quod petis, alter habet. » Ubi palam est, *spem lentam* esse, aut quæ sero nimis et tarde incœpta est, aut quæ timide frigideque nutrita ; ut sit aut *Priusquam* tu tardus spem mei aliquam cepisti, aut *Dum* dubitas, cunctaris, et cessas, alius te prævenit, et me uxorem duxit. Utrovis autem sensu, sive potius utroque, *spe lentus* erit δύσελπις, et ad senes pertinebit; qui et *tarde*, et *timide* sperant omnia. *Lentus spe*, casu auferendi, vel *Lentus spei* casu patrio; *spe* enim, ne id forte nescias, genitivi casus poterit esse, ut alibi apud Nostrum *Constantis fide*, et sic apud alios. Silius Italicus, III, 136 : « Dum *lentus cæpti* terra cunctaris Ibera. » Ita *Pronus spei*, Apul. Metam. III, et VIII. Ita *felix operum*, *lætus laborum*, et alia id genus poetis frequentissima. Verbo ut dicam, *Lentus spe* erit et tardus, et timidus ; *Longus* vero neutrum. — Ibidem v. 172. *Iners, avidusque futuri.* Nondum nobis concessum est, pedem hinc proferre : quid enim illud obsecro est? « Dilator, spe lentus, iners *avidusque* futuri. » Interpretes quidem tam veteres quam novi, *futuri avidum* vitæ cupidum accipiunt, ut idem sit quod Aristoteles dixerat, φιλόζωοι, καὶ μάλιστα ἐπὶ τῇ τελευταίᾳ ἡμέρᾳ, *senes vitæ appetentes, et præsertim sub supremo vitæ die* ; atque hoc dicto probe et egregie rem explicuisse se arbitrantur. Atqui, o boni, unde nobis *futuri* perinde erit ac *vitæ*? Certe qui *avidus futuri* est, et odit præsentia, et sperat in posterum meliora. An igitur *supremo die* senex est futurorum cupidus, quum mors adest præ foribus, et januam pulsat? quomodo igitur φιλόζωος? an ideo futuri cupidus, quia crastina semper meliora sperat? quomodo ergo δύσελπις? Hæc inepta sunt et plane ἀσύστατα. Ego vero jam olim vidi legendum : « Dilator,

Digitized by Google

spe lentus, iners, *pavidusque* futuri. » postea in eximio codice Reginensi literam unam animadverti ante τὸ *avidus* jam erasam esse; quæ nulla alia præterquam *p* esse potuit. Noster, Serm. II, 2, v. 110 : « An qui contentus parvo, *metuensque futuri*, In pace ut sapiens, aptarit idonea bello. » Evander senex apud Virgilium, VIII, 580 : « Dum curæ ambiguæ, dum *spes incerta futuri*. » Lucretius, III, 847, de anima loquens : « Præter enim quam quod morbis cum corporis ægret, Advenit id quod eam *de rebus* sæpe *futuris* Macerat, inque *metu* male habet, *curisque* fatigat. » Ovid. Metam. VI, 137 : « .... ne sis *secura futuri*. » IX, 423 : « .... Venerem quoque *cura futuri* Tangit. » et XIII, 363 : « Tu vires sine mente geris; mihi *cura futuri* est. » Noster, Serm. I, 1, 35 : « ....haud ignara ac *non incauta futuri*. » Omnia hæc, ut vides, ad curam et metum futuri spectant. *Pavidus* ergo *futuri*, id ipsum quod Aristoteles de Senibus tradit, δειλοὶ καὶ πάντα προφοβητικοὶ, *meticulosi et de omnibus futuris paventes*. Attende autem, ut pulchre jam omnia sibi conveniant, et eodem colliment : *dilator, lentus spe, iners, futuri pavidus* : nempe hic habes, cunctationem, segnitiem, timiditatem, desperationem, propinqua et cognata vitia. At illa quam incommode conjunguntur, *iners* et *avidus*? siquidem inertis est nihil cupere. Postrema ipsa, ni falkor, dictio a natura et sensu abhorret : *Avidus futurorum* fortasse dici potest, qui rerum novarum cupidus est, cui præsentia displicent, aut in fastidio sunt : at *avidus futuri*, ubi *temporis*, opinor, subauditur, nemo hominum aut fuit, aut dictus est. Quod si idem esse *futuri* ac *futuroram* contenderis; at non ætatis demum id vitium erit, verum indolis aut conditionis : neque senibus magis, immo minus conveniet, quam natu minoribus.... Sequuntur imitationes Gallicæ.

BOILEAU,

Art Poétique, chant III, vers 373.

Le temps qui change tout, change aussi nos humeurs.
Chaque âge a ses plaisirs, son esprit et ses mœurs.
Un jeune homme, toujours bouillant dans ses caprices,
Est prompt à recevoir l'impression des vices,
Est vain dans ses discours, volage en ses désirs,
Rétif à la censure, et fou dans les plaisirs.

Digitized by Google

L'âge viril, plus mûr, inspire un air plus sage,
Se pousse auprès des grands, s'intrigue, se ménage,
Contre les coups du sort cherche à se maintenir,
Et loin dans le présent, regarde l'avenir.
La vieillesse chagrine incessamment amasse,
Garde, non pas pour soi, les trésors qu'elle entasse;
Marche en tous ses desseins d'un pas lent et glacé;
Toujours plaint le présent, et vante le passé:
Inhabile aux plaisirs dont la jeunesse abuse,
Blâme en eux les douceurs que l'âge lui refuse.
Ne faites point parler vos acteurs au hasard,
Un vieillard en jeune homme, un jeune homme en vieillard.

N. B. Boileau ne décrit ici que les mœurs et les caractères des trois âges de l'homme, l'adolescence, l'âge viril, et la vieillesse. Je pense qu'il a omis à dessein la peinture de l'enfance, parce qu'il est très rare de faire parler un enfant sur la scène; et si l'abbé *Delille*, à l'exemple d'Horace, commence par ce tableau de nos premières années, ce n'est pas qu'il le considère, comme ce grand maître, sous le rapport dramatique : mais c'est qu'il entrait dans le plan de son poëme de prouver que les plaisirs de l'*imagination* appartiennent à tous les âges, ainsi qu'à toutes les situations de la vie. Ed.

LES QUATRE AGES.

(Delille, *Imagination*, chant VI, v. 24.)

Sans soin du lendemain, sans regrets de la veille,
L'enfant joue et s'endort, pour jouer se réveille;
Trop faible encor, son cœur ne saurait soutenir
Le passé, le présent et l'immense avenir.
A peine au présent seul son ame peut suffire;
Le présent seul est tout: un coin est son empire,
Un hochet son trésor, un point l'immensité,
Le soir son avenir, un jour l'éternité.
Mais l'homme tout entier est caché dans l'enfance;
Ainsi le faible gland renferme un chêne immense.
Par l'ardeur de ses sens le jeune homme emporté,
Dévore le présent avec avidité,

Digitized by Google

Mais il ne peut fixer sa course vagabonde ;
Plein des brûlans transports dont son cœur surabonde,
Il déborde, pareil à l'élément fumeux
Qui croît, monte, et répand ses bouillons écumeux ;
Devance l'avenir, entend de loin la gloire,
Appelle à lui les arts, les plaisirs, la victoire,
Rêve de longs succès, rêve de longs amours,
Et d'une trame d'or file en riant ses jours.
Age aimable ! âge heureux ! ton plus bel apanage
Ce n'est donc point l'amour, la beauté, le courage,
Et la gloire si belle, et les plaisirs si doux ;
Non, tu sais espérer ; ce trésor les vaut tous.
L'âge mûr à son tour, solstice de la vie,
S'arrête, et sur lui-même un instant se replie,
Et tantôt en arrière, et tantôt devant soi,
Se tourne sans regret, ou marche sans effroi.
Ce n'est plus l'homme en fleurs, nous faisant des promesses ;
C'est l'homme en plein rapport, déployant ses richesses ;
Ses esprits ont calmé leurs bouillons trop ardens ;
Sa prudence est active et ses transports prudens ;
Ses conseils sont nos biens, sa sagesse est la nôtre ;
La moitié de sa vie est la leçon de l'autre,
Et sur le temps passé mesurant l'avenir,
Prévoir, pour sa raison, n'est que se souvenir.
Hélas ! telle n'est point la vieillesse cruelle ;
Elle n'attend plus rien ; on n'attend plus rien d'elle.
Si la raison encor lui permet de prévoir,
C'est des yeux de la crainte et non plus de l'espoir.
Voyez ce chêne antique ! en son âge encor tendre,
Dans les champs paternels il aimait à s'étendre ;
Chaque jour, plus robuste et plus audacieux,
Il plongeait dans la terre, et s'élançait aux cieux ;
Mais quand l'âge a durci sa racine débile,
Dans la terre marâtre il languit immobile :
Et voilà la vieillesse ! Adieu les grands desseins ;
Adieu l'amour, les vœux, l'hommage des humains !
Pour le soleil couchant il n'est point d'idolâtre ;
Déplacé sur la scène, il descend du théâtre ;
Alors n'attendant rien ni du temps, ni d'autrui,
Il revient au présent, se ramène sur lui.
Que dis-je ? le présent est un tourment lui-même.
Il se rejette donc sur le passé qu'il aime ;

Digitized by Google

Il cherche à consoler, par un doux souvenir,
Et la douleur présente et les maux à venir;
Et même lorsqu'il touche à l'extrême vieillesse,
Quelqu'ombre de bonheur charme encor sa faiblesse;
Du festin de la vie, où l'admirent les dieux,
Ayant goûté long-temps les mets délicieux,
Convive satisfait, sans regret, sans envie,
S'il ne vit pas, du moins il assiste à la vie.
Ce qu'il fit autrefois, il le voit aujourd'hui,
Et le présent lui-même est le passé pour lui.

Bossuet, le sublime Bossuet, que j'ai souvent cité dans les notes de cette collection, a peint à sa manière l'adolescence et la vieillesse : je ne peux résister au plaisir de le mettre en comparaison avec Horace, Boileau et Delille, parce que ce passage, tiré de l'un de ses sermons, n'est pas aussi connu qu'il mérite de l'être; parce que le génie, quel que soit son langage, est toujours le génie. (Voyez les Œuvres choisies de Bossuet, tome IX, page 330. Paris, 1821.) Il parle de *saint Bernard*, qui renonce au monde à l'âge de vingt-deux ans, lorsque la naissance, l'esprit, les richesses lui promettaient l'avenir le plus brillant aux yeux de l'homme : *hæc est victoria, quæ vincit mundum!* Ed.

« Vous dirai-je en ce lieu ce que c'est qu'un jeune homme de vingt-deux ans? Quelle ardeur, quelle impatience, quelle impétuosité de désirs! Cette force, cette vigueur, ce sang chaud et bouillant, semblable à un vin fumeux, ne lui permet rien de rassis et de modéré. Dans les âges suivans on commence à prendre son pli; les passions s'appliquent à quelques objets, et alors celle qui domine ralentit du moins la fureur des autres : au lieu que cette verte jeunesse n'ayant rien encore de fixe ni d'arrêté, en cela même qu'elle n'a point de passion dominante par-dessus les autres, elle est emportée, elle est agitée tour à tour de toutes les tempêtes des passions avec une incroyable violence. Là, les folles amours; là, le luxe, l'ambition et le vain désir de paraître, exercent leur empire sans résistance. Tout s'y fait par une chaleur inconsidérée; et comment accoutumer à la règle, à la solitude, à la discipline, cet âge qui ne se plaît que dans le mouvement et dans le désordre, qui n'est presque jamais dans une action composée, « et qui n'a

Digitized by Google

honte que de la modération et de la pudeur ?» *Et pudet non esse impudentem.* (Saint August. Conf. l. II, cap. 9.)

Certes, quand nous nous voyons penchans sur le retour de notre âge, que nous comptons déjà une longue suite de nos ans écoulés, que nos forces diminuent, et que le passé occupant la partie la plus considérable de notre vie, nous ne tenons plus au monde que par un avenir incertain, ah! le présent ne nous touche plus guère. Mais la jeunesse qui ne songe pas que rien lui soit encore échappé, qui sent sa vigueur entière et présente, ne songe aussi qu'au présent, et y attache toutes ses pensées. Dites-moi, je vous prie, celui qui croit avoir le présent tellement à soi, quand est-ce qu'il s'adonnera aux pensées sérieuses de l'avenir ? Quelle apparence de quitter le monde, dans un âge où il ne présente rien que d'agréable? Nous voyons toutes choses selon la disposition où nous sommes : de sorte que la jeunesse, qui semble n'être formée que pour la joie et pour les plaisirs, ah! elle ne trouve rien de fâcheux, tout lui rit, tout lui applaudit. Elle n'a point encore d'expérience des maux du monde, ni des traverses qui nous arrivent : de là vient qu'elle s'imagine qu'il n'y a point de dégoût, de disgrace pour elle. Comme elle se sent forte et vigoureuse, elle bannit la crainte, et tend les voiles de toutes parts à l'espérance qui l'enfle et qui la conduit.

Vous le savez, de toutes les passions la plus charmante, c'est l'espérance : c'est elle qui nous entretient, qui nous nourrit, qui adoucit toutes les amertumes de la vie; et souvent nous quitterions des biens effectifs, plutôt que de renoncer à nos espérances. Mais la jeunesse téméraire et malavisée, qui présume toujours beaucoup, à cause qu'elle a peu expérimenté, ne voyant point de difficultés dans les choses, c'est là que l'espérance est la plus véhémente et la plus hardie : si bien que les jeunes gens, enivrés de leurs espérances, croient tenir tout ce qu'ils poursuivent; toutes leurs imaginations leur paraissent des réalités. Ravis d'une certaine douceur de leurs prétentions infinies, ils s'imagineraient perdre infiniment, s'ils se départaient de leurs grands desseins; surtout les personnes de condition, qui, étant élevées dans un certain esprit de grandeur, et bâtissant toujours sur les honneurs de leurs maisons et de leurs ancêtres, se persuadent facilement qu'il n'y a rien à quoi elles ne puissent prétendre. »

Digitized by Google

Excursus X, vers. 197.

Et regat iratos, et amet peccare timentes.

Sic quidem editiones omnes, sed, aut valde fallimur, aut gemino mendo laborat locus hic de Choro : « Ille bonis faveatque et consilietur amice, Et regat iratos, et amet *peccare timentes:* Ille dapes laudet mensæ brevis, ille salubrem Justitiam legesque, et apertis otia portis. » Qui Græcos Tragicos et Senecam versaverunt, nihil in his hærebunt, quantum ad rem attinet: est vero quod in dictione jure vituperemus. Quinam enim illi sunt *peccare timentes?* non a bonis, opinor, diversi sunt. At jam dixerat *faveat bonis,* quod aut idem, aut plus est, quam *amet bonos.* Quid igitur novi ad sententiam hæc conferunt? Noster, Epist. I, 16, v. 52 : « Oderunt peccare boni, virtutis amore : Tu nihil admittes in te, formidine pœnæ. » Ubi boni, ut vides, *oderunt peccare :* prava vero et servilia ingenia *timent peccare :* illos *amor virtutis* retinet, hos *pœnæ formido* coercet. Quid ergo? Jubesne ut hos chorus amet et laudet? Quid, quod ipsum illud *Amet* nimis inops et languidum videtur; neque attingit ad felicitatem Horatianam. Præcipit enim, quid chorus dicat, non quid sentiat; quid laudet, cui faveat et consilium det, non quem *amet:* quod, quum intra pectus versetur, nihil ad spectatores attinet. Facessant igitur hæc; et meliora illa reponantur, « Et regat iratos, et amet *pacare tumentes.* » *Pacare* Manuscripti aliquot Statii, untusque Cruquii exhibet: Grævianus *Pecare,* prope verum. At Pulmanni liber utrumque præfert, *Pacare tumentes.* Regat, inquit, iratos, et *amet,* sive soleat, tumentes lenire, *pacare,* sive *placare;* nam hæc unum fere idemque sunt, et variant plerumque codices scripti. Noster, Serm. II, 8, 5 : « Quæ prima *iratum* ventrem *placaverit* esca. » ubi quinque ex nostris *placaverit* esca habent, septem *pacaverit.* Virgil. Æneid. lib. I, vs. 142 : « Sic ait, et dicto citius *tumida* æquora *placat.* » Claudianus, lib. IV, Cons. Honor. v. 225, de Virtute : « Hanc tamen haud quisquam, qui non agnoverit ante Semet, et incertos animi *pacaverit æstus,* Inveniet. » Recte vero *Irati* et *Tumentes* junguntur. Virgil. VIII, 40 : Nec belli terrere minis, *tumor* omnis et *iræ* Concessere deûm. » ubi vett. edd. male

Digitized by Google

timor. Expressit hic Virgilium Statius, Theb. V, 422, de Minyis Lemnum advenientibus : « Eminus abrupto quatiunt nova litora saltu, Maguorum decora alta patrum, jam fronte sereni, Noscendique habitu, postquam *tumor iraque* cessit Vultibus. » Ita legendum, non *timor*, quod et editi, et quatuor nostri codices exhibent. Virgilius, VI, 407, de Charonte : « *tumida* ex *irâ* tum corda residunt. » Et ibidem, 48, de Sibylla : « Sed pectus anhelum, Et *rabie* fera corda *tument*. » Noster supra, v. 94 : « *Iratusque* Chiremes *tumido* delitigat ore. » Seneca, in Thyeste, 519 : « Ponatur omnis *ira*, et ex animo *tumor* Erasus abeat : » et Phœniss. 352 : « *Tumet* animus *ira*, fervet immensum dolor. » Capitolinus in Pertinac. c. 11 : « Sed quum unus e Tungris *in iram et tumorem* milites loquendo adduxisset. » Ita recte emendavit Salmasius, quum vulgo esset *timorem*. Livius, XXXI, 8 : « Multis in Italia contactis gentibus Punici belli societate, *iraque* inde *tumentibus*. » Lactantius, de Ira Dei, c. 18 : « Dedisset *iræ* spatium, ut residente per intervallum temporis *animi tumore*, haberet modum castigatio. » Arnobius, lib. I : « Nullus *tumor indignationis* in diis est. » Quintilianus, Declam. XIII : « Etiamsi diversis regibus (*apum*) coorta seditio ad bellum inflammavit *iras*, exiguo pulvere vel unius pœna ducis resedit omnis *tumor*. » Seneca, de Ira, lib. III, cap. 2 : « Rabies infanda civitatem tulit; nec datum tempus quo resideret *tumor* publicus. » Statius, Thebaid. lib. IX, vs. 76, de Polynice manus sibi illaturo : « ..... exuerat vagina turbidus ensem, Aptabatque neci : comites tenuere, socerque Castigat, bellique vices ac fata revolvens, *Solatur tumidum*. » Ubi *solari tumidum* plane idem est ac *pacare tumentem* : et, ut iterum discas quam proclive esset librariis locum hunc Flacci interpolare, codex Statii Petrensis *timidum* nobis et hic obtrudit. Jure igitur, opinor, lectionem hanc adscivimus : quam ne forte incuses ut nimis prope ad *iratos* accedentem, et bis fere idem dicentem (etsi et hoc inique feceris), scias *tunentes* hic non *ira* modo, sed dolore ac quavis recenti animi commotione recte accipi; immo ubi varius et mixtus est æstus irascentis, dolentis, pudentis, dedignantis : ubi, ut in Turno Mezentioque, Æn. X, 871, « æstuat ingens Uno in corde pudor, mixtoque insania luctu. » Ita *tumor* de dolore et luctu Cicero, Tuscul. III, 12 : « Et quidem inveterato malo, quum *tumor animi* resedisset. » Et 31 : « Erat enim in *tumore* animus, et omnis in eo tentabatur curatio. » Et IV, 29 :

Digitized by Google

« In Consolationis libro, quem in medio mœrore et dolore conscripsimus: quodque vetat Chrysippus ad recentes quasi *tumores animi* remedium adhibere, id nos fecimus. » Hos igitur *pacare* amat Chorus, non irascentes modo, sed et *dolentes:* Claudianus XLIX, de fonte Apono, 100: « *Pacaturque* ægro luxuriante *dolor;* » immo et *metuentes* quoque; ut qui velit, etiam illud vindicare possit, *Et amet pacare timentes*, quod plures codices agnoscunt. Seneca, Epist. LIX: « Nil stultitia *pacatum* habet; tam superne illi *metus* est, quam infra: utrumque trepidat latus. » Et huc trahi forte potest illud Manilii, IV, 182: « Et *pacare metu* silvas, et vivere rapto. » BENTL.

Post relatam hanc Bentleii sententiam de uno emendando versu, ad chorum pertinente, operæ pretium fore duximus adducere, quæ de toto chori officio GALIANI novo atque insolenti judicio pronuntiat, quanquam ab eo Dacierium falso improbatum putemus. ED.

> Actoris partes chorus, officiumque virile
> Defendat.

« Nous connaissons les chœurs des anciennes tragédies grecques, mais je veux en donner une idée qui ne laisse aucun doute sur la manière dont les poètes les employaient.

« La tragédie grecque étant un acte de religion, elle était dirigée par des prêtres. C'était souvent une représentation de la vengeance céleste, atteignant de grands criminels. On y retraçait aussi l'aveuglement des hommes, les excès, les désordres où les entraînent des passions déréglées. Le but moral était d'inspirer l'horreur du vice et l'amour de la vertu, par les deux ressorts puissans, φόβος, καὶ ἔλεος, la terreur et la pitié. On sent, d'après cela, que, pour bien concevoir ce qu'étaient les tragédies grecques, il faut les comparer, non à celles de Corneille et de Racine, mais à ces spectacles dévots que l'art naissant donnait aux Français, aux représentations des mystères, de la passion, des croisades, etc. etc. Ainsi l'important, dans les tragédies grecques, n'était ni l'illusion, ni l'amusement, ni la décoration: c'était seulement l'instruction et la moralité parées des fleurs de la poésie. Mais les poètes et les prêtres avaient bien senti qu'il ne suffit pas d'offrir un spectacle où le vice et la vertu reçoivent le prix qui leur est dû, mais qu'il était nécessaire de placer des sentences morales dans le cours

Digitized by Google

même des événemens; sans quoi le peuple, et même ce qui n'est pas peuple, regarderait ces événemens, sans songer à s'en faire aucune application personnelle, enfin, comme une pantomime, un spectacle d'optique dont il ne tirerait aucune utilité.

« Le chœur, dans l'ancienne tragédie, peut s'assimiler à l'ariette dans nos opéras italiens. C'est un épilogue; c'est le suc, la substance de ce qu'on vient d'exposer; c'est la pensée qui doit se former et qui se formerait peut-être sans être provoquée, mais qu'il est toujours plus sûr de suggérer aux spectateurs.

« Les chœurs des tragédies grecques sont donc la moralité de la pièce; ils avertissent le spectateur de ce qu'il doit penser, en voyant ce que le théâtre lui présente. Il est aisé de voir que les chœurs faisaient tort à l'illusion : aussi les a-t-on supprimés quand les poèmes dramatiques ont cessé d'être destinés à l'instruction. Racine les rétablit dans *Esther* et *Athalie;* mais ces deux tragédies étaient des leçons sublimes pour l'école de Saint-Cyr.

« Voltaire eut tort d'attacher des chœurs à son *Œdipe*. Cette innovation était sans but. Le sujet d'*Œdipe* renfermait une moralité pour les Grecs, mais non pour nous, qui sommes persuadés que les actions involontaires ne sont pas des crimes. Si l'on ne réfléchit pas sur cette grande différence entre le dogme, la morale des anciens, et nos dogmes, notre morale, on n'entendra rien au choix des sujets de tragédie chez les Grecs.

« Pour ne pas détruire tout-à-fait l'illusion, les poètes imaginèrent de placer les réflexions dans la bouche de personnages qu'ils supposèrent spectateurs de l'action; et, pour mieux assurer l'effet du chœur, ils l'enrichirent d'un luxe musical; ce qui les obligea de substituer la poésie lyrique à la poésie dramatique, et de couper le style en strophes, anti-strophes, etc. etc.

« Je reviens à ce que j'ai dit des opéras italiens. Les *Aria* de Métastase sont de véritables chœurs; elles en ont l'inconvénient. Métastase, en réservant les grandes maximes pour l'*Aria*, comme *Euripide* pour les chœurs, a refroidi l'intérêt; mais les deux poètes ont gravé plus profondément le sentiment moral dans l'ame de leurs concitoyens.

« Dans les tragédies françaises, les pensées morales sont mêlées au dialogue. Ces pièces sont plus intéressantes et sont moins in-

Digitized by Google

structives. Les tragédies des Grecs et celles des Italiens peuvent s'aider de la musique; les pièces françaises sont abandonnées à leur propre force.

« Reprenons les préceptes d'Horace : « *Actoris partes chorus..... Defendat.* » Dacier et plusieurs autres ont traduit « que, dans les actes, le chœur joue le rôle d'un acteur, et fasse les fonctions d'un seul personnage. »

« Comment Dacier, qui savait le latin, a-t-il oublié que *jouer un rôle*, se dit en latin, *agere partes*, et non *partes defendere?* Puisque Horace se sert du mot *defendere*, son intention est claire; il emprunte à la langue judiciaire les termes qu'elle emploie.

« *Actor* est ici pour *reus;* le rôle de l'avocat est indiqué par le mot *defendere. Officium judicis*, c'est le devoir du juge; *Officium virile*, le devoir de l'honnête homme, le parti de la vertu. Le sens d'Horace est donc « que le chœur doit embrasser le parti de l'accusation contre les coupables, et soutenir les devoirs de l'honnête homme et les sentimens de la vertu. » C'est ce que le poète développe dans les vers suivans :

> Ille bonis faveatque, et consilietur amice;
> Et regat iratos, et amet pacare tumentes.
> Ille dapes laudet mensæ brevis; ille salubrem
> Justitiam, legesque, et apertis otia portis.
> Ille tegat commissa, deosque precetur et oret,
> Ut redeat miseris, abeat fortuna superbis.

« On trouve dans plusieurs tragédies grecques une interlocution entre le chœur et quelques acteurs de la pièce; et cela paraîtrait contraire à ce que je viens de dire : mais il faut considérer que ce personnage qui prend la parole, sous le nom de *chœur* (ainsi le désignent les vieux manuscrits), ne dialogue pas en vers lyriques, mais en vers iambes; en un mot, qu'il continue le récitatif. Alors ce *chœur* n'est qu'une personne du chœur, une personne indifférente, que le poète n'a pas besoin de nommer. » GALIANI.

Digitized by Google

Excursus XI, vers. 260.

In scenam missos cum magno pondere versus.

Hic locus, si quis alius in hoc auctore, non parum, ut ait ipse, D. Heinsium exercuit: « .... Hic et in Acci Nobilibus trimetris apparet rarus, et Enni. In scenam missos magno cum pondere versus, Aut operæ nimium celeris curaque carentis, Aut ignoratæ premit artis crimine turpi. » Rem tandem expedire sibi visus est, mutata distinctione: « ..... apparet rarus: et Enni In scenam missos magno cum pondere, etc. » Ego vero, quid prosit, aut qui laboranti loco medeatur hæc distinctio, nullus video. Ligat quidem et coagmentat orationem, dissolutam alioquin et hiantem: ipsam vero difficultatem intactam relinquit. *Hic*, inquit, pes Iambus, *rarus apparet in Accii trimetris; et premit versus Ennii crimine ignoratæ artis.* Quid narras? An *versus* aut sciunt, aut ignorant artem metricam? Quis ita sensit, quis unquam sic locutus est? Illud quoque quale est? *premit versus crimine operæ celeris et negligentis.* An *versus* se ipsi faciunt, et metri curam habent, ut crimen incuriæ ipsis, non auctori impingatur? *Iambus* vero, inquit, *accusat versus cum magno pondere missos:* quomodo, sodes, is accusat, aut *crimine premit*, qui non *apparet?* Hæc et in vulgata, et in Heinsiana distinctione vitia sunt; qualia quidem nec defendi, nec excusari possunt. Tu vero lege mecum et distingue: « .... Hic et in Acci, Nobilibus trimetris apparet rarus et Enni. In scenam *missus cum magno* pondere versus, Aut operæ nimium celeris, etc. » Quum Iambus, inquit, ex artis et musicæ ratione ter in unoquoque trimetro apparere debeat, in secunda scilicet et quarta et sexta sede; neglexerunt hoc poetæ veteres Accius, Ennius ceterique; contenti enim sextum modo pedem Iambum facere (sine quo nullum versus vestigium esset) in ceteris susque deque habuerunt: adeo ut Iambus extra pedem ultimum rarus apud illos appareat. Sic in his Ennii Acciique apud Ciceronem: « Argo, qua vecti Argivi delecti viri: Colchis imperio regis Peliæ per dolum: Fremebunda ex alto ingenti sonitu et spiritu: Ita dum interruptum credas nimbum volvier: » in his, inquam, omnibus nullus est Iambus, præterquam in loco sexto. At, inquit Noster, hujus-

Digitized by Google

modi *versus, cum magno* spondeorum vel anapæstorum *pondere in scenam missus, premit* scriptorem aut incuriæ crimine, aut ignorantiæ. Verum quidem hoc est : non tamen ignorantia, sed negligentia et spe veniæ peccabant veteres. Quum enim Latinus sermo pauciores habeat breves syllabas, quam Græcus : qui primi Græca verterunt, labore et difficultate territi, simulque et spectatorum imperitia fidentes atque abutentes, spondeos passim pro Iambis intruserunt. Quumque in re nova nemo esset qui correctius scriberet ; sine comparatione pulchriorum vel deformia illa satis pulchra videbantur, « Et data Romanis venia est indigna poetis. » Postea tamen sub Horatii ætate, quum Græca passim in manibus esse cœperunt, non ulterius æquis auribus accipiebantur tarde volventes spondei, sed coacti sunt poetæ ad artis legem et normam Græcorum modulatius scribere. Quod quum ex Senecæ Tragœdiis jam licet cognoscere, tum ex Fragmentis quæ ex Ovidii, Varii, Gracchique Fabulis hodie supersunt. Ovidius, Medea, apud Quint. VIII, 5 : « Servare potui, perdere an possim rogas? » Varius, Thyeste, ibid. III, 8 : « ... Jam fero infandissima, Jam facere cogor. » Gracchus, Thyeste, apud Priscianum, VI, p. 719 : « Mersit sequentis humidum plantas humum. » Ita legendum arbitror, non *plantis*. *Humum* nominativus est, generis neutrius. Idem, Atalanta, ibidem p. 683 : « O grata cardo, regium egressum indicans. » Hi trimetri, qui soli nunc restant ex Horatio supparibus Tragicis, exactissime servant leges Græcorum ; ut ex his de integris Fabulis idem existimare liceat. Vides jam, opinor, claram liquidamque esse quam dedimus emendationem, « In scenam *missus cum magno pondere* versus. » Ubi insuper *cum magno pondere* ex omnibus scriptis et nostris, et Bersmanni adscivimus. *Minus scite codices, cum magno pondere,* inquit Bersmannus : non advertit scilicet et alias sic solere Nostrum (vide Serm. I, 10, v. 49), et hic Venerem quamdam in ipsa pronuntiatione studio quæsitam esse : *Cum magno pondere ;* quæ dum profers, ipsum illud pondus et lente ambulantes spondeos voce et spiritu persentiscis. Lapsus autem graviter est optimus Victorius ad Ciceronis Fam. V, 2, ubi ex manuscriptis quibusdam reponi hic jubet, « .... hic et in Acci *Mobilibus* trimetris apparet rarus et Enni. » Nihil infelicius dici potuit. Esto enim ut Iambi sive Trimetri, ubi puri sunt, citi, celeres, mobiles, præpetes appellentur : at hic utique, ubi rarus iste pes Trimetros ingreditur,

Digitized by Google

sed stabilibus spondeis loco cedere cogitur; tantum abest ut *mobiles* et incitati fiant Trimetri Enniani, ut tarde, lente, graviter, ponderose incedant, quod ipsum hic queritur et vituperat Flaccus. Recte igitur *Nobilibus; εἰρωνικῶς;* quos isti fautores et admiratores veterum in cælum ferebant. Ceterum hunc locum diu correxeram; quum postea deprehendi, et Theodorum Marcilium illud *missus* priorem ex conjectura dedisse, et Cl. etiam Dacierium in illius sententiam recte et prudenter concessisse. BENTL.

EXCURSUS XII, vers. 270.

At nostri proavi Plautinos et numeros, etc.

Ita nunc editores, *Nostri proavi:* quum et editiones principes, et omnes fere omnium membranæ, nostræ certe meliores, Grævianæ, Vossianæ, Leidenses, Reginenses cum aliis habeant, « At *vestri* proavi Plautinos et numeros et Laudavere sales; nimium patienter utrumque, Ne dicam stulte, mirati. » Quid autem attinet a codicum auctoritate discedere; ut lectionem, si non deteriorem, at certe nihilo meliorem adoptemus? *Vestri proavi, o Pisones;* nam hos jam compellaverat; « ....*Vos* exemplaria Græca Nocturna versate manu, versate diurna. At *vestri* proavi Plautinos, etc. » Nihil profecto hic est, quod quempiam offendat. At illud *Nostri proavi* magna circumveniunt incommoda. Quippe omnium se cachinnis exposuisset Noster, si patre libertino, homine Græculo, ut equidem puto, vel Syro forte aut Afro natus, *Nostros* proavos seu incaute, sive gloriose dixisset: quasi ipse Paulus, vel Messalla, vel Pompilius sanguis esset. Id quod olim Victorius Lambinusque recte judicarunt. At manum injicit Theodorus Marcilius, qui: *Perperam,* ait, *correxere* vestri: *nam civi et equiti, et tribuno militum fas erat dicere* Nostri proavi; *quemadmodum Seneca, quamquam Iberici generis,* Nostris majoribus *dixit.* Atqui, o bone, non *vestri,* sed illud tuum *nostri* a correctoribus est; quum et scripti libri, et primitus cusi prius agnoscant. Senecæ vero dictum huc pertrahere, et ut par, vel simile, huic proponere, cujus est judicii? Epist. I, ad Lucilium: « Tu tamen malo serves tua, et bono tempore uti incipias: nam, ut visum est *majoribus nostris,* sera par-

Digitized by Google

simonia in fundo est. » Quinam hic *majores?* an dictum hoc vetus, ex Hesiodo ductum, ad solos *Romanos* attinebat? verum, esto ut ad eos solos: Seneca, ut notum est, equestri genere est ortus, Cordubæ, coloniæ veteris Romanæ, ob primorum colonorum nobilitatem Patriciæ cognominatæ; ut nihil obstet, quin Senecæ majores vel a Regibus usque Romani fuerint. Hunc tu in Familiæ quæstione Nostro comparas, qui, *nullis majoribus ortus*, primus suorum ingenuus erat? Immo ut scias quo hominum risu, quo suo stupore *Nostri proavi* dicturus hic esset Flaccus; vide modo Vopisci locum in Caro, cap. 4, ubi contra eos qui Carum Mediolanensem fuisse tradiderant: « Ipse, inquit, ut epistola ejus indicat, Romanus vult videri. » Verba Epistolæ sunt: « Majores *nostri* Romani illi principes, etc. » Et mox: « Fac igitur majoribus *nostris*, id est Romanis non discrepemus viris: » ad quæ Vopiscus: « Vides, ait, quod tota epistola majores suos Romanos vult intelligi. » Hoc, opinor, exemplo, si *nostros proavos* Flaccus appellasset, qui olim in scena Plautinas fabulas admirati sunt, utique *majores suos Romanos* voluisset intelligi. Sed totam hanc quæstionem ut inutilem rescindit Dacierius: nimirum *Nostri* legendum esse; non tamen Horatii hæc, sed Pisonum esse verba, qui priora illa de exemplaribus Græcis evolvendis impugnant: quibus ille continuo respondet, *Nimium patienter utrumque*, etc. Atque hoc demum ille pacto miram quamdam huic loco Venerem accrescere putat. Suum scilicet cuique est judicium. Nam quod huic tam venustum est, a Grifolo olim excogitatum, Victorio duriusculum visum est, Var. Lect. XV, 13. Adde vero, si vis, et absurdiusculum videris; præter cetera enim, quæ mitto, vide modo illa quæ sequuntur, « .... nimium patienter utrumque, Ne dicam stulte, mirati; si modo ego et *vos* Scimus inurbanum lepido seponere dicto, etc. » Attende, sodes, ad illud *Vos*, o Pisones. Perquam scilicet venuste respondet Noster; si eos qui (ut vult Dacierius) jam Plautum Græcis opposuerant, eos, inquam, ipsos statim appellat, ut secum sentientes et Plautum haud magni æstimantes. Bentl.

Quæ sequuntur animadversiones in hos versus: « At nostri proavi Plautinos et numeros et Laudavere sales, nimium patienter utrumque, Ne dicam stulte, mirati, etc. » partim ex notis ineditis ad Horatii Sermones et Epistolas excerpsimus, quas Cl. Eusèbe Salvérte, jam diu de literis et patria egregie meritus, nobiscum

Digitized by Google

humaniter communicavit; partim ex ejusdem opusculo transcripsimus, cui titulum fecit *Horace et l'Empereur Auguste*. Paris, 1823, in-8°. Is igitur postquam demonstravit Horatium, ut captaret gratiam Augusti principis, cui recentiorum scripta unice placere videbantur, de veteribus poetis severius judicasse, ita ad hunc, de quo nunc agitur, locum pergit :

« Dominé par les ressentimens d'Auguste, Horace n'accorde au brillant Catulle qu'une mention au moins équivoque (« ... simius iste Nil præter calvum et doctus cantare Catullum, » Sat. I, x, 18-19); il tourne en ridicule les poèmes de Labérius (« .... nam sic Et Laberi mimos, ut pulchra poemata, mirer, » Sat. I, x, 5-6), dont un fragment échappé à l'injure du temps doit faire concevoir une idée toute différente. En ne citant presque aucun auteur ancien que pour le critiquer, en attaquant son devancier Lucilius avec une sévérité que réprouve l'impartial Quintilien, en affectant de ne nommer nulle part Lucrèce, à qui Virgile a fait de si brillans emprunts, Lucrèce qui aurait suffi à l'immortalité des muses romaines, Horace encore cherche à complaire à Auguste, puérilement jaloux de toute gloire antérieure à sa domination.

« C'est surtout l'estime dont jouissaient les comiques latins qui paraît révolter Horace. Je suis tenté de croire, tant il les traite durement, que les auteurs qu'Auguste voulait opposer aux anciens, ne méritaient pas plus de souvenirs qu'ils n'en ont obtenu, et qu'ils justifient l'arrêt que Quintilien a porté contre eux en ces mots : « la comédie est la partie la plus faible de notre littérature. »

« Mais, répondra-t-on, le goût confirme les critiques d'Horace. Plaute, qu'il a le plus fortement attaqué, Plaute, on l'avoue, tombe trop souvent dans le bas comique. La grossièreté des plaisanteries de Shakspeare a pour excuse la grossièreté du siècle où il vivait : les trivialités, les mauvaises pointes, les continuels jeux de mots tant reprochés à Plaute, ne peuvent-ils s'excuser de même? Pour décider la question, il faudrait connaître *le ton* de la bonne société à Rome. Nous possédons heureusement sur ce point un document authentique : il appartient à l'âge le plus brillant du goût et de la littérature. Deux siècles environ après la mort de Plaute, deux ministres plénipotentiaires, des hommes de cour, des orateurs, des poètes du premier ordre, étaient réunis à souper. Le repas se prolongea dans la nuit *avec un extrême agrément*

Digitized by Google

(« Prorsus jucunde cœnam produximus illam, » Sat. I, v. 70). Qui en fit le charme? un assaut de sottises entre le bouffon Sarmentus et Cicerrus le parasite: mais de sottises si plates, si peu plaisantes, qu'elles supportent à peine la traduction. Tel fut l'amusement qui retint long-temps à table Mécénas et Coccéius, les envoyés d'Octave et d'Antoine; Fontéius, personnage accompli en tout point, *ad unguem factus homo;* Varius et Plotius Tucca, ces hommes jugés dignes, seize ans après, de corriger et de publier l'Énéide; Virgile enfin, et Horace qui ne consacre pas moins de vingt vers à retracer une scène si agréable. Les vieux Romains qui applaudissaient l'Epicharme latin, étaient-ils donc, comme le prétend Horace, indulgens jusqu'à l'imbécillité? .... *nimium patienter utrumque, ne dicam stulte, mirati.* Les moins excusables plaisanteries de Plaute ne sont pas plus basses que celles de Sarmentus et de Cicerrus, et elles sont plus anciennes de deux siècles, et elles étaient destinées non à la table d'une société qu'on pouvait regarder justement comme l'élite de la bonne compagnie de Rome, mais à un théâtre dont le peuple entier remplissait les gradins.

« La censure d'Horace tombe aussi sur la versification de Plaute: pour en apprécier la justesse, il faudrait mieux connaître les règles que devaient suivre en écrivant les poètes comiques. Je conjecture qu'ils se permettaient jusqu'à un certain point les contractions de mots, les suppressions de lettres, les altérations de prosodie qui avaient lieu sûrement dans la conversation familière; je conjecture que les admirateurs qui opposaient à l'*art* de Térence la rapidité de Plaute, parlaient de leur versification; et que Térence, jaloux de l'élégance de la sienne, a peu usé d'une licence souvent contraire à l'harmonie, tandis que Plaute, pour donner à son dialogue plus de naturel et de vivacité, en a peut-être poussé trop loin l'emploi.

« Quoi qu'il en soit, cet abus ou cette recherche n'a point nui au charme et à la pureté du style de Plaute. Au suffrage de Cicéron (de Offic. I, 29) nous pouvons joindre, pour le prouver, les éloges de Pline (Epist. I, 16), d'Aulu-Gelle (Noct. Attic. VII, 18) et de Macrobe (Saturn. II, 1). Aussi lit-on encore les œuvres de Plaute, comme celles de Térence, à côté des œuvres d'Horace. Depuis dix-huit siècles la postérité a cassé l'arrêt partial par lequel le poète d'Auguste prétendit infirmer les jugemens du siècle qui

Digitized by Google

l'avait précédé. » — (Idem iterum argumentum tractat Vir Doctus, nott. ineditt.)

« Dès le temps de Varron, l'on mettait sous le nom de Plaute des comédies qui n'étaient point de lui, et l'on ne s'accordait pas toujours sur celles dont il était le véritable auteur. Les comédiens qui jouaient fréquemment les pièces de Plaute se permirent d'ailleurs après la mort de l'auteur, si ce n'est même de son vivant, d'y faire de nombreuses interpolations, qui, de bonne heure, ont dû passer dans le texte. Ces deux faits, qu'un érudit de Berlin a mis hors de doute (Frid. Osannus Vimariensis, Analecta critica, Poesis Romanorum scenicæ reliquias illustrantia, Berolini, 1816), répondent probablement à plus d'une critique d'Horace.

« Quant à la versification, le même érudit signale deux licences que Plaute ne s'est point interdites. A l'exemple de ses devanciers, il a conservé quelquefois une syllabe que l'élision aurait dû faire disparaître. On lit ainsi (Capteiv. act. II, sc. 1, v. 78): « Scito te hinc minis *viginti* æstimatum mittier. » Térence n'a jamais pris cette licence, mais on en trouve plusieurs exemples dans Virgile. Plaute à la fin du vers substitue quelquefois un *tribrache* à un iambe: ainsi il termine un vers par *adveniat*. Térence fournit un exemple du même genre: « Quæ sese inhoneste optavit parere hic divitias. » (Andr. act. IV, sc. VI, v. 2). Observons que dans Térence plusieurs savans ont lu *ditias* pour *divitias;* il est donc possible que le mot final fût contracté de même dans les vers de Plaute. Nous demanderons, en tout cas, si ce sont là des fautes qui justifient l'excessive sévérité d'Horace.

« Les jeux de mots, si fréquens dans Plaute, doivent sûrement être mis au nombre des plaisanteries, *sales*, que condamne Horace. Ils nous choquent, et parce qu'ils sont étrangers à nos habitudes, et surtout parce qu'on peut difficilement, je ne dis pas les traduire, mais les comprendre sans le secours d'un commentaire. Prenons pour exemple les vers 79-83 de la scène II de l'acte III de la *Mostellaria*. Simon dit que sa maison est si fort exposée au soleil, qu'on n'y trouve jamais d'ombre, à moins que ce ne soit au fond du puits: « Nec mihi umbra usquam est, nisi in puteo quæpiam est: » Tranion lui répond: « Quid Sarsinatis ecqua est, si Umbram non habes? » Quoi! à défaut d'ombre, n'avez-vous pas une Sarsinate (une esclave de Sarsine en Ombrie). Rien de

Digitized by Google

plus froid pour nous que cette plaisanterie : mais elle pouvait plaire à Rome, et parce qu'elle était peut-être devenue un dicton populaire, et parce qu'elle faisait allusion à la patrie du poete de Sarsine : *M. Accii Plauti Sarsinatis Umbri*..... C'est ainsi qu'il est désigné en tête de ses comédies.

« J'ai établi ailleurs (*Essai historique et philosophique sur les noms d'hommes, de peuples et de lieux*, tom. I, pag. 49 sqq.) que les plaisanteries fondées sur le sens des noms propres de personnes ou de pays devaient être fréquentes et populaires, partout où les individus étaient désignés dans la conversation par des prénoms ou des surnoms significatifs, tels que *le cinquième*, *le sixième*, *le maître*, *le bègue*, *le chauve*, *le gros*, *le roux*, etc. (Quintus, Sextus, Caius, Balbus, Calvus, Crassus, Rufus, etc.) aussi n'étaient-elles point déplacées, au temps de la république, dans l'éloquence même du *Forum*. J'ai indiqué aussi pourquoi elles durent commencer à paraître froides du temps d'Horace. Cette remarque suffirait pour justifier Plaute d'en avoir fait usage. Mais je dois encore ajouter que ces jeux de mots, ces allusions plus ou moins plaisantes, le poète ne les place jamais que dans la bouche d'esclaves ou de gens de la plus basse classe : c'était alors ajouter un trait à la peinture des mœurs, c'était prêter aux personnages mis en scène le langage qui leur était propre. Horace aurait dû tenir compte à Plaute de cette *vérité d'expression*, lui qui en fait ailleurs une condition si rigoureuse de la perfection dramatique, qu'il ne veut même point que l'on ne puisse pas distinguer, à la manière dont parle chacun d'eux, un esclave fripon, et Silène, le nourricier de Bacchus. (Epist. ad Pison. vv. 235-38.) » Eusèbe Salverte.

Excursus XIII, vers. 288.

Vel qui Prætextas, vel qui docuere Togatas.

Lydus[1] porro, facta Comœdiæ mentione, occasionem arripuit quædam de illius apud Romanos origine, fatis, generibus, ipsius

(1) Collectanea Literaria, sive conjecturas in Attium, Diomedem, Lydum, etc. aliosque edidit *Jac. Chr. Reuvens*, Lugd. Bat. 1815, unde nos hæc excer-

Digitized by Google

ævo minus jam in vulgus cognita, prodendi. Quare in eodem paragrapho sic pergit:

Ὁ δὲ μῦθος τέμνεται εἰς δύο, εἰς Κρηπιδάταν, καὶ Πραιτεξτάταν· ὧν ἡ μὲν Κρηπιδάτα Ἑλληνικὰς ἔχει ὑποθέσεις, ἡ δὲ Πραιτεξτάτα Ῥωμαϊκάς. Ἡ μέντοι Κωμῳδία εἰς ἑπτὰ, εἰς Παλιάταν (sic editur: mox παλλιάτα), Τογάταν, Ἀτελλάνην, Ταβερναρίαν, Ῥινθωνικὴν, Πλανιπεδαρίαν, καὶ Μιμικήν· καὶ Παλλιάτα μὲν ἐστὶν ἡ Ἑλληνικὴν ὑπόθεσιν ἔχουσα κωμῳδία, Τογάτα δὲ ἡ Ῥωμαικὴν, ἀρχαίαν. Ἀτελλάνη δέ ἐστιν ἡ τῶν λεγομένων Ἐξοδιαρίων· Ταβερναρία δὲ ἡ σκηνωτὴ, ἡ θεατρικὴ κωμῳδία. Ῥινθωνικὴ ἡ ἐξωτική· Πλανιπεδαρία ἡ Καταγελαρία· Μιμικὴ, ἡ νῦν δῆθεν μόνη σωζομένη, τεχνικὸν μὲν ἔχουσα οὐδὲν, λόγῳ μόνον τὸ πλῆθος ἐπάγουσα γέλωτι.

Equidem Lydum sua contexuisse puto e Donati fragmento de Tragœdia et Comœdia, et Commentario ad Terentii Adelphos: posse vero alterum ex altero suppleri. Ille igitur Donatus (Prol. v. 7) sic ait: « *Fabula* generale nomen est: ejus duæ primæ partes sunt *Tragœdia* et *Comœdia*. Si Latina argumentatio sit, *prætextata* dicitur. *Comœdia* autem multas species habet. Aut enim *Palliata* est, aut *Togata*, aut *Tabernaria*, aut *Atellana*, aut *Mimus*, aut *Rhinthonica*, aut *Planipedia*. » Exinde Donatus has Comœdiæ species singulas exponit: ita tamen, ut *Tabern riam* tantum obiter tractet, *Mimum* et *Rhinthonicam* prætereat. Cum his Lydi ista conferentes, primum de ejus mutilatione videamus. Equidem persuadeo mihi, sic supplendum e Donato Lydum: Ὁ δὲ μῦθος τέμνεται εἰς Τραγῳδίαν καὶ Κωμῳδίαν. Καὶ ἡ μὲν Τραγῳδία εἰς Κρηπιδάταν καὶ Πραιτεξτάταν· ὧν ἡ μὲν Κρηπιδάτα Ἑλληνικὰς ἔχει ὑποθέσεις, ἡ δὲ Πραιτεξτάτα Ῥωμαϊκάς. Ἡ μέντοι Κωμῳδία τέμνεται εἰς ἑπτά· εἰς Παλλιάταν, κ. τ. λ. Puto sic non utique ineptam fabulæ divisionem in genera et formas constitui. Jam vicissim periculum faciamus e Lydo supplendi Donatum. « Fabula generale nomen est: ejus duæ primæ partes sunt Tragœdia et Comœdia. *Tragœdia, si Græca argumentatio, Crepidata;* si Latina argumentatio sit, Præ-

penda censuimus, quæ præcipue ad varia comœdiarum tragœdiarumque apud Romanos genera pertinent, ut quæ nunc plerisque minus bene nota videantur. Lydus, Philadelphiæ in Asia natus a. C. N. 490, Justiniano imperante scripsit: ejus opera ediderunt DD. *Hase* et *Fussy*, 1812. Ed.

Digitized by Google

textata dicitur : Comœdia autem, etc. » Erroris quidem in utroque scriptore manifestæ indagari possunt causæ, altera nomen minus obvium *Crepidatæ*, altera et præcipua, librarii incuria, qui in illis divisionibus haud satis diligens membra quædam præterierit.

Verum qua auctoritate ego *Crepidatæ* nomen non modo in Donati locum intrudam, sed et audacter *Tragœdiæ speciem* esse ponam, id jure quis a me quærat. Quare de hoc nomine dicendum est. *Crepidata* quænam fuerit fabula, ad hunc usque diem et alios, et me latuit. Occurrit apud solum Donatum altero illo, quem dixi, loco, Commentario ad Adelphos : « Ut apud Græcos, inquit ille, δρᾶμα, sic apud Latinos generaliter *fabula* dicitur : cujus species sunt *Tragœdia*, *Comœdia*, *Togata*, *Tabernaria*, *Prætextata*, CREPIDATA, *Atellana*, μικτὸς, *Rhinthonica*. » Et Gyraldus quidem, hunc locum referens conjecit [1] : « apud Donatum aut *Græcas* intelligendas fabulas, quod crepidæ, ut pallia, Graiorum sint; aut *fabularum quoddam genus in quo crepidis magis uterentur*, » quare et deinceps, de scenico apparatu dicens [2] adjicit : « in aliquibus etiam fabulis, crepidis utebantur, quæ *crepidatæ* dictæ sunt, ut ante relatum est. » Harum conjecturarum prior Gisberto quoque Cupero probata [3], qui credit « *Crepidatarum nomen a nonnullis inditum fuisse fabulis Palliatis*, maxime quum Donatus priore loco (*de Trag. et Com.*) recensens fabularum genera, ponat *palliatas*, omissis *crepidatis*, et posteriore (*commentario ad Adelphos*) *crepidatarum* mentionem injiciat, silentio præteriens *palliatas*. » At ego censeo *crepidatas* esse nomen, quod Romani dabant *Tragœdiis Græcis*, vernacule conversis, aut certe Græci argumenti, quomodo *Comœdias* ejusmodi vocabant *Palliatas* : *Mimos* vero, ut alibi videbimus, *Riciniatos*. Namque amabant illi res origine Græcas, ad se delatas, Romano nomine insignire : sic Ennius versus Hexametros dixit *versus longos*, teste Atilio Fortunatiano [4] : sic, referente Asconio Pediano [5], senarium hypercatalecticum Romani *Saturnium* appellarunt. Nec dubito,

(1) Opp. t. II, p. 328. E.

(2) P. 337, B.

(3) Obss. l. l. p. 66 sq.

(4) In Gramm. Puts. c. 2690.

(5) Ad Cic. Verr. I, c. 10 (p. m. 55, ed. L. B. 1675, in-12).

Digitized by Google

quin Gyraldus et Cuperus in hanc suspicionem incidissent, si Lydum editum habere ipsis contigisset.

Nam meæ quidem sententiæ *primum* argumentum est utriusque loci contextus, qui postulare videtur, ut utrumque *fabulæ* genus, *Tragœdia* et *Comœdia*, in species suas æque distribuatur: tum ordo, quo apud Lydum legitur *Crepidatæ* nomen, scilicet ante *Comœdiæ species* positum. Accedit *altera* causa, oppositio illa *crepidatarum* et *prætextatarum*, quarum Lydus illas Græci, has Romani argumenti esse docet. Atque *prætextatas* fabulas et ipsas esse *Tragœdias*, argumento tantum, quod e Romana historia peteretur, a Græcis Latine conversis differentes, significat Diomedes Grammaticus, quum ait: « Prima species est Togatarum, quæ *Prætextatæ* dicuntur, in quibus imperatorum negotia agebantur, et publica, et reges Romani vel duces inducuntur, personarum dignitate et argumentorum sublimitate Tragœdiis similis. » Quod etsi Dacerius alicubi [1] neget Prætextatas *veras fuisse Tragœdias*, quid de ejus sententia faciam nescio, qui idem non multo ante [2] affirmavit. Certe hoc concedet ille, proxime eas ad Tragœdias accessisse. — Sed *tertium* porro opinioni meæ argumentum peto ab ordine, quo Donatus, ad Adelphos, species illas recenset, *Tragœdiam* et *Comœdiam* jungens; dein *Togatam* et *Tabernariam*; mox *Prætextatam*, et *Crepidatam*. Hoc autem leve fortasse. At grave est profecto argumentum quod *quarto* loco ponam, crepidarum usum a Sophocle inventum fuisse. Auctor ejus vitæ [3]: Φυσὶ δὲ καὶ Ἴστρος τὰς λευκὰς κρηπῖδας αὐτὸν ἐξευρηκέναι, ἃς ὑποδοῦνται οἵ τε ὑποκριταὶ, καὶ οἱ χορευταί. Ubi οἱ ὑποκριταὶ videntur intelligendi *actores Tragici*: nam sic et Isidorus [4] cothurnos, quibus hi calceabantur, vocat *calceamentum in modum crepidarum, quo heroes utebantur*. — Si igitur crepidæ in usu fuerunt tragœdis Græcis, sequitur *crepidatarum* nomen apud Lydum, unde semel exciderat, et in Donati fragmentum *de Comœdia et Tragœdia*, unde funditus sublatum fuerat, non temere pro tragœdiæ genere a nobis reponi.

(1) Ad. Fest. v. *Togatarum*.

(2) Ibid. v. *Prætextas*.

(3) P. XXII, ed. Schæf. in-18.

(4) Etymol. l. XIX, c. 34.

Digitized by Google

Diximus de *Tragœdia*, quæ in *Crepidatam* et *Prætextatam* dividitur. Veniunt apud Lydum *Comœdiæ* septem species: de quibus aliquid dicendum. Ἡ μέντοι Κωμῳδία, inquit Lydus, τέμνεται εἰς Παλλίαταν (sic legendum), Τογάταν, Ἀτελλάνην, Ταβερναρίαν, Ῥινθωνικήν, Πλανιπεδαρίαν, καὶ Μιμικήν.» Hæc habet ille, ut dictum est, e Donato, paulo tantum transpositis verbis. At eumdem in sequentibus definitionibus auctorem per omnia sequi non potuit, quia quædam ille tractare omiserat.

Παλλιάταν, Τογάταν, Lydus sibi invicem opponit, ut supra in Tragœdiis Κρηπιδάταν καὶ Πραιτεξτάταν. Nam Παλλιάτα, inquit, ἐστὶν ἡ Ἑλληνικὴν ὑπόθεσιν ἔχουσα Κωμῳδία, Τογάτα δὲ ἡ Ῥωμαϊκήν, ἀρχαίαν.» Eodem modo Donatus. Sed digna res est, quæ paullo uberius tractetur: quippe hanc divisionem vulgo improbant eruditi [1], et Donatum castigant, speciosa illi Diomedis Grammatici opinione decepti. Hic nimirum *Togatas* censet universum nomen esse pro fabula quavis Latina, ejus vero species esse ipsas *Prætextatas*, et præterea *Tabernarias*, *Attellanas*, *Planipedias*; et proinde non vulgus modo, sed et Horatium erroris taxat, quod *Togatas* specialiter pro *Tabernariis* dixerint. Ejus verba sunt [2]: « Initio *Togatæ* Comœdiæ dicebantur, quod omnia in publico honore confusa cernebantur, quæ *Togatæ* postea in *Prætextatas* et *Tabernarias* dividebantur. *Togatæ* fabulæ dicuntur, quæ scriptæ sunt secundum ritus et habitus hominum togatorum, id est, Romanorum: toga namque Romana est: sicut Græcas fabulas, ab habitu æque *Palliatas* Varro ait nominari. *Togatas* autem, quum sit generale nomen, specialiter tamen pro *Tabernariis* non modo communis error usurpat, qui *Afranii Togatas* appellat [3], sed et poetæ, ut Horatius, qui ait [4]:

« Vel qui prætextas, vel qui docuere togatas. »

Ego non adeo illos, quos reprehendit Diomedes, quam ipsum

(1) Vid. v. g. V. D. *Nagel*, ad *Nieupoortii Antiq. Roman.* IV, 5–7, p. m. 349. Nam ipse *Nieupoort* cautius exposuit.

(2) L. III, c. 486, sub fin. Putsch.

(3) Ita legendum puto. Putschius edidit *quia Fauni t. a.* Ed. Buschii, Colon. 1523, in 8°, a Bondamo collata, *Faunius togatas appellat*—Africanius *togatarum scriptor*. Vid. Gellius X, 11; XX, 6.

(4) Ep. ad Pis. v. 288.

Digitized by Google

falli puto: mihique res sic se habere videtur. Ut *Prætextatæ* sunt Tragœdiæ Romani argumenti, ita *Togatæ* sunt similis argumentationis Comœdiæ: probat ipse Diomedes, quum initio Comœdias a Romanis sic dictas fuisse notat; comprobat etiam Varronis testimonium, quod ex eodem Diomede, non vana hariolatione, conjicio ita conceptum fuisse, ut *in Comico genere* Togatas et Palliatas, quasi Latinas et Græcas, sibi invicem opposuerit; ostendit et, ne de *Afranii Togatis* dicam, Horatii locus, quem injuria reprehendit Grammaticus. Is enim de *Græcorum* TRAGŒDIA et COMŒDIA egerat, et tunc subjunxit:

> Nil intentatum *nostri* liquere poetæ:
> Nec minimum meruere decus, vestigia Græca
> Ausi deserere, et celebrare *domestica* facta:
> Vel qui *prætextas*, vel qui docuere *togatas*.

Non potuit Horatius Romanorum Tragœdiam et Comœdiam apertius distinguere: neque adeo validius esse potest argumentum, quo *Togatam* proprie de *Comœdia*, non vero de *quavis fabula Romana*, intelligendam doceas.

Jam vero, etsi illud *Togatarum* nomen non adeo late pateat, ut et *Prætextatas* contineat, tamen non infitior lapsu temporis Togatis accenseri cœpisse alias Comicas Romanorum fabulas: præcipue *Tabernarias*, Togatis propriis similes quidem, vilioris argumenti. Sed vel ideo distinguendum fuerat inter *Togatas proprie dictas*, quibus honestioris ordinis personæ inductæ, et has *Togatas Tabernarias*. Gravius quidem Togatis argumentum remansisse significat Seneca, Epist. VIII: « Quam multa poetæ dicunt, quæ a philosophis aut dicenda, aut dicta sunt. Non attingam tragicos, aut *Togatas* nostras: habent enim hæ quoque aliquid severitatis et sunt inter comœdias et tragœdias mediæ. Quantum disertissimorum versuum inter mimos jacet? » Et Togatis porro videntur annumerari cœpisse *Atellanæ* et *Planipediæ*. Ratio manifesta: quia et his omnibus Romanum argumentum.

Hinc ortus Diomedis error, quasi sic ratiocinatus esset: « *Togatæ* et *Prætextæ* utræque argumentum Romanum tractant. Atqui *Togæ* species est *Prætexta Toga*. Ergo fabula *Togata* de genere dicitur; *Togata*, *Prætexta* (nam sic eas vocat), de specie. » Qui error eo facilior esse potuit, quod fortasse *Crepidatarum*, in Tra-

Digitized by Google

gico genere, neque distinctionem, neque nomen adeo notum haberet. Scilicet neque hoc, ut videtur, usitatissimum, et illius tempore jam magis evanidum. Nam Donato Diomedes est recentior.

Et hæc videtur solius Diomedis opinio, ut quam ab alio quoquam confirmari nondum exploratum sit. Neque enim Festi[1] auctoritati, quam quis mihi objiciat, multum tribui potest, qui mutilus est, et tantum a viris doctis ex ipso Diomede suppletus. Verba apponam, et interpolata uncinis includam: « *Togatarum* [duplex est genus prætextarum ho]minum fastigi, quæ [sic appellantur], quod togis prætextis remp. [administrarent] tabernariarum quia [hominibus ex]cellentibus etiam humiles [permixti ut sunt p]lagiarii, servi denique et [cauponæ ex ta]bernis honeste prodeant [persæpe]. » Ego, vel si recte hæc suppleta essent, haud multum inde effici posse putem, quum sit Festus etiam *Donato* junior; sed profecto non recte illud esse factum, ipsa claudicans verborum compositio arguit. Certe verbum *prodeant* abundare videtur.

His disputatis, sic concludo, recte Lydum *palliatam* dixisse *Comœdiam* Græci argumenti, *togatam*, Romani: recte item *Prætextatas* non comprehendisse in Togatis; et in his congruit cum reliquis auctoribus. Asconius Pedianus[2]: « *Actoribus Græcis, Palliatarum* scilicet fabularum: in his enim, etiamsi Latinæ sunt, Græca omnia servantur: nam Latinæ fabulæ per pauciores agebantur personas, ut *Attellanæ, Togatæ*, et hujusmodi aliæ. » Donatus *de Tragœdia et Comœdia* unde sua habet Lydus: « Comœdiarum formæ sunt tres: *Palliatæ*, Græcum habitum ferentes, quas nonnulli *Tabernarias* vocant; *Togatæ* juxta formam personarum habitum togarum desiderantes; *Attellanæ*, etc. » sed ecquid miraris, hunc jam dicere « *Palliatæ.... quas nonnulli Tabernarias vocant?* » neque hunc locum opinionis meæ argumentum afferre? Hæsit et G. Cuperus[3], et ait « *compertum sibi esse, hos nonnullos errare.* » Sed tamen responsio facilis, quam viro sagacissimo in mentem non venisse ego invicem miror: credo nimirum ista verba, frequenti errore, esse trajecta et pertinere ad sequentia de Toga-

(1) In v. *Togatarum*.

(2) Ad Cic. in Verr. Divin. c. 15.

(3) L. I. p. 67.

Digitized by Google

tis; ita ut locum sic constituam: « Palliatæ Græcum habitum ferentes; Togatæ juxta formam personarum, habitum togarum desiderantes, *quas nonnulli tabernarias vocant.* » Namque id docuit ipse, quem fuse tractavi, Diomedis error: « Togatas autem, quum sit generale nomen, specialiter tamen pro Tabernariis non modo communis error usurpat, qui Afranii Togatas appellant, sed et poetæ. » Apparet Diomedem ipsum inter illos esse, qui *Togatas* (id est *Comœdias, Latine conscriptas, argumento Romano, sed non vilioribus personis permixtas*, cujusmodi erant Afranii fabulæ) *Tabernarias* dicendas esse censuerint. Nec mirum: quum *Togatas* non pro *Comœdiis* in specie, sed pro *quavis fabula Romana* ille acciperet. Et plures fortasse e populo fuerunt, qui in eumdem errorem inciderent: verum e scriptoribus, ut dixi, præter Festum, de quo tamen non constat, nullus est. Ad alios Grammaticos pergamus. Quorum Evanthius quidem, sive potius incertus quidam de Tragœdia et Comœdia, *Palliatas* omisit, quia is nempe tantum de fabulis Romani argumenti locutus est. Idem vero *Togatas* dicit *a scenicis atque argumentis Latinis.* Vide rursum an rectius legatur a *scenicis* TOGIS *atque argumentis Latinis.*

Denique Donatus noster, sæpe ille allegatus, *in Commentario ad Adelphos:* « Apud Latinos *fabula:* cujus species sunt: *Tragœdia, Comœdia;—Togata, Tabernaria;—Prætexta, Crepidata;—Attellana;—*Μικτὸς·*—Rhinthonica.* » Sic dixi distinguendum videri: nunc illud addo, excidisse, nisi fallor, *Palliatarum* nomen, quod cum *Togata et Tabernaria* jungendum erat. Quare ego, si Codices faveant, lubens restituerim.

Comparata inter se plerorumque Grammaticorum hac de re doctrina, restat ut, coronidis loco, addam pauca de epitheto ἀρχαίαν, quod Togatarum argumento, ὑποθέσει, Lydus tribuit. Id credo eum usurpasse, tum quia Mimica ars, quæ sola ad ipsius tempora servata erat, ipsa quoque Romanum sæpe haberet argumentum, sed illud recens, tum quia ipsi sic prævisset Serenus Sammonicus, C. LIX, v. 1043:

> Præterea si forte premit strix atra puellos,
> Virosa immulgens exsertis ubera labris;
> Allia præcepit Titini sententia necti,
> Qui *veteri* claras expressit *more togatas.*

Digitized by Google

Excursus XIV, vers. 401 sq.

Tyrtæusque mares animos in Martia bella, etc.

Tyrtæus post Homeri ætatem non ita longe septingentis ante Christum annis vivebat[1]; Athenis, ut plerique aiunt, oriundus, ludi magister ignobilis, luscus, claudus, mutilus. Strabo, lib. VI, vel ipso Tyrtæo de se in elegis confitente, Erineatem fuisse eum tradit; Suidas aut Lacedæmonium, aut Milesium; Paulus Orosius, lib. II, cap. 1, Atheniensem fuisse ait; Plutarchus in libello de Musica Tyrtæi cujusdam Mantinensis mentionem facit. Hunc poetam laudant quoque, Athenæus, lib. XIV; Ælianus, Var. Histor. VI, 1; Stobæus multos ejus versus de bellica audacia proferens: Plato etiam, de Legib. I, divinum eum appellat, et carmina ejus recitat ad inflammandos bellatorum animos scripta. Conf. item Quintilian. lib. X, cap. 1, § 56; et ex recentioribus Nostras Barthélemy, *Voyage d'Anacharsis*, cap. 40, qui plura de poeta clarissimo testimonia attulit. De Messeniorum Lacedæmoniorumque bello ita Justinus, Histor. lib. III, cap. 5: « Lacedæmonii, de belli eventu oraculo Delphis consulto, jubentur ducem belli ab Atheniensibus petere. Porro Athenienses, quum responsum cognovissent, in contemtum Spartanorum Tyrtæum poetam, claudum pede misere: qui tribus præliis fusus, eo usque desperationis Spartanos adduxit, ut, ad supplementum exercitus, servos suos manumitterent, hisque interfectorum matrimonia pollicerentur: ut non numero tantum amissorum civium, sed et dignitati succederent. Sed reges Lacedæmoniorum, ne, contra fortunam pugnando, majora detrimenta civitati infligerent, reducere exercitum voluerunt; ni intervenisset Tyrtæus, qui composita carmina exercitui pro concione recitavit, in quibus hortamenta virtutis, damnorum solatia, belli consilia conscripserat. Itaque tantum ardorem militibus injecit, ut non de salute, sed de sepultura solliciti, tesseras, insculptis suis et patrum nominibus, dextro bra-

(1) Natus est Tyrtæus, ut plerique docti viri volunt, an. ante Christum nat. 716; Olympiade XVI; octavo aut decimo post primum bellum Messeniacum anno; quo fere tempore, Romulus, Romæ conditor, obiit. Ed.

Digitized by Google

chio deligarent; ut, si omnes adversum prælium consumsisset, et temporis spatio confusa corporum lineamenta essent, ex indicio titulorum tradi sepulturæ possent. Quum sic animatum reges exercitum viderent, curant rem hostibus nuntiari. Messeniis autem non timorem res, sed æmulationem mutuam dedit. Itaque tantis animis concursum est, ut raro unquam cruentius prælium fuerit. Ad postremum tamen victoria Lacedæmoniorum fuit.» Sic Aristomenes, fortissimus peritissimusque Messeniorum dux, qui pro patria adversus iniquos hostes ut acri constantique animo, sic etiam felici eventu tamdiu pugnaverat, unius poetæ ingenio victus tandem profligatusque decessit. Pauca quædam exstant Tyrtæi fragmenta, a Strabone, Plutarcho, Pausania, Dione Chrysostomo, Galianoque laudata; tria vero, et longiora quidem carmina, quorum unum recitat Lycurgus, Orat. in Leocratem, reliqua duo Stobæus, Serm. XLIX, si quis legerit, non mirum sane videbitur, quod Tyrtæum tanto in honore habuerint Plato et Horatius, ceterique scriptores antiqui. Pretiosissimæ tamen nemini fere, præterquam eruditis viris, hactenus innotuerant reliquiæ, quanquam egregius poeta Nostras Casim. Delavigne, celeberrimis illis carminibus suis *Messeniorum* nomen inde videtur fecisse: sed nuperrime vir inter nos civilium virtutum laude, non minus quam singulari doctrina jamdudum inclytus, cujus nomen ita Gallicam signat Typographicen, ut hanc ausim artem Didoticam appellare, Nostras Firminus Didot, singula Tyrtæi quæ supersunt fragmenta, ex græco in gallicum carmen feliciter hoc anno transtulit; atque adeo solerti ingenio Messeniani belli historiæ brevi inseruit, ut novo lumine illustrata famam e Theocriti et Virgilii poeticis versionibus, magnique Hannibalis memorabili tragœdia comparatam amplificaverint; utque Gallicorum populorum beatissimus Rex, Ludovicus-Philippus, tum Musarum et Martis alumnus, tum patriæ pater sibi nuncupata comprobaverit. Ed.

Excursus XV, vers. 441.

Et male tornatos incudi reddere versus.

Tornatos quidem *versus*, notissima et aptissima translatione, recte alias dici numquam negaverim. Sic enim et Propertius, II, 25,

Digitized by Google

v. 43 : « Incipe jam augusto versus includere *torno*. » Lucanus in Panegyrico Pisonis : « ... hinc exornata figuris Advolat excusso velox sententia *torno*. » Gell. IX, 8 : « Hanc sententiam memini a Favorino inter ingentes omnium clamores *detornatam inclusamque* verbis his paucissimis. » Ubi obiter nota illud *Inclusam* : inde enim firmatur recepta lectio in superiore Propertii loco, contra Scaligeri sententiam, qui *versus includi torno* recte posse dici negabat. Apuleius in Floridis, IX : « Meum vero unumquodque dictum acriter examinatis, sedulo pensiculatis, ad limam et lineam certam redigitis, cum *torno* et cothurno iterum comparatis. » Sic et Græci eadem metaphora ἀποτορνεύειν *tornare periodum*. Philostratus in Polemonis vita : Καὶ ὅτε ἀποτορνεύοιτο περίοδον, τὸ ἐπὶ πᾶσιν αὐτῷ κῶλον σὺν μειδιάματι φέρειν, « *et quum* detornaret *periodum, postremum ei colon renidente vultu inferebat.* » Plutarchus Περὶ τοῦ ἀκούειν, *in Lysiæ*, inquit, *oratione De Amore laudat id Plato*, ὅτι τῶν ὀνομάτων σαφῶς καὶ στρογγύλως ἕκαστον ἀποτετόρνευται, « *quod verborum unumquodque clare et rotunde* detornaretur. » Platonis ipsius verba in Phædro habentur ; « Ὅτι σαφῆ καὶ στρόγγυλα, καὶ ἀκριβῶς ἕκαστα τῶν ὀνομάτων ἀποτετόρνευται. » Quin et figura fere simile γλυπτοὺς καὶ τορευτοὺς λόγους, *sculptas et cælatas orationes* bis dixit Dionysius Halicarnassensis ; De Compositione Verborum, p. 30 : « Ἄλλως τε καὶ τῶν τότε ἀνθρώπων οὐ γραπτοῖς, ἀλλὰ γλυπτοῖς καὶ τορευτοῖς ἐοικότας ἐκφερόντων λόγους · et de Demosthene, p. 194 : Ὁρῶν τοὺς κρατίστους λόγων ποιητὰς νομιζομένους, Ἰσοκράτην καὶ Πλάτωνα, γλυπτοῖς καὶ τορευτοῖς ἐοικότας ἐκφέροντας λόγους. Crinagoræ Epigramma in Callimachum : Καλλιμάχου τὸ τορευτὸν ἔπος τόδε. Aristophanes Thesmoph. v. 995 : Ἀλλ' εἶ· ἐπ' ἄλλ' ἀνάστρεφ' εὐρυθμῷ ποδί, Τόρευε πᾶσαν ᾠδήν. Ubi tamen Τόρνευε reponendum arbitror, ut loco convenientius : « *Verum age, alio te converte composito pede ;* Torna *totam cantilenam.* » Idem in simili sententia plura de fabrili opificio sumsit vocabula, versu ibidem 58 : « Κάμπτει δὲ νέας ἀψῖδας ἐπῶν· Τὰ δὲ τορνεύει, τὰ δὲ καλλομελεῖ, Καὶ γνωμοτυπεῖ, κἀντονομάζει, Καὶ κηροχυτεῖ, καὶ γογγυλίζει, Καὶ χοανεύει. » Ubi obiter ob Anapæsti legem emendandum erit, Καὶ γογγυλίζει : ut φάρυγος correpte pro φάρυγγος et similia dixerunt : « *Flectit autem novas versuum curvaturas ; Nunc* tornat, *nunc conglutinat ; Nunc sententias ponit, nunc antonomasias ; Nunc incerat, nunc rotundat, nunc conflat.* » Quod vero hic particulatim dixit, singula fere fabrilis

Digitized by Google

officinæ memorans instrumenta; summatim alii dixerunt, *Fabros* carminum Poetas appellantes: ut Cratinus in Eumenisi Comœdia, apud Schol. Aristoph. Equit. v. 527: Τέκτονες εὐπαλάμων ὕμνων. Et Pindarus, Nem. III, 7: Μελιγαρύων τέκτονες κώμων νεανίαι. Porro ex eadem officina traducta sunt, quæ passim occurrunt, *Opus limatum, politum, expolitum*, et alia id genus: ut ineptus plane sit et in veterum scriptis hospes, qui *versus tornatos*, quod apud Nostrum nunc circumfertur, in universum signo atro notaverit.

Nihilo tamen minus jam diu est, quum elegantioris ingenii homines Horatium culpant; non quod *tornatos versus* dixerit, sed quod *incudi reddere* parum caute addiderit; resque plane diversas, *Tornum* et *Incudem*, una conjunxerit: « Et male tornatos incudi reddere versus. » Recte illi quidem et vere: quid enim torno cum incude? Siquidem hoc est, quod ipse jam dixerat: « Delphinum silvis appingere, fluctibus aprum. » Ego vero Venusinum nostrum, subtili, si quis alius, et castigato judicio poetam, extra culpam esse dico; codices autem a dormitantibus librariis esse depravatos. Videamus locum integrum: « Quintilio si quid recitares, Corrige, sodes, Hoc, aiebat, et hoc; melius te posse negares, *Bis terque* expertum frustra delere jubebat, Et *male tornatos* incudi reddere versus. » Enimvero corrigendum aio, « Et male *ter natos* incudi reddere versus. » Ubi levissima sane mutatio est, sententia vero jam clara et perspicua. Quereris, inquit Quintilius, te his *terque* frustra conatum esse versus istos lambendo et fingendo meliores reddere? Tu vero, qui *ter* male exierunt versus prorsus abjice: neque jam limam amplius adhibe ad eos frustra poliendos, sed incude potius utere formandis et fabricandis novis. Recte autem, *Versus ter male natos*: ita Noster alibi, Epist. II, 1, v. 233: « Gratus Alexandro regi Magno fuit ille Chœrilus, incultis qui versibus et *male natis* Rettulit acceptos regale nomisma Philippos. »

Hæc ubi ante sedecim ferme annos in Notis ad Callimachum, et iisdem pæne verbis, dixeramus, nisi quod plura nunc Veterum loca producimus; quum ibi obiter tantum, hic rem ex industria agamus: diversis, ut fieri solet, hominum judiciis conjectura hæc excepta est. Plures et in his omnes χαριέστεροι et honestiores assentire et plaudere; *Grævius* præcipue ὁ μακαρίτης, et natura, et diuturno usu judex acerrimus, ut quantivis eam pretii sodalibus laudare; literis ad me datis IV Non. Dec. an. 1702, « non con-

Digitized by Google

jecturam *dicere*, sed certam emendationem; quam qui videat et non probet, eum in his rebus cæciorem esse quavis talpa. » Recte sane natura comparatum est, ut in re literaria semper vilis annona sit istiusmodi Talparum; qui doctis atque oculatioribus et oblectamento sint, et comparatione pretium famamque augeant. « In his *Gronovius* nomen profitetur suum, » qui Notis ad A. Gellium, IX, 8, contra hanc emendationem cornicari aliquid voluit; quodque jam a decennio consueverat, contumeliosis me verbis accipere. Videamus, an forte per obscuræ et fæculentæ orationis nebulas, quid demum sibi velit, perspicere valeamus. Ergo id primum velle dicere videtur (nam de mente ejus hariolandum est) perperam a nobis fundamenti loco positum, *Res plane diversas esse Tornum et Incudem :* quippe ejusdem officinæ utrumque instrumentum esse; torni usum esse in ferro et ceteris metallis; et ferramenta quæ sub torno male processerunt, ad incudem denuo revocari solere. Sane in hoc et alios se multo sagaciores secum habet sentientes.

Dacierius quidem hoc evicisse sibi visus est ex uno Strabonis loco sub finem lib. XIII : Ἴδιον δ' ἐστὶ Κιβύρα, τὸ τὸν σίδηρον τορεύεσθαι ῥαδίως : « *Id Cibyra habet peculiare, quod ferrum facile apud eos* tornatur. » Ita versio Latina, quæ vulgo circumfertur, Strabonis. Nimirum evellendus est ex animis hominum communis ille error, qui Lexica omnia tam vetera quam recentia occupavit, quique et mihi ipsi dum scribo et mentem forte aliis intentam habeo, quum res ista non agatur, semel iterumve subrepsit. Omnes enim a prima adolescentia falso docemur, τορεύειν Latine esse *tornare*, atque idem esse quod τορνεύειν : quum tamen certissimum sit, τορεύειν apud Græcos nusquam aliud significare, quam *cælare, sculpere :* inde *Toreutæ*, et *Toreutice* Plinio; *Toreumata* Ciceroni et Martiali : Clemens, Strom. I : Οἱ τῶν ἐν ταῖς σφραγῖσιν ἐντυπωμάτων τορευτικὸς· τορνεύειν contra, nihil aliud esse, quam *tornare, rotundare.* Quod ita fuse eruditeque ostendit Salmasius in Plinianis, ut vix quidquam addi possit, atque eo lectorem remittimus. Ergo locus ille Strabonis sic erat vertendus; « Quod ferrum *facile apud eos* cælatur. » Neque vero vel unus apud veteres Scriptores locus exstat, quo Τόρνος vel *Tornus* metallis elaborandis adhibetur : sed lignis tantum, et lapidibus, ebori, vitro, etc. idque sola *rotundatione* vel circulari sculptura. Etymologicon

Digitized by Google

Magnum: Δινωτοῖσι λέχεσσι, τετορνευμένοις, τορνευτοῖς, ἢ στρογγύλοις· δῖνος γὰρ ὁ τόρνος.» Apuleius, De Mundo: « Ut in *tornando* artifex solet forcipe materiam comprehensam *reciproco volumine rotundare.*» Plinius, Hist. XVI, 40: « Thericles calices ex *Terebintho* solitus facere *torno.*» XIII, 9: « *Lignum* (*Cuci*) firmæ duritiæ, ex quo velares *detornant anulos.*» XI, 39: « Hippopotami *corii* crassitudo talis, ut inde *tornentur* hastæ.» XXXVI, 13: « Turbines ita librati pependerunt, ut *puero circumagente tornarentur* columnæ.» Ibidem, 18: « Albos *lapides torno* duriores, quam Parios.» Et 22: In Siphno *lapis* est, qui cavatur *tornaturque* in vasa coquendis cibis utilia.» Et 26: « Vitrum aliud flatu figuratur, aliud *torno teritur*, aliud argenti modo cælatur.» Virgilius, Georg. II: « Nec tiliæ leves et *torno rasile buxum.*» Idem, Eclog. III, de poculis faginis: « Lenta quibus *torno facili* superaddita vitis, Diffusos edera vestit pallente corymbos.» Quem locum egregie explicabat idem Salmasius: *Superaddita facili torno*, casu dativo: hoc est, ligno prius torni ope excavato, vitis et edera cæli arte superaddebantur. Frustra sunt, qui aliam interpretationem hic quærunt.

Quid ergo? Num aut lignea vitreave pocula, aut columnæ lapideæ, aut hastæ coriaceæ incudibus parabantur? An jam tandem sentire incipis, *diversas plane esse res* tornum et incudem? Nam suavis sane est Dacierius; qui ideo tornum ad incudem et folles pertinere contendit, quod Propertius loco dicto *Tornum* et *Ignes* conjungit: « Desine Achilleo componere verba cothurno, Desine, et ad molles membra resolve choros. Incipe jam angusto versus includere *torno:* Inque tuos *ignes*, dure poeta, veni.» Ubi *In tuos ignes veni* interpretatur, *Remitte tuos versus in fornacem, ut molliores inde exeant.* Obstupebam equidem, quum hæc primum legerem. Quis enim nescit *ignes* perinde esse ac *Amores*, notissima poetis figura, ut *Meus ignis Amyntas?* Præcipit igitur Lynceo, poetæ Epico qui in amorem nuper inciderat, ut relicto Heroico et grandi carmine, *choros* et *amores* angustis Elegis scribat. Quid hoc facit ad *fornacem?* Immo vero, ut concedamus illis, et Tornum fabricando ferro olim inserviisse, et τορνεύειν, *tornare*, idem esse nonnumquam ac τορεύειν *cælare, sculpere;* quorum illud inauditum est, hoc falsum: numquam tamen efficient, rectum probumque esse quod in Flacco nunc habemus, *male tornatos versus incudi reddendos esse.* Nam si id accipiunt, *Ferrum tor-*

Digitized by Google

nari solitum: at numquam usu venire potest, ut ferrum tornatum ad incudem revocandum sit. Quippe tornus *facilis* est, ut jam apud Virgilium habuimus, instrumentum omnium certissimum, quod ipsius turbinis ratione semper paret artifici, nulli errori obnoxium. Numquam igitur a torno et turbinibus ad incudem reverti opus erat; ut vel fabrorum pueris risum deberet Noster, si ex eorum officina tam prave et imperite similitudinem traheret.

Quod si alterum jam malunt, ut *tornatus* idem fuerit ac *sculptus, cælatus;* pari vel majore potius incommodo mactabuntur. Ain' tu? tune præceperis Polycleto, aut Pyrgoteli, vel Myroni, aut Mentori, ut si quid iis sub manu non ad votum successerit, incudi redderetur? Quid, malum, sculptoribus cum incude? quorum opus materiam licet carissimam longo intervallo superabat. At si opus, inquis, male cesserit, quidni incudi materia reddatur? Gemmamne reddes aut argentum incudi? immo ferrum, vel æs. Quantum vero lucellum in tantula æris materia? Quæ tam inepta parsimonia, quæ exiguum sigillum vel annulum denuo conflaverit? In tenui illis labor erat: et infelicissimus omnium artifex fuerit, cui vel aberrantis manus tam incassum ceciderit opus, ut nihil prorsus nudæ materiæ pretii accederet. Stultus itaque sit, qui sculptorem sibi parum satisfacientem ad folles et incudem ire jubeat; præsertim quum ea domi instrumenta non habeat, utpote alterius artis et officinæ. Ergo, ut omnia illis dederimus, nihil tamen rei erit seu torno, sive cælo et γλυφάνῳ cum incude. Satis, opinor, liberales fuimus; ut tamen plus eis largiamur, esto ut opus aliquod tornatum revocari queat ad incudem: multum tamen aberit, ut defendi queat totum illud, « Et *male* tornatos incudi reddere versus. » Illud enim a me accipe, et in imum pectus demitte; quanquam in ipsis operibus fabrilibus et *infabre sculptum*, et *durius fusum*, et *negligentius linatum*, et contra εὖξεστον, et εὐσμίλευτον sæpe memorantur; fore tamen omnium absurdissimum, ἀσύστατον plane et secum pugnans, si quis in metaphoris a Fabrili arte petitis *male tornatos*, sive *male limatos* versus appellet, quos incultos et male factos significare velit. Quippe omnia illa per eamdem similitudinem huc tracta, *Tornatus, Limatus, Politus, Expolitus, Rasus*, habent in se notionem perfecti, absoluti, suis partibus ac numeris expleti: adeo ut *male tornatus* dicere, perinde fuerit, ac *male bonus, mutile perfectus.* Atque inde est, quod non modo non *male*

Digitized by Google

tornatus, male limatus (πολλοῦ γε καὶ δεῖ) sed ne *bene* quidem *tornatus, bene limatus* μεταφορικῶς dictum apud quemquam scriptorem invenias; quippe et hoc æque putidum et otiosum foret, ac *bene absolutus*. Et ideireo in locis superius citatis, τὸ τορευτὸν ἔπος, γλυπτοῖς καὶ τορευτοῖς λόγοις, etc. ipsum illud per se τορευτὸν virtutem operis satis designabat, absque τῷ Εὖ vel τῷ Καλῶς, vel ullo alio adverbio. Sic et ubi *Lima*, vel *Limatus* in hac translatione occurrit; nudum id et solum sine ope adverbii perfectionem indicat. Noster supra v. 291: « si non offenderet unum Quemque poetarum *limæ* labor et mora. » Et Serm. I, 10, v. 65, de Lucilio: « fuerit *limatior* illem, Quam rudis et Græcis intacti carminis auctor. » Ovid. Pont. I, 5: « Scilicet incipiam *lima* mordacius uti: Et sub judicium singula verba vocem. » II, 4: « Utque meos *lima* rasus liber esset amici. » IV, 6: « Quæ tibi tam tenui cura *limantur*. » I, 5: « Cur ego sollicita *poliam* mea carmina cura? » Martial. V, 82: « Quem censoria cum meo Severo Docti *lima* momorderit Secundi. » X, 2: « Nota leges quædam, sed *lima* rasa recenti. » VI, 64: « Sed tibi plus mentis, tibi cor *limante* Minerva Acrius, et tenues finxerunt pectus Athenæ. » Pers. Sat. I, 85: « Fur es, ait Pedio; Pedius quid? crimina *rasis* Librat in antithetis. » Gellius, XIX, 9: « Versus, quibus mundius, venustius, *limatius*, tersius, Græcum Latinumve nihil quicquam reperiri puto. » Verum omnium maxime metaphoris hisce delectatus est Cicero; apud quem passim habes, *Limatus oratione, Limatulum judicium, Limatum dicendi genus, Perpolita, polita, expolita oratio;* et alia id genus ὅση κόνις.

Sic et Græcis in hac translatione, κατερρινημένα, ἀπεξεσμένα, ἀπεσμιλευμένα, ipsa per se excellentiam significant. Aristoph. Ranis de Eurip. v. 930: Τὸν μὲν ἀρχαῖόν τι λέξειν καὶ κατερρινημένον, « *festivum quid et limatum.* » Synesius in Dione: Καὶ τὸ λέξιν καθῆραί τε καὶ ἀποσμιλεῦσαι, « *dictionem purgare et scalpro polire.* » Dioscorides, Epigram. in Æschylum: Αἰσχύλος ἐξύψωσε νεοσμίλευτα χαράξας Γράμματα. Sic olim recte emendavimus νεοσμίλευτα, *nova sculpta verba.* Quin et similiter a fabris Lignariis accepta, sed traducta alio verba, *edolatus, exasciatus*, nativam potestatem ubique servant, neque usquam τὸ *Bene*, aut *Male* sibi assumunt. Plautus, Asin. II, 2: « Jam hoc opus est *exasciatum*. » Cicero ad Attic. XIII, 47: « Ea quæ in manibus habebam, abjeci: quod jusseras, *edolavi*. » Varro in Bimargo, apud Nonium: « Quum Quintipor Clo-

Digitized by Google

dianus tot comœdias sine ulla fecerit Musa; ego unum libellum non *edolem*, ut ait Ennius? » Denique in ejusmodi Metaphoris a quavis re sumtis et translatis, *Enucleatus*, *Defæcatus*, etc. ut Cicero sæpe, « *Acre*, *acutum*, enucleatum; Enucleate *et polite*; *Eleganter* enucleateque; *Subtiliter*, *presse*, enucleate; » Plautus quoque, ut Aulul. I, 2 : « Nunc *defæcato* demum animo egredior domo : » in his, inquam, omnibus τὸ *Bene* per se inest, ut vides; neque opus est adverbiis, quibus εὖ illud indicetur : nedum ut usquam gentium fuerit quis, qui *male enucleatus*, *male defæcatus*, *male edolatus* dixerit. Usus enim sensusque repugnant, neque talem loquendi farraginem verborumque chaos patiuntur, ut contraria prorsus inter se, « Frigida jungantur calidis, humentia siccis. »

Sentis itaque jam tandem, aut nihil sentis, hujusmodi verba non esse τῶν μέσων, ut Grammatici vocant, quæ in utramvis partem seu bonam, sive malam flecti possint : et ut nimius, putidusque fuerit, qui *Bene tornatum* versum diceret, ita stultum plane ac dementem fore, qui *Male tornatum*. Facessat igitur hoc, unde malum pedem promoverat; et revocemus tandem lectionem, solam utique Horatio dignam, « Et male *ter natos* incudi reddere versus. » Contenti enim erimus *incude* ex officina fabrili petita, sine bello illo emblemate *Tornatos*. Sic et Ovidius Trist. I, 7 : « Ablatum mediis opus est *incudibus* illud : Defuit et scriptis ultima *lima* meis. » Sidonius Apoll. IX, 13 : « Præter hoc poscis, ut *Horatiana incude* formatos Asclepiadeos tibi quospiam, quibus inter bibendum pronunciandis exerceare, transmittam. » Et IV, 1 : « Cujus *Philosophica incude* formatus, nunc varias nobis rerum sermonumque rationes, ipso etiam qui docuerat probante, pendebas. » Ubi nota sodes illud *Formatos* et *Formatus*. Idem verbum habet Acron ad locum : « Ferramentum male ductum redditur incudi, et bene ibi *formatur*. » Et Porphyrion : « Incudi reddere; hoc est, Denuo versus scribere, quomodo ferramentum *male formatum* incudi redditur, ut ibi reformetur. » Et vetus Annotator in Grævii codice : « Tractum est a fabris, qui ferramentum *non bene formatum* iterum incudi committunt. » Hinc jam tibi facillimam correctionem promam, quam mirabor equidem, si Gronovius et Gronoviani nostræ illi non anteferant : « Et male *formatos* incudi reddere versus. » Auscultabimus quid sentiant mussitentque, pone tabulam latentes; et si similes ament labra lactucas, non invide-

Digitized by Google

bimus. Interea delectat nos homo comis et facetus; quî, quod ipse in prosa explicatione, non *male ter natos*, sed *ter male natos* usurpaveram, a me petitum telum in me torquet; negatque secundum Latinorum et Flacci ipsius morem τὸ *Male* a Participio, Verbo, Adjectivo suo vel in versu posse sejungi; et idcirco inter *male* et *natos* male interponi *ter:* quum Flaccus alibi *male dispari, male ominatis, male pertinaci, male feriatos* et alia, junctim ubique proferat. Numquam profecto, nisi hoc monitore, tam ridiculo argumento sponte occurreram: itaque eo nomine me demeretur, quia nescio an alios lectores habeam nihilo nasutiores. Ain' igitur, τὸ *male* non posse a verbo, cui sensu cohæret, versu separari? Quid ergo illud Serm. II, 3: « Nam *male* re *gesta* quum vellem mittere? » et II, 1: « Cui *male* si *palpere*, recalcitret? » Quid et illud Carm. III, 27: « Pendulum zona *bene* te *secuta* elidere collum? » et IV, 12: « Quod *male* barbaras Regum est *ulta* libidines? » Et ne hoc ultimum tu *male barbarus* cavilleris, quid illud Nasonis, Amor. II, 1: « Quum *male* se tellus *ulta* est, ingestaque Olympo? » et iterum Art. II: « Et *male* peccantem Tyndaris *ulta* virum? » Sic hi scriptores aliique, singulis fere paginis. Pudet quidem talibus immorari: sed quid facias? Ut adversarii sunt; ita morem geras, et infra te nonnumquam descendas, necesse est. Bentl.

Digitized by Google

Digitized by Google

TABULA RERUM

QUÆ IN HOC SECUNDO Q. HORATII VOLUMINE CONTINENTUR.

Præmonitio novi Editoris. . . . . pag. vij
De origine et progressu Satiræ Romanæ. ix

SATIRARUM LIBER PRIMUS.

Sat. I. Qui fit, Mæcenas. 1
Sat. II. Ambubajarum collegia. 14
Sat. III. Omnibus hoc vitium. 28
Sat. IV. Eupolis, atque Cratinus. 43
Sat. V. Egressum magna me. 58
Sat. VI. Non quia Mæcenas. 69
Sat. VII. Proscripti Regis. 82
Sat. VIII. Olim truncus eram. 87
Sat. IX. Ibam forte Via sacra. 93
Sat. X. Lucili, quam sis mendosus. 102

SATIRARUM LIBER SECUNDUS.

Sat. I. Sunt quibus in Satira. 116
Sat. II. Quæ virtus, et quanta. 129
Sat. III. Sic raro scribis. 149
Sat. IV. Unde, et quo Catius? 190
Sat. V. Hoc quoque, Tiresia. 203
Sat. VI. Hoc erat in votis. 217
Sat. VII. Jamdudum ausculto. 230
Sat. VIII. Ut Nasidieni. 243

Digitized by Google

EPISTOLARUM LIBER PRIMUS.

Epist. I.	Prima dicte mihi. . . . . pag.	255
Epist. II.	Trojani belli scriptorem.	270
Epist. III.	Juli Flore, quibus.	278
Epist. IV.	Albi, nostrorum.	282
Epist. V.	Si potes Archaicis.	284
Epist. VI.	Nil admirari.	287
Epist. VII.	Quinque dies tibi.	295
Excursus ad Epist. VII.	. . . . .	305
Epist. VIII.	Celso gaudere.	309
Epist. IX.	Septimius, Claudi.	311
Epist. X.	Urbis amatorem.	313
Epist. XI.	Quid tibi visa Chios.	319
Epist. XII.	Fructibus Agrippæ	323
Epist. XIII.	Ut proficiscentem.	327
Epist. XIV.	Villice silvarum.	329
Epist. XV.	Quæ sit hiems.	333
Epist. XVI.	Ne perconteris..	338
Epist. XVII.	Quamvis, Scæva	346
Epist. XVIII.	Si bene te novi.	352
Epist. XIX.	Prisco si credis	363
Epist. XX.	Vertumnum Janumque.	370

EPISTOLARUM LIBER SECUNDUS.

Epist. I. Quum tot sustineas.	371
Epist. II. Flore, bono claroque.	405
Procemium de Arte Poetica.	427
Epist. III, ad Pisones; sive de Arte Poetica liber.	445
Excursus variorum in Epistolam ad Pisones.	505

FINIS SATIRARUM ET EPISTOLARUM ET SECUNDI VOLUMINIS.

68 522 AA A 30

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

UNIVERSITY OF MICHIGAN
3 9015 06606 7798

Digitized by Google

Digitized by Google